


600096501R



HERMENEUTICA BIBLICA GENERALIS

JUXTA

PRINCIPIA CATHOLICA.


ALTERA VICE EMENDATIUS ET AUCTIUS

EDITA

A

GABR. JOANNE B. GÜNTNER,

S. ORDINIS PRAEMONSTRATENSIUM IN CANONIA TEPLENA PRESBYTERO, SS. THEOLOGIAE DOCTORE ET STUDII BIBLICI N. T. IN CAESAREO-REGIA UNIVERSITATE CAROLO-FERDINANDEA PRAGAE PROFESSORE PUBLICO ORDINARIO.



PRAGAE, 1851.

EX C. R. TYPOGRAPHIA AULICA THEOPHILI HAASE FILIORUM.

Ἄραγε γινώσκεις, ἃ ἀναγινώσκεις;
— Πῶς γὰρ ἂν δυναίμην, ἐὰν μή τις ὁδηγήσῃ με;

Act. 8, 30. 31.

REVERENDISSIMO,

PERILLUSTRI ATQUE AMPLISSIMO

DOMINO, DOMINO

MARIANO JOSEPHO HEINL,

SACRI AC CANONICI ORDINIS PRAEMONSTRATENSIUM DUCALIS ECCLESIAE TEPLENAE ABBATI, INCLYTI REGNI BOHEMIAE PRAELATO INFULATO, SS. THEOLOGIAE DOCTORI, DOCTORATUS PHILOSOPHIAE CANDIDATO, INCLYTAE CEAS. REG. SOCIETATIS OECONOMICO-PATRIOTICAE PER BOHEMIAM MEMBRO AD HONORES, MUSEI BOHEMICI, INSTITUTI SURDO-MUTORUM, THYPHLODOCHII ADULTORUM, SOCIETATIS AD SUSCITANDAM INDUSTRIAM TECHNICAM IN BOHEMIA, PHILHARMONICAE AD PROMOVENDAM ARTEM MUSICAM QUOAD SACRA, NEC NON CONSERVATORII MUSICI PRAGENI SODALI ACTUALI ETC. ETC. ETC.

Reverendissime et
Amplissime Domine!
Pater dilectissime!

Opusculum hoc offerens reddo **Tibi**, quod **Tuum** est; nam meum hujus libri publicandi propositum paterne approbando fovisti; dubitationes subortas scite monendo diluisti, et opus **Tibi** dedicatum benigne acceptando adoptasti. Utinam fructus ejus nomine **Tuo** sint digni ac tanti, quanta est veneratio, qua me **Tibi**, Viro literarum amore et favore non minus excellenti, quam virtutis studio ac praeconio eminenti, jam per longam annorum seriem toto corde addictum sentio! Utinam conferat ad id, quod omnibus viribus promovere studes, nimirum ad majorem gloriam Dei, ad sanctae ecclesiae nostrae salutem, ad sacrarum scientiarum florem! Utcunque vero Deus de hoc bonae voluntatis meae specimine disposuerit, opportunam invenisse occasionem, qua meam erga **Te** observantiam multis titulis nixam publice testari mihi contingeret, gaudet et gaudebit

Reverendissimi,
Amplissimi Domini,
Patris dilectissimi

filius obediens
G. G.

Debitâ **devotione offero Tibi**, pater in **Christo** dilectissime! hanc quoque editionem hermeneuticae emendatam et auctam, quam ut non obstantibus varii generis difficultatibus adornarem, in primis permotum me sentiebam voto, ne libellus **Tuo** nomine ornatus **Te** plane indignus inveniretur. Consuetâ benevolentiâ accipe, quod **Tibi** pro continuatis charitatis **Tuae** erga me documentis reddere valet

filius addictissimus

G. G.

Praefatio
editionis primae.

Cum hac ipsa aetate plures eruditorum catholicorum prodire fecerint opera hermeneutica, quae multa praeclare praecepta modo cuique proprio continent, mirum videri posset, novum publicari hujus generis libellum; ast quem non latet, in illis partim non exhiberi, nisi elementa hermeneuticae sacrae, partim systematicum desiderari ordinem: hic editionem fors excusabit opusculi, cujus auctor illa incommoda removere, sicque ad hermeneuticae biblicae perfectionem, et rectam sacri Codicis interpretationem lineas nonnullas addere studuit. Quod qua ratione effectum sit, paucis enarrare juvabit. Initio anni scholastici 1833. ab Amplissimo D. Adolpho Koppmann, tum temporis praeposito meo dilecto (cui levis sit tumulus!), e cura animarum intra claustri septa revocatus, ut studii biblici N. T. lectoris partes obirem in instituto theol. domestico Canoniae Teplenae recens erecto, in praelectionibus meis usus sum hermeneutica biblica a Cl. Altmanno Arigler edita, ab eximiis autem viris, Dre Adolpho Koppmann primum, dein Dre Wenceslao Kozelka scriptotenus emendata, et usuum academicorum indigentiis aptius accommodata. Quaecunque jam per decursum quindecim annorum aut in libris juris publici factis, aut propria observatione vera utiliaque inveni, sedulo adnotavi, ut fieri solet, in scriptis meis, quae ideo quotannis fere aliam, et demum eam formam nacta sunt, quam libellus hic repraesentat. Sincero igitur eoque grato fateor animo, me superaedificasse super fundamentum positum a viris mox laudatis, nec non, quod nemo mirabitur aut aegre feret, usum esse operibus hermeneuticis antiquioribus ac recentioribus, ephemeridibus theologicis, mono-

graphiis ac dissertationibus etc. Ast me non simplicem egisse plagiarium aut compilatorem, aequus peritusque rerum arbiter, ut sperare mihi licet, lubens agnoscet.

Relate ad materiarum tractatarum ordinem et modum, erronea interpretationis principia ad calcem operis relegandа esse videbantur, quia ad ea refellenda totius systematis hermeneutici cognitio requiritur. Ad pleniorem indolis linguae graecae in N. T. obviae imaginem repraesentandam plura exempla Alexandrinismorum et Hebraismorum adferenda esse putavi, quae si cui displicent, facile praetermitti possunt. In collatione locorum V. F. in N. T. allatorum usus sum editione Sixtina versionis Septuaginta, quam recentissime recudendam fecit Jager Parisiis 1844. seqq. Numerus Psalmorum et librorum Regum citatus est juxta divisionem textus hebraici.

Quod attinet linguae adhibendae selectum, dubius non haerebam; etenim sermonem latinum e studiis theologicis exulem facere, non tantum praeposterum, sed et maxime nocivum esse censeo; praeposterum quidem, quoniam est lingua, ut ita dicam, vernacula ecclesiae romano-catholicae, matris omnibus nobis communis; nocivum autem, quia partim fontes scientiarum sacrarum abundantissime manantes obstruerentur, sicque traditionis continuae filum abscinderetur, partim medium simplicissimum, quo cogitationum commercium adeo suave, ne dicam necessarium inter viros ecclesiasticos omnium fere terrarum inire conceditur, si non plane praecisum jaceret, certe ad paucissimos restrictum delitesceret. Lingua igitur vernacula utantur, qui philosophiae modernae placita explicant, qui physicae et chemiae inventa exponunt, historiam naturalem tractant, leges civiles interpretantur, theses medicas defendunt etc.; nam hisce disciplinis idioma recentius, quod simul est locupletius ac mobilius, tum aptiores suppeditare terminos, tum alias ob causas majora aut plura adferre posse commoda, equidem sponte

largior *); ast theologiae et ejus cultoribus, ecclesiae ejusque ministris linguam quamdam modernam ubique et in omnibus obtrudere, saltem ex parte Catholicorum neque necessitas urget, nec evidens utilitas suadet.

Verum enimvero cum jam ante Martium an. cur., mensem memoratu dignissimum, libellum huncce prelo submittendum tradiderim, an non fors ideo reponendus erit in armamentario obsoletorum, aut relegandus in aevum praeteritum, quo et theologi, legi morique parentes, crines in caudam collectos gestabant? Non defuturos esse, qui novarum rerum pruritu pellecti, et omnium, quae antiquitatem sapiunt, pertaesi hanc sententiam ferant, si temporum signa non fallunt, augurari omnino licet, quod tamen me non tangit aut angit; nam quemadmodum verbum divinum est unum, aeternum et mutationis nescium (Mt. 24, 35.): ita et catholica ejus interpretandi principia, quae in omnes disciplinas theologicas gravissimum exserunt influxum, omnibus hominum commentis ac delirationibus superstitia fore, persuasissimum teneo. Libertatem, cui alii inhiant, mihi quoque vindico, ast ibi tantum quaero, ubi est veritas (Joann. 8, 32.), quam in sinu ecclesiae catholicae depositam mortalium studiis ac moliminibus unquam exstingui aut supprimi posse, non est, quod divini magistri promissione freti timeamus (Mt. 16, 18. **).

---

*) Cfr. Die Reform der Gymnasien in Betreff des Sprachunterrichts, von O. Klopp, Dr. phil. Leipzig 1848., praecipue pag. 46. seq.

**) Vere ac preclare hoc respectu Cl. D. Dieringer disserit, cujus verba non possum, quin adferam:

„Es ist überhaupt dem durch Gott gesetzten Leben eigenthümlich, durch keine äussere Gewalt erdrückt, sondern nur durch den freien Willen dessen aufgehoben, oder vielmehr in seiner Wirksamkeit und Entfaltung gehemmt zu werden, dem dasselbe eingepflanzt ist; alles Göttliche ist, wie Gott selbst, unzerstörbar und unveränderlich, — und oftmals trifft es zu, dass es nur um so beharrlicher umklammert und festgehalten wird, je brutaler die Gewalt ist, welche auf seine Austilgung losgeht. Ob das Evangelium den Juden ein Aergerniss und den Heiden eine Thorheit war, und schlechten Christen Thorheit und Aergerniss zumal ist, darum blieb und bleibt es doch göttliche Wahr-

Ita cum sim animatus, capillorum caudam, si hac nota insignire placet avitae fidei et principiorum catholicorum professionem, vilipendens risum et cachinnos sapientium et prudentium hujus mundi recenter tonsorum, glabrorum, crispulorum aut plane calvorum, usque ad extremum vitae halitum Dei gratiâ adjutus portare desi-

heit und stehet unerschütterlich fest, während die Systeme menschlicher Weisheit wie die Wellen des Meeres sich drängen, und das Eine auf der Schädelstätte des Andern seinen Altar errichtet, um bald darauf vom Dritten und Vierten umgestürzt und dem Schutte der Vergangenheit zugehäuft zu werden. Nur der von Gott geschaffene Menschengeist ist das Beharrliche in diesem Wechsel; sein Irrthum und Wahn ist heute, und morgen wird er zu Grabe getragen. Ob daher auch der Christ dem Heiden als Sklave beigegeben war, so blieb dennoch jener der Freie, und dieser der Knecht; ob auch der Jude und Heide den Christen hinschlachtete, dieser blieb dennoch der Lebendige, und jene waren dem Tode verfallen; ob auch die Häresie mit allem Glanze des Tiefsinns und der Genialität einherzog, und die christliche Wahrheit für veraltet ausposaunte, jene ward nach einiger Zeit von den Geistern verlassen, und diese als die gesunde Lehre wieder mit Sehnsucht ergriffen. Ganz so verhält es sich auch mit der auf den Felsen gegründeten Kirche Christi. Sie ist frei und unüberwindlich, ob sie auch noch so sehr eingezwängt und angefochten werde; man kann das Haupt ihrer Bekenner unter dem Beile des Henkers fallen lassen, sie selbst kann nicht ausgetilgt werden; man kann ihr das Bekenntniss des Glaubens verwehren, dieser zieht sich zurück in die Herzen und wurzelt tiefer ein, und bewältiget alle Schrecken des Todes; man kann ihre Gerechtsame verkümmern, sie gibt darum ihr göttliches Recht nicht auf, und uberliefert dasselbe unversehrt einem frömmern Geschlechte; man kann der Entfaltung ihres reichen Lebens hemmend entgegentreten, aber ihren Lebensborn nicht austrocknen; man kann ihren Bischöfen die Inful vom Haupte, den Stab aus den Händen reissen und diese heiligen Insignien zu Staub zermalmen; auch ohne Inful und Stab sind sie vom heiligen Geiste gesetzt, die Kirche Gottes zu regieren. Und dann wenn es auch gelingen sollte, da und dort das Licht des Evangeliums auszulöschen, und einen Abfall von der christlichen Wahrheit zu bewerkstelligen, darum wird doch das Evangelium niemals aufhören, die Finsternisse der Welt zu erleuchten, und niemals wird es an Herzen fehlen, die in ihm Ruhe, Frieden und Seligkeit suchen und finden werden. Du kannst den Christen morden, das Christenthum nicht; du magst den Papst entsetzen, den Bischof verbannen, den Priester knechten: die Kirche bleibt. Der Mythus vom Phönix ist in einem höhern Sinne Geschichte geworden, und der Achilles des geistigen Kampfes hat keine Ferse, an welcher er möchte erfasst und getödtet werden.“ System der göttlichen Thaten des Christenthums I. tom. pag. 366. seqq. nota 2.

dero, ideoque libellum huncce sincerissimo cum animo ecclesiae romano-catholicae judicio submitto, et quaecunque fors inscius contra ejus sensum dixerim, me promtissíme revocaturum esse, publice declaro.

Ceterum systema hocce, licet recto inversoque stylo toties tractatum, pluribus laborare defectibus, ideoque multa adhuc relinquere desideranda, ipsemet sentio, quid? quod si denuo manum admovere concessum esset, nunc jam plura corrigerem, et in specie quae §. 1. dicuntur, uberius, quae §. 7. afferuntur, aptius, et quae §. 21. B. commemorantur, ita exponerem, ut, quas hermeneutica Acatholicorum subierit phases, clarius perspiceretur. Quare viros eruditos, praecipue vero clarissimos studii biblici professores et collegas amicissimos iterum iterumque rogo, ut, quae aut errata, aut minus recte disposita dictave invenerint, benigne castigent, cum disciplinae biblicae, amplum eruditionis apparatum requirentes, ad majorem perfectionis gradum adduci vix alio modo possint, nisi, qui omnem suam vitam ss. literarum studio dicant, vires suas unientes aut libris nonum in annum pressis sacrarum scientiarum florem promovere adlaborent, aut nihil, nisi bonam eamque communem causam prae oculis habentes sine ira et studio moneant, quae emendanda in aliis deprehenderint. Quemadmodum vero non solum amicas admonitiones, sed severiores etiam reprehensiones modo viris ingenuis digno propositas gratissimo excipiam animo: ita, ut par est, nullatenus curabo vituperia et criminationes criticorum anonymorum. Deo favente aliquantulo saltem studium biblicum promovisse vel adjuvisse dulcissimum laborum meorum erit praemium.

Scripsi in Balneis Marianis festo B. M. V. assumtae anno Universitatis almae Carolo-Ferdinandeae jubilari.

Auctor.

Praefatio
editionis secundae.

Perpauca sunt, de quibus relate ad hujus editionis rationem et modum benevolum lectorem monitum esse velim. Opere hoc ante biennium edito jam in eo eram, ut introductionem in N. T. libros typis exprimendam appararem; ast hermeneuticam meam attenta mente denuo perlegens mox animadverti, eam, quae nefasto tempore labente lucem conspexit, multis non tantum typi erroribus esse defoedatam *), sed aliis quoque iisque manifestis laborare defectibus, qui facilius in libris impressis, quam in manuscriptis observantur, et in specie plura obscurius dicta, nonnulla minus apte disposita inveniri, alia plane omissa desiderari. Praeterea viri eruditi et benevoli, prout optabam et rogaveram, partim oretenus, partim literis mihi manifestarunt desideria sua et consilia, quorum grato animo rationem habere, et quae, in quantum fieri posset, in usus meos convertere decebat. Quare operi coepto manum corrigentem, immutantem et addentem denuo admovendam esse duxi, quo factum est, ut salvis licet principiis primariis, nulla plane pagina priorem suam retineret faciem. Hac ratione jam

*) Valde doleo, non obstante correctione plerumque quater repetita in hac etiam editione plures typi errores esse relictos, quod tamen non tantum facile sibi explicabit, sed et benigne excusabit, qui noverit, auctorem necessitate coactum simul fuisse correctorem, cujus oculorum aciem hoc ipso nonnulla, idque eo facilius fugiunt, si aliis negotiis distractus non semper debitam attentionem in hunc laborem molestissimum impendere potest.

anno scholastico proxime elapso praelectiones meae in pluribus partibus non consentiebant cum dictis in libro, qui in manibus auditorum meorum versabatur, quod incommodum nova editione adornata aptissime removeri posse videbatur. Non itaque omnibus exemplaribus jam divenditis excitatus, non bibliopolae precibus motus, non lucri (!) cupidine animatus, sed solo hermeneuticam biblicam perficiendi studio ductus libellum hunc altera vice publici juris feci, idque eo lubentius promtiusque, ac hanc disciplinam, exegeseos basim et conditionem necessariam, nostris praecipue temporibus summopere colendam esse, firmissimam teneo persuasionem. Non deesse, qui in studio biblico paucissimis extremisque hermeneuticae lineamentis expositis, aut data occasione allegatis theologorum indigentiis satisfieri, et omnem operam in expositionem ss. librorum impendendam censeant, me quidem nequaquam latet; verum ejusmodi placitis assentire non possum, neque hac in re adeo gravi et sacra dicere fas esse credo: De gustibus non est disputandum. Ponamus, contingere magistro, ut per unius alteriusve anni decursum auditoribus suis plures s. Scripturae paginas, nonnullos libros exponat: major certe pars proprio studio erit relinquendum. Quantis autem impedimentis, quot periculis ejusmodi studium norma directrice carens erit obnoxium! Simile sit, necesse est, navi ventis expositae sine firmo gubernaculo, aut aedificio absque solido fundamento. Nonne theologus principiis hermeneuticis leviter tantum imbutus multiformibus neologorum de sensu s. Scripturae catholico cavillationibus subinde in angustias redactum, aut speciosis irrisorum sophismatibus attonitum semet sentiet? Num saltem in tanta sententiarum farragine, quod Apostolorum princeps postulat (I. Petr. 3, 15.), rationi reddendae de spe sua par erit omni postulanti? An sacrarum disciplinarum alumnis in theologia dogmatica, morali et pastorali labor, difficultates exege-

ticas frequentius recurrentes removendi, objectiones ab adversariis motas solvendi allevabitur? Sed ad quid multa? ne Cicero pro domo sua dicere videar, experientiam quotidianam appellare licet.

Restat, ut debitas agam gratias omnibus viris eruditis et multum colendis, qui jam priorem operis hujus editionem licet ob plures causas perquam imperfectam, boni consulere, benigne dijudicare et commendare dignati sunt, et eorum benevolentiae etiam hunc exiguum laborum continuatorum fructum committo, praecipue in iis partibus, quae novae accesserunt, et in enchiridiis hermeneuticis nondum civitatis jura nactae sunt, nimirum de officiis commentatoris biblici in partibus et libris historicis, didacticis, propheticis et poëticis. Quae hoc respectu a me scripta leguntur, periculum hermeneuticae specialis factum considerentur, enixe rogo. — Quod attinet historiae hermeneuticae delineationem, porro versionum et commentariorum recensum, tantum abest, ut omnia enumerare vellem hujus generis opera; ut potius ea solum commemorarem, quae per longiorem annorum seriem aut a me ipso coëmta usui meo inservierunt; aut quae e diversis bibliothecis mutuata unquam pervolvi; aut quorum dijudicationem factam in ephemeridibus publicis inveni; alia denique tum a Catholicis, tum ab Acatholicis profecta, quae oblivioni tradi cuperem, sciens volensque silentio praetermisi. — Quodsi Deus, omnium bonorum largitor, a quo sancta desideria, recta consilia et justa sunt opera, dat vitam et vires, commentarium in Evangelium s. Matthaei atque introductionem in ss. N. T. libros prelo submittendam curare in votis habeo.

Scripsi Pragae festo B. M. V. natae 1850.

Auctor.

Conspectus operis.

Prolegomena.

Caput I.

De hermeneutica generatim.

Caput II.

De s. Scripturis ejusque interpretatione.

Pars I.

De sensu inveniendo.

Sectio I.

De sensus investigatione per usum loquendi.

Caput I.

De usu loquendi in genere, et de modo ad certam ejus cognitionem perveniendi.

Caput II.

De usu loquendi s. Scripturae, et de fontibus, unde sit cognoscendus.

Articulus I.

De indole linguae N. T.

א

De indole linguae N. T. fundamentali, seu de lingua N. T., quatenus est graeca.

ב

De elemento hebraico linguae N. T.

Sectio III.

De sensu inveniendo per conditionem loquentis.

Caput I.

De conditione loquentis externa.

Caput II.

De conditione loquentis interna.

Pars II.

De sensus inventi expositione.

Appendix.

De erroneis quibusdam s. Scripturam interpretandi principiis et modis.

Prolegomena.

Caput I.

De hermeneutica generatim.

§. 1.

Varia signa, quibus homines cogitata sensaque sua aliis manifestant. Significatio et sensus.

Homo a Creatore suo tot tantisque dotibus ac praerogativis exornatus est, ut omnes creaturas hujus terrae praestantiâ longe superet. Inter munera ista divina eminet ratio, voluntatis libertas et animae immortalitas. Qua ens rationale facultate cogitandi gaudet, vi cujus veritâtum maxime sublimium thesaurum sibi acquirendo par redditur, imo ad Deum ipsum semet attollit; per voluntatis libertatem virtutis, proinde meriti praemiique capax est; propter animae immortalitatem destinatio ejus ultra angustos hujus vitae terminos infinite extenditur. Dono cogitandi aliud non minus pretiosum additum est, nimirum facultas, cogitata sensaque sua manifestandi; ast hoc nonnisi per signa, quae in sensus cadunt, fieri potest. Sunt autem signa haec alia naturalia, alia arbitraria. Naturalia vocantur, quibus homines praeter voluntatem animi sui conditionem motusque aliis produnt, v. g. vultu, vel singulari vocis sono, certo corporis aut membrorum motu. Arbitraria signa sunt, quibus homines scientes volentesque abdita mentis atque animi sui pandunt. Horum alia pertinent ad oculorum sensum, alia eaque plurima ad sensum aurium, paucissima ad sensus reliquos. Inter signa arbitraria voces seu verba primum occupant locum; hisce omnium reliquorum signorum vis compensari potest, reliqua autem non sufficiunt ad omnem verborum potestatem exhauriendam. Etenim non obstante summa perfectione, ad quam olim Romani artem mimicam evexerant, ita ut v. g. Roscius, celeberrimus histrio, vel facundam Ciceronis linguam ad certamen provocare ausus esse legatur; non obstante stupendâ dexteritate, qua surdo-muti a perito magistro edocti cogitata sensaque sua gestibus exprimere sciunt; non obstante admirabili scribendi peritia, qua cogitationes vix mente conceptae chartae mandantur: dubio tamen obnoxium non est, subtiles existere

cogitationum sensorumque corundem modos diversis gradibus distinctos, quae neque mimis aut gestibus, neque literis, sed solo sermone seu vivâ voce ad amussim manifestari possint.

Notio jam, quae signo quodam, proinde et vocabulo vel formulâ indicatur, significatio ejus dicitur; cogitatio vero aut animi motus, qui vocabulis in propositionem vel orationem conjuntis a loquente exprimitur, sensus vocatur.

§. 2.

Usus loquendi et ejus origo.

1. *Usus loquendi in genere est modus constans, quo gens quaedam aut certa ejus hominum classis vocibus linguae suae utitur ad cogitata sensaque sua et animi motus aliis manifestandos. Usus loquendi ergo complectitur non tantum vocum linguae thesaurum, et significationum, quae cum singulis illarum conjunguntur, copiam* (lexicalia); *sed et constantem formarum ac formularum usum, nec non certum vacabulorum ordinem ad exprimendas diversas notionum relationes et modos* (grammatica). *In specie itaque usus loquendi respectu lexicali est constans conjunctio earundem significationum cum iisdem vocabulis; respectu vero grammatico est constans formarum ac formularum frequentatio, nec non certus vacabulorum ordo ad exprimendas diversas notionum relationes et modos.*

2. *Quod attinet originem usus loquendi seu linguae et quidem* a) *primitivae, illam esse divinam, e s. Scriptura clare edocemur;* nam Moyses narrata hujus mundi et primi hominis creatione sic scribit Genes. 2, 19 — 24. „Formatis igitur Dominus Deus de humo cunctis animantibus terrae et universis volatilibus coeli, adduxit ea ad Adam, ut videret, quid vocaret ea; omne enim, quod vocavit Adam animae viventis, ipsum est nomen ejus. Appellavitque Adam nominibus suis cuncta animantia, et universa volatilia coeli, et omnes bestias terrae, Adae vero non inveniebatur adjutor similis ejus.“ Exposita porro formatione Evae, scriptor sacer referre pergit v. 22. et 23.: „Et adduxit eam (Deus) ad Adam. Dixitque Adam: Hoc nunc os ex ossibus meis, et caro de carne mea; haec vocabitur virago, quoniam de viro sumta est.“ Apertis itaque verbis ss. literae docent, primum hominem non successive, necessitate aut commercio cum aliis coactum, ope meditationis et studii sibi invenisse ac efformasse linguam; nam cum adhuc solus esset, statim singulis animantibus, dein mulieri sibi adjunctae nomen imposuisse legitur. Etiam Ecclesiasticus 17, 1. 5. dicit: „Deus creavit de terra hominem, et secundum imaginem suam fecit illum. Creavit ex ipso adjutorium simile sibi, et consilium (rationem), et linguam, et oculos et aures et cor dedit illis“. Quidcunque rationalistae, non Socratem et Platonem, sobrie philosophantes *), sed Horatium, poëtam temere fingen-

---

*) Plato in Kratylo refert, alios affirmare, arbitrariam hominum conventionem solam esse rationem, cur voces linguae hanc vel illam significationem apud

tem*) secuti contra haec revelationis divinae effata protulerint, aut absurdum est, aut nodum non solvit, sed discindit.**) — *Verum b) diversarum quoque linguarum originem eaedem ss. literae a Deo derivant;* sic enim legimus Genes. 11, 1 — 9. „Erat autem terra labii unius et sermonum eorundem. Cumque proficiscerentur de oriente, invenerunt campum in terra Senaar, et habitaverunt in eo. Dixitque alter ad proximum suum: Venite, faciamus lateres, et coquamus eos igni. Habueruntque lateres pro saxis, et bitumen pro coemento, et dixerunt: Venite, faciamus nobis civitatem et turrim, cujus culmen pertingat ad coelum, et celebremus nomen nostrum, antequam dividamur in universas terras. Descendit autem Dominus, ut videret civitatem et turrim, quam aedificabant filii Adam, et dixit: Ecce, unus est populus et unum labium omnibus, coeperuntque hoc facere, nec desistent a cogitationibus suis, donec eas opere compleant. Venite igitur, descendamus et confundamus ibi linguam eorum, ut non audiat unusquisque vocem proximi sui. Atque ita divisit eos Dominus ex illo loco in universas terras, et cessaverunt aedificare civitatem. Et idcirco vocatum est nomen ejus Babel, quia ibi confusum est labium universae terrae, et inde dispersit eos Dominus super faciem cunctarum regionum". — *Poenae instar* itaque *linguarum diversitas in hominibus degeneribus et suam gloriam querentibus a Deo effecta est; ast poena hæc pro infinitâ sapientiâ divinâ simul eum habuit finem, ut genus humanum non tantum per physica montium, desertorum et marium, sed etiam per spiritualia idiomatum obstacula in gentes divisum et sejunctum ab universali corruptione praeservaretur, quod quantopere necessarium fuerit et adhucdum sit, historia atque experientia luculenter docet et docebit,* „donec occur-

---

illos habeant; alios asserere, vocabulorum linguae significationes esse congruas indoli rerum, quas hujus vel illius linguae inventores designare voluissent; contra autem Socrates, quem Plato loquentem inducit, ait, ens homine excellentius, sive sit Deus, sive daemon, prima res designantes vocabula inspirasse.

*) Horatius serm. 1. satyr. 3, 99 seqq.
„Quum prorepserunt primis animalia terris,
Mutum et turpe pecus glandem atque cubilia propter,
Unguibus et pugnis, dein fustibus atque ita porro
Pugnabant armis, quae post fabricaverat usus,
Donec verba, quibus voces sensusque notarent,
Nomina invenere."

**) Ad solutionem hujus problematis praemio donatam, quam proposuerat Herder, respiciens Göthe recte observavit: „Mir schien die Frage einigermassen müssig; denn wenn Gott den Menschen als Menschen erschaffen hatte, so war ihm ja so gut die Sprache, als der aufrechte Gang anerschaffen; so gut er merken musste, dass er gehen und greifen könne, so gut musste er auch gewahr werden, dass er mit der Kehle zu singen, und diese Töne durch Zunge, Gaumen und Lippen auch auf verschiedene Weise zu modificiren vermöge. War der Mensch göttlichen Ursprungs, so war es auch die Sprache selbst, und war der Mensch, in dem Umkreise der Natur betrachtet, ein natürliches Wesen, so war die Sprache gleichfalls natürlich. Diese beiden Dinge konnte ich nie, Seel' und Leib niemals aus einander bringen". Aus meinem Leben 2. Bd. S. 469.

ramus omnes in unitatem fidei, in virum perfectum, in mensuram aetatis plenitudinis Christi, cum omni humilitate et mansuetudine, cum patientia supportantes invicem in charitate, solliciti servare unitatem spiritus in vinculo pacis". Eph 4, 13. 2. 3. Ast non desunt, qui et hoc respectu fontis undâ purissimi relictâ proprias cisternas sibi effodiunt, dum linguarum diversitatem naturali modo ortam esse demonstraturi varias hypotheses proponunt, quarum una alteram impugnat, omnes vero historiæ non tantum sacrae, sed etiam profanae fastis mendacii convincuntur, ut Kistemacker praeclare ostendit *).

§. 3.

Usus loquendi necessitas et varia distinctio.

Linguarum diversarum, proinde et usus loquendi originem Deo intervenienti adscribentes nequaquam asserimus, idiomata varia diversis nationibus plena perfectaque divinitus ita suppeditata esse, ut protoparentibus sermonis donum in paradiso erat concessum; potius successivam linguarum culturam, culturae spiritualis quasi speculum, maximam partem opus humanum agnosci debere, historia duce sponte concedimus. *Quod jam attinet usus loquendi*

1. necessitatem, si quamcunque linguam consideramus, sequentia observare licet:

a) Esse hominibus nisum communem et proinde naturalem, voces qua signa ita attemperandi rei significandae, ut perceptionem, quae per illam in animo enascitur, et sic mediate rem ipsam, in quantum fieri potest, exactissime repraesentent, unde sic dicta onomatopoeitica enascuntur; v. g. רַעַם βροντή, tonitru, hrom, Donner. Non minus homo

b) per naturae suae limites veluti cogitur in conjungendis pluribus cum una voce significationibus objectorum affinitatis rationem habere, quo facilius easdem teneat et aliis cognoscendas praebeat; v. g. פָּלַח = incidere et sulcare; canities = senectus; ferrum = gladius. Eodem modo homo

c) per indolem mentis suae urgetur similes conceptus, relationes et modos similibus formis exprimere, ita ut, ubicunque similitudo formarum aut structurae recurrit, ad similem notionem aut notionum relationem concludere liceat; v. g. aquosus, arenosus, gloriosus; terminatio οιμι verborum graecorum, κατά cum accusativo.

Verum his non obstantibus aeque indubium est:

α) sonos eorumque per linguae organa inflexionem naturalem quemdam nexum habere ad summum cum certis animi motibus indicandis, porro cum rebus illis et repraesentationibus eis respondentibus, quae sonum quemdam edunt, ejusque imitatione designari et possunt et solent. Maxima ergo pars linguae ad eam, quam dicunt

---

*) Uiber Sprachengabe, ad finem tomi 5. operis: Die heilige Schrift des neuen Testamentes, übersetzt und erklärt. Grätz 1826. Cfr etiam Süssmilch: Beweis, dass der Ursprung der menschlichen Sprache göttlich sei. Berlin 1766 et Humboldt über die Kawi-Sprache Berlin 1836. I. pag. XXIV. seqq.

discursivam (mediatam, notionum collatione effectam) cognitionem pertinet, quae ab arbitrio dependet. Praeterea

β) ipsa soni, a rebus, quae designandae sunt, editi imitatio adeo varia est, ut non soli organorum linguae, coeli et victus, cogitandi sentiendique diversitati adscribi possit, sed quemdam libertatis usum supponat, ut exemplum de tonitru desumtum ostendit. Tandem

γ) affinitatis ratio, ob quam cum voce quadam plures significationes, aut cum certâ vocis formâ hae illaeve notionum relationes et modi conjunguntur, multiplex esse potest, prout aut res, aut notiones ex hac vel illa parte spectantur.

Quae cum ita sint, patet, *nexum inter significationes et voces intercedentem, si ipsam ejus originem spectes, minime niti necessitate quadam naturae, non esse absolute necessarium, sed ab arbitrio pendere. Quodsi autem arbitrio locus erat in nexu hoc inveniendo, multo magis ejusdem nexus ex parte aliorum approbatio ab arbitrio pendebat. Mutuo itaque consensu determinabatur nexus inter voces et notiones significandas initus. Propter hunc ipsum libertatis actum vocabula recte dicuntur arbitraria notionum signa. — Verum etsi arbitrio locus erat in hoc nexu ineundo et consensu eidem tribuendo, consensus tamen iste necessarius erat, si homines inter se invicem cogitationum commercium efficere voluerunt; porro nexus actu initus eâdem ex causâ constanter firmiterque erat servandus; quodsi enim homines arbitrio suo abusi post breve tempus ab illo denuo discessissent, hoc ipso mutua cogitationum communicatio esset sublata aut saltem suspensa.*

Ex his omnibus sequitur, usum loquendi non absolutâ quidem, hypotheticâ tamen niti necessitate.

2. *Distinguendum est inter usum loquendi communem et peculiarem. Prior est ille, quem omnes homines eâdem linguâ utentes sequuntur; alter vero, qui certae talium hominum parti proprius est. Praeterea discernendus est usus loquendi cultior a populari; ille locum habet, ubi nexus inter voces earumque formas et ordinem, et inter significationes, earum relationes et modos ad solidas linguae leges exacte compositus est; popularis autem vocatur ille, quem in vita communi adhibent homines, qui non omni cum severitate leges istas sequuntur.* Exempla quaevis lingua suppeditat.

§. 4.

De discrimine inter significationem et sensum.

Inter significationem et sensum tantum intercedit discrimen, ut quis optime scire possit singularum vocum significatus, quin tamen sensum ipsum sit assecutus. Significatio nimirum non est, nisi notio voce vel formulâ in se consideratâ vi usus loquendi expressa; sensus autem est cogitatio aut animi motus a loquente propositione vel oratione manifestatus. — Haec quantopere differant, e sequentibus clarius patebit:

1. *Significatio non est, nisi vocabulorum et formularum; sensus vero propositionum et orationum.*

2. *Significationes unius ejusdemque vocis aut formulae, si non semper, saepius tamen plures sunt; sensus vero propositionis aut orationis ab homine loquente intentus, semper unicus est. Etenim nihil obstat, quominus quaevis gens certis rationibus mota eadem linguae suae vocabula in se considerata ceu diversarum notionum signa adhibeat; ast quilibet hominum iis limitibus adstrictus est, ut uno eodemque momento non plura simul, sed unum tantum cogitare aut sentire, et proinde unâ eâdemque propositione etiam nonnisi unum cogitatum aut animi motum eloqui possit.* Sic v. g. voci „via" in se spectatae plures conveniunt significationes; denotat nimirum semitam, qua itantes incedunt; porro, quia vita haec similis est itineri, significat vivendi rationem; dein legem, in specie moralem, quae vivendi rationem praescribit; tandem eum, per quem et in quo quis ad metam desideratam pervenit. Dum jam Mt. 2, 12. de Magis, qui Bethlehemum venerant, legimus: „Alia via reversi sunt in regionem suam"; Jacob. 1, 18. „Vir duplex animo inconstans est in omnibus viis suis"; Act. 18, 25. „Hic erat edoctus viam Domini"; Jo. 14, 6. „Ego sum via et veritas et vita": singulis hisce propositionibus, etiamsi sexcenties occurrerent, nonnisi unus inest sensus; vocabulo via autem in quovis locorum citatorum una quidem, attamen alia significatio a loquente spectata est, et spectari debuit.

3. *Significationes plerumque vagae sunt et indeterminatae, quoniam notiones eaedem iisdem vocabulis expressae in hominibus diversae conditionis divergunt; sensus vero loci cujusdam est certus ac determinatus; loquens enim* (coll. 2.) *unum tantum cogitatum aut animi motum propositione quadam enuntiare potest, et quidem eum, qui peculiari ejus conditioni tum externae tum internae conveniens est; jam vero cogitatus hic aut animi motus seu dictorum sensus esse nequit vagus et indeterminatus, sed est certus; nam quod unicum tantum et unico modo existit, non potest non esse definitum ac certum.* Sic v. g. indeterminata est significatio vocis Deus, si in se consideretur; licet enim istud vocabulum et in diversis linguis correspondens hominibus diversae religionis et culturae, ut ethnico, Muhamedano, Judaeo et Christiano, eique culto et rudiori, ens supremum denotet: haec tamen ipsa notio in quovis eorum diversa est. Significatio vocis „patria" et formulae: „regio orientalis" in se spectata est vaga, quia notio expressa pro diversitate hominum loquentium aliam regionem aut provinciam indicat. Quodsi autem Muhamedanus qua talis de Deo loquitur, ipsum ejusmodi notionem exprimere velle, quae culturae Muhamedanorum religiosae respondeat, quisque prudens sciet. Idem valet de Judaeo, de Christiano etc., eoque culto aut rudiore. Similiter dum Palaestinae incola de patria sua loquitur, aut formula: regio orientalis utitur: notio specifica audienti vel legenti vaga aut indeterminata non est; nam non cogitabit v. g. de provincia, in qua nos nati et educati sumus et vivimus, neque de omnibus illis terrae partibus, quae Bohemis ad orientem sitae sunt; sed tantum de illa provincia et de ea

regione ad orientem sita, quae loquentis conditioni respondet, quamque ipse, si sanae mentis est, spectare debet.

§. 5.

Significationum et sensus divisio.

Significationum aliae sunt propriae (primitivae, originariae), *impropriae seu tropicae* (derivatae, translatae) *aliae, et plerisque vocibus utriusque classis significatus conveniunt. Propriae significationes appellantur illae notiones, ad quas designandas vocabula primitus adhibita aut inventa sunt; impropriae vero sunt istae, quae praeter originariam ob quandam affinitatem inter res designatas intercedentem cum vocibus conjunguntur. Affinitas jam vero illa inter res proprie et tropice indicatas esse potest duplicis generis; etenim res tropice designata cum objecto proprie indicato aut reali, aut similitudinis nexu cohaeret; in priori casu per illud, quod enunciatur, hoc, quod intelligendum est, simul comprehenditur; in altero autem res, quae voce proprie indicatur, ceu imago alterius adhibetur. Si prius locum habet, jam metonymia, jam synecdoche; quodsi alterum fit, metaphora enascitur* [1].

Sensus dividitur:

a) In gencre:

1. In proprium et improprium; prior locum habet, si partes propositionis aut orationis a loquente proprio significatu adhibitae sunt; quodsi autem voces significatu tropico usurpantur, sensus improprius (tropicus) *orationi inesse dicitur.*

2. In verbalem et realem seu in immediatum et mediatum. Sensus verbalis est, qui immediate per verba indicatur; realis vocatur, qui mediantibus rebus demum per verba immediate indicatis exprimitur, uti in allegoriis, parabolis ac fabulis, symbolis et (in s. Scriptura) *typis;* unde ceu sensus mediati species enascuntur sensus allegoricus, parabolicus, symbolicus ac typicus.

3. In certum ac probabilem. Sensus certus est, qui adeo liquet, aut tot tantisque rationibus nititur, ut prudens dubium moveri haud possit; quodsi autem tanta certitudo deest quidem, plura tamen argumenta pro hac, quam pro alia sententia militant, sensus probabilis vocatur.

4. In originarium et accommodatum. Sensus originarius nuncupatur, qui a primo dicti cujusdam auctore expressus est; accommodatus dicitur ille, quem serior scriptor antiquioris auctoris effato suum in finem subjicit.

b) In ss. literis insuper:

5. In proximum et remotiorem. Uterque locum habet in effatis biblicis praegnantibus, quae ex voluntate Spiritus s. non unum, sed duos aut plures eventus analogos tempore a se invicem distantes

---

1) Cfr Die neutestamentliche Rhetorik v. Christian Gottl. Wilke. Dresden und Leipzig 1843 pag. 13. seqq. et Josefa Jungmanna Slowestnost pag. 67. seq.

respiciunt, et quidem ille (proximus), *si eventus tempore loquentis jam impletus aut brevi implendus ; hic* (remotior), *si serius factum spectatur.*

6. In literalem et spiritualem; prior sensus proprii, verbalis et proximi; alter sensus improprii, realis et remotioris species complectitur.

NB. a) Solet insuper distingui sensus genuinus et spurius, porro verus et falsus. Per sensum genuinum intelligunt illum, quem loquens oratione suâ revera expressit; spurius vero vocatur, qui ab audiente vel legente perperam obtruditur loquenti. Disti nctio tamen haec, et praecipue expressio: sensus spurius, non est sat accurata, potius contradictionem in terminis continet; nam quod loquenti invito obtruditur, sensus dici nequit, hinc sensus spurius non datur, et dicendum est, loquentem vel non, vel perperam esse intellectum. Sensus verus adesse dicitur, si cogitata loquentis oratione expressa objectivâ gaudent veritate; secus sensus falsus vocatur. Aliis tamen sensus verus et falsus idem denotat, ac sensus genuinus et spurius, quo in casu de illis terminis idem valet, quod de his observavimus. — Distinguunt porro

b) in ss. literis sensum objectivum et subjectivum. Per sensum objectivum intelligunt illum, qui a Spiritu s. per sacros auctores loquente spectatus est; per subjectivum vero eum, quem auctor sacer Dei effatis fors perperam subjecit, cum coll. Habac. 2, 3. Daniel 12, 9 cum I. Petri 1, 10—12. II. Pet. 1, 20. 21. constet, prophetis non omnia Dei oracula sat clara fuisse, cumque ne ipsi quidem Apostoli ante Spiritus s. emissionem omnia Domini dicta rite intellexerint. *Ast cum e ss. literis non hominum sensa, sed Dei revelantis decreta et voluntatem cognoscere desideremus: ista distinctio recte negligitur.*

c) Quid sit sensus historico-logicus, mysticus et moralis, suis ocis dicemus.

§. 6.

Quid est interpretari, et quotuplex interpretis functio?

Licet sermo sive ore prolatus, sive literis mandatus aptissimum sit medium, quo homo cogitata sua cum aliis communicare valet; fieri tamen potest et non raro solet, ut audiens vel legens orationem loquentis non intelligat, i. e. ut ad verba loquentis non idem cogitet, quod loquens per illa significare voluit. Causa hujus rei vel in intellectu, vel in voluntate sita est; in intellectu, si aut lingua, qua loquens utitur, audienti vel legenti incognita est, aut dispar culturae gradus inter utrumque intercedit; in voluntate, si loquens non intelligi, vel audiens non intelligere vult. Alterum rarae exceptionis instar considerandum est, ita ut valeat regula: Loquens intelligi, audiens vel legens intelligere vult, et quotiescunque illud revera fit, de cogitationum commercio tamdiu sermo esse nequit, donec voluntas fuerit mutata. Ubi autem primum habet locum,

interpretatione dictorum opus est, ut loquentem inter et audientem legentemve cogitationum communicatio adsit.

Est autem interpretari dicere, qui sit verborum loquentis sensus, seu efficere, ut audiens legensve orationem quamdam idem cogitet, quod auctor ejusdem, dum loquebatur, cogitabat.

Interpretis munere fungi potest vel ipse loquens, vel alius. Munus hoc, si ipse loquens est interpres, unicam, nimirum sensus exponendi; quodsi vero alius interpretatur, duplicem functionem complectitur, sensum videlicet inveniendi et exponendi. Interpretatio profecta ab ipso loquente vel ab ejus vicario legitimo, in quem neque ignorantiae, nec laesae fidei suspicio cadit, dicitur authentica, et utique genuina habenda est; interpretatio autem ab alio facta doctrinalis vocatur, cujus auctoritas tum a theoriae, ad quam instituitur, praestantia, tum a recta singularum interpretationis regularum applicatione dependet.

§. 7.

Notio hermeneuticae.

Hermeneutica (ἑρμηνευτικὴ sc. τέχνη vel ἐπιστήμη) *jam vi etymologiae denotat artem aut scientiam interpretandi; nomen enim hoc derivatur ab* ἑρμηνεύειν, *interpretari, et hoc ab* Ἑρμῆς, *quod erat nomen Mercurii, qui deorum habebatur internuntius et voluntatis eorum interpres.* Relate ad definitionem realem *hermeneutica objective spectata, est systema, subjective vero considerata, scientia regularum, ad quas sensus orationis rite inveniendus aliisque exponendus est. Hermeneutica ita definita, quatenus regularum systema proponit, juxta quas cujusvis orationis sine discrimine sensus inveniatur et exponatur, vocatur communis; quatenus vero hac in re certae classis librorum habet rationem, peculiaris nominatur. Quare et hermeneutica biblica est peculiaris, quia continet systema regularum, juxta quas librorum biblicorum sensus rite tum inveniendus tum exponendus est. Ipsa vero haec hermeneutica biblica denuo objective et subjective considerari, porro complecti potest systema regularum, ad quas vel omnium librorum biblicorum, vel unius alteriusve sensus est inveniendus et exponendus. Unde distinctio oritur inter hermeneuticam biblicam generalem et specialem, quae utraque principiis hermeneuticae communis nititur, ejusque regulas in suos adhibet usus, ita ut illa rite tractari nequeat, quin haec simul respiciatur.*

NB. 1. Ex hermeneutica biblica generali, quae in hoc opusculo traditur, non difficili labore formari poterit specialis, dummodo regulae illius ad librum quemvis biblicum ita applicentur, ut notitiarum illarum peculiarium habeatur ratio, quas de libro quolibet ejusque auctore introductio specialis suppeditat.

NB. 2. Scientia nostra appellatur etiam theoria exegeseos, mutuato nomine ab ἐξηγεῖσθαι, quod proprie denotat educere eductosque praeire, improprie vero exponere; unde etiam formatur ἐξηγητής, dux,

interpres, explanator, quia quasi ducis munere fungitur, qui ad dictorum sensum cognoscendum lectori vel auditori viam sternit.

§. 8.

Supremum hermeneuticae communis principium *).

Per principium intelligitur propositio, quae est fundamentum et norma plurimum veritatum; primum vero seu supremum principium est illud, quod omnium veritatum ejusdem generis rationem ultimam in se continet.

Uti omnis scientia, ita et hermeneutica primo quodam seu supremo principio gaudeat necesse est, quia secus non foret scientia, i. e. systematica veritatum cognitio, vi cujus singulae regulae ad unam sententiam fundamentalem ceu radii ad centrum suum reducuntur.

Est vero supremum hermeneuticae communis principium sequens:

Sensum loquentis ope usus loquendi, orationis contextus, nec non conditionis tam internae quam externae loquentis cognosce et pande.

Propositionem hanc supremum hermeneuticae communis principium jure haberi, dubium non erit, si demonstratum fuerit, eam omnibus gaudere dotibus, quae in primo principio quovis desiderantur. Requiritur autem in tali, ut a) revera sit primum seu supremum, i. e. non ab alio deductum, neque alii subordinatum; b) universale, i. e. omnium regularum et veritatum ejusdem scientiae fundamentum et fons; c) adaequatum seu ita comparatum, ut non tantum omnium disciplinae alicujus veritatum fundamentum sit, sed simul nonnisi harum et non aliarum; d) absolutae necessitatis, ita ut nemo ab ejus observatione solidis ex causis exemtum sese existimet; denique e) perspicuum et facile applicatu. — Jam vero sententia a nobis allata omnibus proprietatibus enumeratis eminet; est enim

1. revera primum seu supremum, prout jam ex ipsa interpretationis et sensus notione patet; nam invenire et exponere docet loquentis sensum, quo hac in sphaera nihil superius cogitari potest;

2. universale; etenim plene enumerat omnes conditiones, quas loquens, qui cogitata sensaque sua verbis manifestare desiderat, observet, necesse est, et a quibus vice versâ sensus inventio et expositio dependet;

3. adaequatum; pro tenore namque suo nonnisi earum regularum fundamentum est, quae ad sensus inventionem et expositionem seu ad hermeneuticae provinciam pertinent;

4. absolutae necessitatis, quia in omnium, etiam minus cultorum hominum animis obvium ostendi potest una cum persuasione

---

*) Cfr. Versuch einer Beantwortuug der Frage: Welcher Interpretationsgrundsatz ist bei der Auslegung der h. Schrift als der einzig richtige zu befolgen? Von Dr. W. Kozelka in der neuen theol. Zeitschrift von Dr. Jos. Pletz. V. Jahrgang.

de necessitate illud observandi; quotiescunque nimirum cogitationum commercium inter colloquentes turbatur, hoc restituturi ad principii nostri observandi necessitatem provocare solent; denique

5. perspicuum et facile applicatu, ut jam ex immediate praecedentibus patet; quod enim cum nativa mentis humanae indole adeo arcte cohaeret, quavis data occasione sponte sese obtrudit. *)

Ex dictis corollariorum instar sequentes promanant

§. 9.

Canones hermeneutici generales.

1. *Quamvis significationem vocis aut formulae, quemlibet sensum propositionis constanter rejicias, qui supremo hermeneuticae principio omni ex parte spectato plane non convenit*, i. e. qui sat cognito sive usui loquendi, sive contextui orationis, sive conditioni vel internae vel externae loquentis adversatur.

2. *Eum significatum vocis aut formulae, sensum illum propositionis tuto amplectere verum, qui supremo interpretandi principio solus respondet.*

3. *Quodsi vero plures significationes vocis aut formulae, plures sententiae propositionis ita sunt comparatae, ut omnibus rite perpensis primo hermeneuticae principio respondere inveniantur: ne haesites illam praeferre, quae pluribus aut potioribus nititur rationibus, et ob facilitatem simul commendatur;* nam in dubio nemo non cordatus, quod omnibus accurate ponderatis probabilius est et sponte quasi semet obtrudit, praefert ei, quod est minus probabile et e longinquo petendum. Hinc et

4. *interpretationem illam certissime habeas veram, quae omnibus supremi principii partibus optime respondet.* Verum

5. *caveas, ne interpretationem eam et ideo habeas veram, quae et quia uni alterive parti supremi principii, v. g. contextui, apprime congruit, quae vero reliquis minus respondet vel plane adversatur,* v. g. usui loquendi; nam *a)* quemadmodum loquens sana mente praeditus tum usui loquendi, tum contextui, tum conditioni suae omnimodae convenienter cogitata sensaque sua vocibus manifestet, necesse est: ita et interpres vice versa omnibus istis conditionibus aeque satisfaciat, oportet; praeterea *b)* non a quovis loquente postulare fas est, ut ea semper intelligat eoque modo adhibeat, quae et quo modo adhibita v. g. contextui repraesentando vel conditioni suae manifestandae essent aptissima; secus enim scriptores mere classicos haberemus.

---

*) Paucis: nostrum supremum hermeneuticae communis principium est:
1. revera primum seu supremum;
2. universale, et quidem
   a) ratione materiae ut supra sub 2;
   b) respectu formae, ut sub 3;
   c) relate ad usum, ita ut partim sit absolutae necessitatis, partim perspicuum et facile applicatu, ut sub 4. et 5.

Caput II.

De s. Scriptura ejusque interpretatione.

§. 10.

Definitio et dicendorum conspectus.

Per s. Scripturam intelligimus libros a viris divinitus inspiratis profectos, a concilio Tridentino sess. IV. tum quoad numerum, tum quoad partes definitos, qui historiam sacram et doctrinam revelatam continent.

Ex hac definitione jam patet, s. Scripturam summi esse momenti, esse *τὸ βιβλίον κατ' ἐξοχήν*, quod continet verbum Patris coelestis plenum gratia et veritate, et pertinere ad pretiosissimos, quibus ecclesia Christi gaudet, thesauros. — Verum his non obstantibus ecclesia christiana fundata et propagata non est per s. Scripturam, et haecce nec integram continet doctrinam christianam, neque in omnibus locis est clara. Genuina itaque ss. literarum interpretatio, ut propter indolem earum commemoratam est perquam difficilis, ita ob summum pretium est maxime exoptanda. Votis nostris Dominus satisfecit, infallibilem, authenticum nobis donans s. codicis interpretem, quo duce interpres doctrinalis, necessariis dotibus instructus, ad desideratum scopum feliciter enititur.

De singulis hisce jam paucis acturi demonstrabimus:

I. Definitionem nostram s. Scripturae esse veram;

II. ecclesiam christianam traditione esse fundatam propagatamque;

III. S. Scripturam non integram continere Jesu Christi et Apostolorum traditionem;

IV. eam non in omnibus locis esse claram;

V. Jesu Christi et Apostolorum doctrinam integram, pure et clare contineri in ecclesia Romano-catholica;

VI. ecclesiam catholicam authenticam esse ss. literarum interpretem;

VII. idem etiam a concilio Tridentino confirmari et accuratius determinari; hinc

VIII. ecclesiam in interpretationem s. Scripturae catholicam influere; propterea

IX. multa magnaque catholicam inter et mere rationalem s. Scripturae interpretationem intercedere discrimina; et denique

X. objectiones contra interpretationem catholicam motas nullius esse momenti.

§. 11.

I. Definitio s. Scripturae vindicatur.

Definitionem s. Scripturae superius datam vindicaturi dicimus:

A) Ss. libros a viris divinitus inspiratis profectos esse, seu eorum auctores fuisse inspiratos. Haec fides nostra

I. relate ad V. T. nititur non solâ persuasione Judaeorum, sed potius iis, quae de illius origine et auctoritate, de ejus momento ac pretio — infallibili certitudine ex ore divini magistri ejusque Apostolorum edocemur. Quod attinet

1. ipsum divinum magistrum,

a) Davidem in Spiritu Christum Dominum suum vocasse, expressis verbis declarat Mt. 22, 43., et quod Genes. 2, 24. sive Adam, sive Moyses edixisse legitur, Deo creatori clare tribuit Mt. 19, 5. Idem de reliquis ss. scriptoribus V. T. tenuisse Christum, omnis ejus agendi ratio hoc respectu manifestat; nam

b) S. Scriptura ei summa erat vitae norma, perfecta voluntatis divinae expressio relate ad munus, cui satisfacere, et respectu viae, in qua ad finem missionis suae assequendum ingredi deberet; hinc e ss. literis depromsit arma, quibus statim ab initio muneris sui publici tentatorem devicit profligavitque (Mt. 4, 4. 7. 10.); ideo licet qua Filius hominis, qui fratribus in omnibus similis factus est, et in omnibus tentatus, sicuti nos absque peccato (Hebr. 2, 17. 4, 15.) in horto Gethsemane dolores crucis horrendae praesentiens humi prostratus oraret: „Pater mi! si possibile est, transeat a me calix iste“ (Mt. 26, 39.): tamen Petri defensionem, utpote voluntati Patris in ss. literis manifestatae refragantem recusavit dicens: „An putas, quia non possum rogare Patrem meum, et exhibebit mihi plus quam duodecim legiones angelorum? Quomodo ergo implebuntur Scripturae, quia sic oportet fieri“? (Mt. 26, 53.)

c) Juxta haec principia Dominum in diversissimis adjunctis, cum variis hominibus, amicis et inimicis, agentem invenimus. Sic cum Pharisaei familiarem ejus conversandi rationem cum portitoribus vituperarent, verbis Oseae 6, 6. utens dicit: „Euntes discite, quid est: Misericordiam volo, et non sacrificium“ (Mt. 9, 13.) — Quum discipuli ejus ob spicas ad famem sedandam, sabbato evulsas et manibus tritas reprehenderentur: „Nonne legistis, inquit, quid fecerit David, cum esuriret ipse et qui cum eo erant“ etc.? (Mt. 12, 3. seqq.) — Legisperito interroganti: „Magister, quid faciendo vitam aeternam possidebo?“ respondit: „In lege quid scriptum est? quomodo legis?“ (Luc. 10, 25. 26.) — Pharisaeos congregatos ad silentium redegit quaestione propositâ: „Quid vobis videtur de Christo, cujus filius est?“ cumque illi respondissent: „Davidis,“ interrogare pergens: „Quomodo ergo David in Spiritu vocat eum Dominum suum dicens: Dixit Dominus Domino meo, sede a dexteris meis“ etc. (Mt. 22, 41—46.) — Sadducaeis, qui quaestione captiosa de mortuorum resurrectione eum tentabant, reposuit: „Erratis nescientes Scripturas neque virtutem Dei“ (Mt. 22, 29.) — Praeterea

d) frequenter provocat Dominus ad s. Scripturam ceu ad testimonium omni dubio majus Patris coelestis de ipso, deque munere suo ac fatis. Sic coll. Luc. 4, 16. seqq. Christo in synagogâ Nazarethae liber Isaiae traditus est, ut pro more judaico pericopam quamdam legeret exponeretque; et cum evolvisset librum, invenit locum

(c. 61.), ubi scriptum exstat: „Spiritus Domini super me etc.," et coepit dicere ad illos: Hodie impleta est haec Scriptura in auribus vestris." Tum haec verba Domini, tum admiratio Nazarethanorum et eorum quaestio indignabunda: „Nonne hic est filius Joseph?" luculenter docent, Christum semet immediatum illius prophetiae objectum declarasse, et proinde eum, in quo solo illud vaticinium adimpleretur auditoribus repraesentasse; et veram fuisse hanc Domini assertionem, tenor illius loci prophetici cum persona et vita Jesu Christi collatus clarissime ostendit. Prout loco citato de Isaia, ita Jo. 5, 46. de Moyse eadem certitudine testatur Dominus: „De me ille scripsit," et ibid. v. 39. de ss. Scripturis in genere: „Illae sunt, quae testimonium perhibent de me". Hinc Christus, quotiescunque praedicit, quae sibi Hierosolymis eventura sint, diserte provocat ad illa, quae de ipso scripta exstent et impleri debeant. Sic Luc. 22, 37. brevi ante passionem suam declarat: „Dico enim vobis, quoniam adhuc hoc, quod scriptum est (Is. 53, 12.), oportet impleri in me: Et cum iniquis deputatus est", et dum coll. Mt. 26, 30. seqq. peractâ ultimâ coenâ paschali in montem Oliveti abiret, asserit, prophetiam (Zach. 13, 7.): „Percutiam pastorem, et dispergentur oves", in Apostolis suis fugam capturis hac ipsa nocte impleri debere. Etiam ipsâ resurrectionis suae die nihil magis curae erat Domino, quam discipulos suos edocere, juxta vaticinia prophetarum oportuisse pati Christum, et sic intrare in gloriam suam, et incipiendo a Moyse et prophetis illis interpretari in omnibus Scripturis, quae de ipso erant coll. Luc. 24, 25—27. 44—48. — *Si ex dictis jam cognoscimus, ss. literas Christo non fuisse scripturam humanam, antiquitate solum venerabilem, sed divinam, ob originem ergo suam, argumentum ac scopum summae auctoritatis opus maximi habendum: Dominus denique*

c) de valore perpetuo, de auctoritate nunquam infringendâ s. Scripturae V. T. omne removit dubium dicens Mt. 5, 17—19.: „Nolite putare, quoniam veni solvere legem aut prophetas; non veni solvere, sed adimplere. Amen quippe dico vobis, donec transeat coelum et terra, jota unum aut unus apex non praeteribit a lege, donec omnia fiant. Quicunque ergo solverit unum de mandatis istis minimis et docuerit sic homines, minimus vocabitur in regno coelorum; qui autem fecerit et docuerit, hic magnus vocabitur in regno coelorum". — *Quodsi*

2. ad Apostolos respiciamus, hi quoque inde ab emissione Spiritus s. eandem cum magistro suo divino de origine, argumento, fide et auctoritate s. Scripturae firmissime tenuerunt persuasionem; nam

a) s. Scripturam aperte declarant inspiratam i. e. eam, per cujus auctores Deus, Spiritus s., Spiritus Christi locutus est. Sic s. Petrus in II. ep. 2, 21. affirmat: „Non enim voluntate humanâ allata est aliquando prophetia, sed Spiritu s. inspirati locuti sunt sancti Dei homines"; praeterea in I. ep. 1, 11. ait, Spiritum Christi prophetis praenuntiasse „eas, quae in Christo sunt passiones et posteriores glorias", et Act. 3, 21. dicit Jesum Christum oportere „coelum suscipere usque in tempus restitutionis omnium, quae locutus est Deus per os sanctorum suorum a saeculo prophetarum." — Quod s. Petrus de propheticis, s. Paulus de omnibus

scriptis V. T. asserit; nam in II. Tim. 3, 16, 17. scribit: „Omnis Scriptura divinitus inspirata utilis est ad docendum, ad arguendum, ad corripiendum, ad erudiendum in justitia, ut perfectus sit homo Dei et ad omne opus bonum instructus.“ Cfr Hebr. 1, 1. 2. Idem Apostolus in 14 suis epistolis circiter ducenties ad s. Scripturae effata ceu ad oracula divina provocat. Ideo Apostoli

b) *s. Scripturam vitae magistram ac regulam ad salutem consequendam declarant.* Sic s. Paulus Rom. 15, 4. dicit: „Quaecunque enim scripta sunt, ad nostram doctrinam scripta sunt, ut per patientiam et consolationem Scripturarum spem habeamus“, et in II. Tim. 3, 15. docet, ss. literas posse instruere ad salutem per fidem, quae est in Christo Jesu. Cfr I. Cor. 10, 6—11. — Porro

c) *s. Scripturam prophetiam in Christum et N. T. tum directam, tum indirectam declarant.* Sic s. Petrus in II. ep., 1, 19—21. scribit: „Et habemus firmiorem, propheticum sermonem, cui bene facitis attendentes quasi lucernae lucenti in caliginoso loco, donec dies illucescat, et lucifer oriatur in cordibus vestris.“ Huic prophetico sermoni innixus Apostolorum princeps statim festo pentecostes Christi resurrectionis et exaltationis ad dexteram Patris necessitatem ostendit coll. Act. 2, 22—36., et s. Matthaeus Christi facta fataque secundum divina V. T. oracula evenisse per integrum Evangelium suum demonstrat. S. Paulus instituta antiqua oeconomiae novae dicit umbram (Coloss. 2, 17., Hebr. 8, 5. 10. al.), finem legis Christum (Rom. 10, 4.), legem paedagogum nostrum in Christum (Gal. 3, 24.), in quo removetur velamen, quod usque in hodiernum diem, cum legitur Moyses, positum est super cor Judaeorum (II. Cor. 3, 13—16.), et s. Joannes Apoc. 13, 8. Christum vocat agnum, qui occissus est ab origine mundi, nimirum in typis. Quid? quod Apostoli

d) *s. Scripturam activitatis Filii Dei jam ante incarnationem ejus quasi delineationem historicam repraesentant, quatenus eum creatorem universorum, mediatorem omnium operum Dei omniumque institutorum divinorum in salutem hominum proponunt, et omnes revelationes coelestes ad eum auctorem referunt.* Sic s. Joannes his grandibus verbis Evangelium suum exorditur: „In principio erat Verbum, et Verbum erat apud Deum, et Deus erat Verbum. Omnia per ipsum facta sunt, et sine ipso factum est nihil, quod factum est. In ipso vita erat, et vita erat lux hominum, et lux in tenebris lucet, et tenebrae eam non comprehenderunt.“ Hisce Apostolus ei, de quo v. 14. dicit: „Et Verbum caro factum est et habitavit in nobis, et vidimus gloriam ejus, gloriam quasi unigeniti a Patre plenum gratiae et veritatis,“ et de cujus visibili his in terris commoratione qua spectator auditorque in Evangelio suo testimonium perhibet; hisce, inquam, Apostolus Filio Dei existentiam personalem ante res conditas, ergo aeternitatem, porro divinam naturam, universorum creationem adscribit, et lucem ac vitam (revelatorem divinitatis, principium, auctorem et fontem omnis boni ac salutaris in cognoscendo et agendo) appellat (Cfr. Christi ipsius prorsus consentiens testimonium Jo. 8, 58., 14, 16.). Ita et s. Paulus Jesum Christum, divinam ejus naturam respiciens cum humanâ in una persona unitam, Hebr. 1, 3., Coloss. 1,

16. 17. al. nominat eum, in quo condita sunt universa in coelis et in terra, visibilia et invisibilia, qui est ante omnia et in quo omnia constant, qui portat omnia verbo virtutis suae. Unde explicatur, quomodo plura effata, testimonia et revelationes V. T., quarum auctor aut objectum Deus in genere nominatur, in N. F. directe ad Christum referantur. Sic s. Paulus I. Cor. 10, 4. seqq. Christum designat ducem populi israëlitici per desertum, et omnia peccata ejusdem in transmigratione contra illum commissa respici vult. De Christo, Dei Filio, ad Hebr. 1, 10. Apostolus adhibet verba Psalmi 102, 25—27.: „Tu Domine ab initio terram fundasti, et opera manuum tuarum sunt coeli;“ de eodem 1, 6. intelligit, quae legimus Ps. 97, 7.: „Et adorent eum omnes angeli Dei“; de eodem interpretatur s. Joannes magnificam illam visionem Is. 6, 1—3., quando propheta vidit Dominum sedentem super solium excelsum et elevatum, et Seraphim audivit adorationem, quam obtulerunt Domino Deo exercituum; nam Apostolus, quum verba Is. 6, 9. 10. attulisset et dixisset, ea Christi aetate esse adimpleta, emphatice adjungit 12, 41.: „Haec dixit Isaias, quando vidit gloriam ejus (Christi), et locutus est de eo.“ Cfr. Mt. 21, 16. — *Haec sufficient, ut perspiciamus, a* Christo *et Apostolis auctores V. T. librorum inspiratos esse habitos* *).

§. 12.

Continuatio**).

Quod attinet

II. N. F. scriptores sacros, talem declarationem disertam de eorum inspiratione nullibi quidem reperimus; attamen de promissione auxilii extraordinarii Apostolis in munere exercendo adfuturi, in pluribus locis legimus. Sic

a) Christus mature jam Apostolis, cum nempe prima vice regnum Dei annuntiaturi emitterentur, hocce auxilium promisit, dum eis, ne animum ob calamitates sibi praedictas desponderent, dixit Mt. 10, 19. 20.: „Cum autem tradent vos, nolite cogitare, quomodo aut quid loquamini; — non enim vos estis, qui loquimini, sed Spiritus Patris vestri, qui loquitur in vobis.“ Cfr Mr. 13, 11. Luc. 12, 11. 12.

b) Clarius de hoc auxilio loquebatur Dominus appropinquante tempore, quo ex hisce terris discessurus, et suis operique suo non amplius visibiliter adfuturus esset; nam finitâ ultimâ coenâ paschali sic alloquebatur Apostolos Jo. 16, 16. 18.: „Ego rogabo Patrem, et alium paraclitum dabit vobis, ut maneat vobiscum in aeternum. — Non relinquam nos orphanos; veniam ad vos.“ Cfr Jo. 15, 26. 16, 7. Luc. 24, 49. Act. 1, 4. 5. 8. Auxilium hocce extraordinarium, paraclitus Christi vice fungens, est Spiritus s., qui dicitur Spiritus veritatis, quem mundus non potest accipere, Apostoli vero cognituri

---

*) Cfr Vorlesungen über die Christologie des alten Testamentes von G. Meinertshagen. Bremen 1843.

**) Cfr Drey's Apologetik tom. III. pag. 51. seqq.

essent utpote apud eos mansurum et in eis futurum Jo. 14, 17. 15, 26. 16, 13.; qui esset eos omnia edocturus, i. e. sensum et intelligentiam omnium reseraturus, et omnia suggesturus, i. e. in memoria eorum renovaturus, quaecunque Christus eis dixit, Jo. 14, 26.; omnem veritatem manifestaturus vel eorum, quae Apostoli tum temporis nondum portare valebant, Jo. 16, 12. 13.; non autem plane nova communicaturus, sed Christi doctrinam uberius tantum expositurus, Jo. 16, 14. 15. — *Promissionem hancce adimpletam esse, fasti ecclesiae docent, proindeque Apostoli historiam et doctrinam Christi praedicantes erant inspirati. Verum enimvero eodem Spiritus s. auxilio gaudentes etiam scripsisse censendi sunt; nam viva praedicatio et scriptura non essentiale discrimen constituunt, sed non sunt, nisi diversi unam eandemque rem communicandi modi, et quidem prior ratione habitâ hominum praesentium, altera respectu absentium; quod itaque de eorum praedicatione arali valet, intelligi etiam debet de ipsorum scriptis, in quibus Apostoli munere suo evangelico fungentes, et de loco in locum migrantes necessitate urgente, et Spiritus s. assistentia nunquam destituti (Jo. 14, 17. Act. 2, 4.) aut synopsin totius Evangelii exhibere, aut singulas partes uberius tractare opportunum censebant. — Quodsi denique*

c) ipsos Apostolos audiamus, hi scripta sua non quidem inspirata dicunt, ut illa prophetarum, attamen hisce aequiparant, quia idem Spiritus s., qui illis futura revelavit, etiam in praecones Evangelii descendit (I. Petri 1, 12.); *praeterea per Spiritum sanctum se evectos esse asserunt ultra limites sapientiae et sermonis humani ad scientiam sapientiae Dei et mysteriorum ejus mundo absconditorum, quae non persuasibilibus humanae sapientiae verbis, sed in ostensione Spiritus et virtutis praedicarent* (I. Cor. 2, 4—13.); *in conciliis et deliberationibus suis se Spiritus s. praesidio gaudere declarant* (Act. 15, 28.); *sub ejusdem munimine se totam ecclesiam dirigere fatentur et factis ostendunt, dum fraudem in se commissam mendacium contra Spiritum s. declarant et morte repentina puniunt* (Act. 5, 3—10.); *denique de singulis tum objectis tum personis peculiares quoque illustrationes a Spiritu s. effectas narrant,* ut Act. c. 10. et 13, 2—4. c. 9. II. Cor. 12, 1. seqq. Gal. 2, 2. — ***Hisce probe perpensis patet, Apostolos non tantum praedicantes, sed etiam scribentes fuisse inspiratos**).**

§. 13.

Continuatio.

Ast difficilior est quaestio, quidnam sit inspiratio, quum eam neque ecclesia definierit, nec ss. Patres et eruditi Catholici hac de

*) S. Marcus et s. Lucas non Apostoli quidem, attamen discipuli eorum et comites erant; ab eis qua inspiratis factorum, fatorum et doctrinae Christi cognitionem puram et illibatam acceperunt, et denique traditione testante prior sub influxu et directione s. Petri, alter vero sub auspiciis s. Pauli Evangelium suum scripsit; quare uterque recte eoque majori jure inspiratus habetur, quum inspiratio non esset privilegium in commodum personae, sed donum in utilitatem Evangelii concessum, cujus participes erant, quos vel Christus, vel Apostoli hunc in finem elegerunt. Cfr I. Cor. 16, 10. I. Thess. 3, 2. II. Tim. 4, 1—5. Tit. 1, 5. II. Tim. 1, 14.

re consentiant. Trifariam tamen sententiae praecipuae dividi possunt, nimirum illorum, qui rigidiorem, qui laxiorem notionem tenent et eorum, qui mediâ viâ incedunt.

Priores, ad quos et antiquiores Protestantes pertinent, *statuunt, scriptores sacros tantopere actos fuisse per Deum, ut hujus nonnisi instrumenta essent, reliqua vero omnia Spiritus s. efficeret, ita ut ad scribendum moveret, in ipso scribendi actu duceret, instrueret, illustraret, et non tantum ab omni errore praemuniret, sed singula etiam verba suppeditaret. — Alterius sententiae propugnatores, in quorum castra etiam plures Catholicorum convolant, Spiritum s. solum praecavisse censent, ne sacri auctores in rebus fidei et morum errorem committerent, reliqua vero omnia illis libera reliquisse, ita ut v. g. in historicis, chronologicis, geographicis et topographicis errare possent. — Qui denique media incedunt via, per inspirationem intelligunt talem Spiritus s. in scriptores sacros influxum, vi cujus facultates eorum spirituales et morales non sublatae, sed ad majorem perfectionis gradum evectae erant, ita quidem, ut eorum libri ad Deum auctorem jure referantur, propter hanc originem, tenorem suum et auctoritatem recte dicantur sacri*) et ab omnibus scriptis humanis sint distincti.*

Quod jam primum de inspiratione placitum attinet, eidem ipsa s. Scripturae indoles et ss. auctorum conditio adversatur; etenim α) tantum abest, ut motivum divinum ad scribendum semper commemoretur, ut potius saepe expresse nominetur occasio humana, sita nempe in variis adjunctis et indigentiis primorum lectorum, ut Luc. 1, 1—4. I. Cor. 1, 11. 5, 1. 7, 1. al.; *praeterea β) institutio immediate divina et directio non in omnibus, quae scripta sunt, necessaria erat, quum scriptores sacri haud raro ipsi interfuerint rebus gestis, quas in memoria retinere et absque omni erroris periculo literis consignare poterant; denique γ) humana quoque industria ex ipsis libris sacris elucet, dum diversitas non tantum dictionis et styli. sed etiam culturae scribentium et frequentiores ejusdem rei aut in iisdem, aut in diversis scriptis repetitiones inveniuntur.*

Respectu alterius definitionis observamus: a) Ecclesia cath. tale discrimen inter dogmatica et historica librorum biblicorum plane ignorat; potius eos integros divinos et sacros habet; b) historicis dogmatica plerumque superstruuntur, quare illa quoque essentialia sunt, et, ut sub Spiritus s. directione scriberentur, digna erant; pugnae autem, quae in partibus historicis inter scriptores sacros locum habere videntur, non hisce, sed aut textus corruptioni, aut interpretis imperitiae adscribendae sunt; c) precum publicarum ab universali ecclesia introductarum formulae, decisiones conciliorum oecumenicorum dogmaticae, plura Patrum scripta ab ecclesia approbata, in quibus omnibus verbum divinum absque errore continetur, illâ sententiâ de inspiratione admissâ s. Scripturae essent

---

*) *Τὰ ἱερὰ γράμματα* II. Tim. 3, 15.; *γραφαὶ ἅγιαι* Rom. 1, 2.; *βιβλία τὰ ἅγια* I. Macch. 12, 9.

aequiparanda; d) antiquitatis testimonia licet variis modis expressa multo plus per inspirationem intelligunt; quod e) et effatum s. Pauli I. Cor. 2, 13. confirmat; denique f) ejusmodi distinctio inter dogmatica et historica opus divinum ad trutinam humanam nimium expendit.

Quae cum ita sint, tertia sententia probanda est, quum sola Deo digna sit, ss. scriptorum conditioni internae et externae conveniat, nec non ss. librorum indoli respondeat. — Quid vero Spiritus s. in singulis s. Scripturae partibus effecerit, nos, nisi speciatim adnotetur, determinare aeque non valemus, ac gratiae in nobis operantis vim et influxum demetiri non possumus; nam (ut verbis utamur viri de Theologia dogm. suo tempore optime meriti) „suaviter et mirabili modo Creator Spiritus in animum hominum illabitur, ita ut vim ejus tum demum sentiant, quum ponderatis naturae viribus opera a se perfecta admirantur suo ingenio et arte superiora, qualia nonnisi Deo opitulante proferri possunt. Tale opus s. Scripturam esse, quisque persentiet, qui indolem ejus legendo, meditando, imitando noverit.“ — Sive itaque Spiritus s. scriptores sacros in voluntatem eorum influendo ad scribendum fortius leniusve moverit; sive mentem illustrando scribentium ideas minus claras clariores reddiderit, aut ex totius historiae ambitu et doctrinae revelatae summa ea suggesserit, quae pro scopo divino necessaria erant; sive memoriam adjuvando in rebus, quas vel experti erant, vel aliunde sciebant, errorem praecaverit; sive ipsa verba suppeditaverit, quodsi ab eorum selectu verus sensus dependebat; sive, inquam, Spiritus s. unum alterumve effecerit, sive pro sapientia sua infinita et pro re nata plures illorum modorum elegerit, et reliqua ipsis auctoribus sibi sufficientibus reliquerit: omni jure dicitur auctor hujus Scripturae, in quo rei cardo versatur, et quod testimoniis ipsorum ss. librorum et antiquitatis ecclesiasticae, nec non verbis concilii Tridentini sess. IV. in decreto de canonicis Scripturis edocemur.

B) *Sacros libros* (ut ad alteram definitionis nostrae partem respiciamus) *tum quoad numerum, tum quoad partes concilium Trid. in decreto mox laudato his verbis definivit*: „Sacrorum vero librorum indicem huic decreto adscribendum censuit (concilium), ne cui dubitatio suboriri possit, quinam sint, qui ab ipsa synodo suscipiuntur. Sunt vero infra scripti, testamenti veteris: quinque Moysis, i. e. Genesis, Exodus, Leviticus, Numeri, Deuteronomium, Josue, Judicum, Ruth, quatuor Regum, duo Paralipomenon, Esdrae primus et secundus, qui dicitur Nehemias, Tobias, Judith, Hester, Job, Psalterium davidicum centum quinquaginta Psalmorum, Parabolae, Ecclesiastes, Canticum canticorum, Sapientia, Ecclesiasticus, Isaias, Hieremias cum Baruch, Ezechiel, Daniel, duodecim prophetae minores, i. e. Oseas, Joël, Amos, Abdias, Jonas, Michaeas, Nahum, Abacuc, Sophonias, Aggaeus, Zacharias, Malachias; duo Macchabaeorum, primus et secundus.

Testamenti novi: quatuor Evangelia secundum Matthaeum, Marcum, Lucam et Joannem; actus Apostolorum a Luca Evangelista conscripti; quatuordecim epistolae Pauli Apostoli: ad Romanos, duae

ad Corinthios, ad Galatas, ad Ephesios, ad Philippenses. ad Colossenses, duae ad Thessalonicenses, duae ad Timotheum. ad Titum, ad Philemonem, ad Hebraeos; Petri Apostoli duae. Joannis Apostoli tres, Jacobi Apostoli una, Judae Apostoli una, et Apocalypsis Joannis Apostoli. Si quis autem libros ipsos integros cum omnibus suis partibus, prout in ecclesia catholica legi consueverunt, et in veteri vulgata latina editione habentur, pro sacris et canonicis non susceperit, et traditiones praedictas sciens et prudens contempserit, anathema sit." — *Denique*

C) sacros libros continere historiam sacram et doctrinam revelatam, neminem lectorum latere potest; etenim quod attinet historiam, haec narrat, quomodo Dei omnipotentiâ summâque sapientiâ mundus, et in specie homo creatus, quibus dotibus hic ornatus, quomodo a Patre benignissimo institutus, a sanctissimo probatus, a summe misericorde post lapsum erectus et ductus sit; quomodo Deus ad conservandam sui cognitionem e generatione depravata primo patriarchas, dein eorum posteros, gentem hebraicam elegerit, legibus munierit, jam his in terris probos praemiis, immorigeros vero et obstinaces poenis affecerit, populum electum per fausta et adversa, modis ordinariis et extraordinariis educaverit, et Messiae, per legem et prophetas promisso ac praesignificato, i. e. Salvatori lapsi generis humani praeparaverit; quomodo denique in plenitudine temporum Filium suum unigenitum miserit, et novam salutis oeconomiam, in qua „gratia et veritas facta est" (Jo. 1, 17.), *fundaverit propagaveritque etc.* Quae jam hac historiâ sublimior, quae sanctior cogitari posset? — *Doctrinam autem biblicam esse revelatam*, ut paucis dicamus, *comparatio ejus cum entis infiniti naturâ, cum hominis indole et indigentiis desideriisque unâ, et cum reliquarum gentium religionibus, imo cum celebratissimorum philosophorum commentis alterâ ex parte luce clarius ostendit.*

§. 14.

II. Ecclesia christiana traditione est fundata ac propagata*).

Per traditionem hic intelligimus oralem, vivam Jesu et Apostolorum institutionem.

1. *Cum omnis educatio humana, omnis cultura generis humani a traditione — institutione orali — exordiatur et perficiatur: quis non agnoscat sapientiam divinam, si ad introducendam ac per orbem terrarum dilatandam novam salutis oeconomiam, ad educationem fidelium illud elegit medium, quod naturae humanae adeo*

---

*) Cfr. hic et in seqq. §§. Alzog: De interpretatione s. Scripturae catholica; Wittmann: Katholische Principien von der heil. Schrift, Landshut 1834.; Franz Vogel: Die heil. Schrift und ihre Interpretation durch die heil. Väter der Kirche. Augsburg und Regensburg 1836.; la lecture de la sainte Bible en langue vulgaire par Malou, II tomi. Louvain 1846.; Dreys Apologetik tom. III.

est accommodatum, teste historia et experientia efficacissimum et fini maxime respondens *)? *Revera autem*

2. *per traditionem ecclesiam Christianam esse fundatam propagatamque, ipsae sacrae paginae docent;* nam

a) Testantibus Evangeliis Christus totam Palaestinam peragrans viva voce in synagogis Judaeorum praedicavit; turbas ad se congregatas edocuit; homines diversos et ipsos Apostolos publice ac privatim instituit.

b) Etiam Apostolos Dominus ad id misit in mundum, ut praedicarent, dicens Mt. 10, 27. „Quod in aure audistis, *praedicate* super tecta"; Mr. 16, 15. „Euntes in mundum universum, *praedicate* Evangelium omni creaturae"; Mt. 28, 19. 20. „Euntes ergo *docete* (discipulos facite) omnes gentes, — *docentes* eos servare omnia, quaecunque mandavi vobis." Huic Domini mandato obsecuti

c) Apostoli „profecti praedicaverunt ubique, Domino cooperante et sermonem confirmante sequentibus signis." Mr. 16, 20. „Et praecepit nobis, ait s. Petrus Act. 10, 42., *praedicare* populo et testificari, quia ipse est, qui constitutus est a Deo judex vivorum et mortuorum."

Traditione itaque Apostolorum usque ad fines orbis terrarum resonante mundus est conversus („fides ex auditu, auditus autem per verbum Christi" Rom. 10, 17). In quocunque coetu ab Apostolis fundato eadem doctrina erat deposita ope ejusdem Spiritus s., qui omnibus Apostolis erat promissus ac datus, ita, ut in tota ecclesia ubique terrarum diffusa eadem praedicaretur fides, eadem annuntiaretur spes, charitas eadem commendaretur, et quilibet coetus tecens collectus matris ecclesiae universalis accuratus esset ecrypus **).

§. 15.

II. Sacra Scriptura non integram continet Jesu Christi et Apostolorum traditionem.

Licet ecclesia christiana fundata et propagata sit sola traditione; licet eâdem solâ etiam integra doctrina Christi, singulari Spiritus

---

*) Unter den Mitteln, wodurch Ideen und Thatsachen historisch überliefert werden, steht die Rede oder das lebendige Wort oben an. Sie ist an sich das ursprüngliche und natürliche Mittel der Mittheilung an Andere, welches in allen Menschen sich mit dem Denk- und Begehrungsvermögen gleichförmig entwickelt; darum ist sie auch in geschichtlicher Beziehung das älteste Mittel der Uiberlieferung an die Nachwelt, welches in der Form von Sage und Tradition noch neben den andern Arten der Uiberlieferung fortdauert; sie ist das Band des geselligen Lebens, das Vermittelnde im täglichen Verkehr, das unentbehrliche Vehikel der menschlichen Bildung und Erziehung; sie ist endlich in der letztern Beziehung für die Anregung Anderer das lebendigste, für die Vollständigkeit der Belehrung das bequemste, für den Zweck der richtigen Auffassung. das zuverlässigste Mittel der Mittheilung, da die Wechselwirkung von Frage und Antwort Mangelhaftigkeit und Missverstand am leichtesten und schnellsten beseitigen kann. Drey's Apologetik III, §. 4, pag. 17.

**) Cfr. v. Drey's Apologetik tom. 3, §. 11, pag. 61 seqq.

a munimine gaudens, ad consummationem saeculi usque conservari potuisset pura: supremo tamen Numine sapientissimis ex causis sic moderante nonnulli Apostolorum et duo ex comitibus eorum serius etiam scripta ediderunt, quin tamen omnia conscribere vellent, quae ipsi erant edocti. *Ut enim statui posset, sacros N. T. auctores integram Jesu Christi doctrinam literis consignare voluisse, merito postularetur vel exemplum vel praeceptum Domini Apostolis hunc in finem datum, vel saltem tale argumentum, quo, illud ex Apostolorum conspiratione esse factum, certo evinceretur. Verum quemadmodum Christus ipse nihil scripto reliquit, ita et (coll. §. praec.) Apostolos jussos esse conscribere, quae erant edocti, nullibi legimus. Neque Apostolos ad finem istum assequendum conspirasse, demonstrari potest; contrarium potius elucet ex occasione et scopo, ex argumento et effatis ipsorum N. T. librorum, nec non e persuasione omnium ecclesiae Patrum. Quod*

a) occasionem librorum N. T. attinet, hi omnes, ut neminem, qui vel obiter sacrum codicem pervolverit, latere potest, originem debent aut peculiaribus integrorum coetuum adjunctis et indigentiis, quae specialem institutionem desiderabant, i. e. vel nuntiis allatis et quaestionibus propositis; vel exorto statui inordinato; vel erroribus pullulantibus; vel grassantibus calamitatibus; *aut singularum personarum muneri, officiis et relationibus, quae specialia praecepta et monita necessaria reddebant.* Nisi v. g. inter Palaestinenses fuissent, qui Jesum Messiam promissum esse negarent; nisi s. Marcus a Christianis Romanis esset rogatus; nisi in Asia minori de divina Jesu Christi natura dubia essent exorta: Evangelium s. Matthaei, s. Marci et s. Joannis fors nunquam esset conscriptum. Idem valet de reliquis N. T. libris. *Prout vero occasio erat varia, ita et*

b) scopus ss. librorum non poterat non esse diversus, ita quidem, ut quilibet hagiographorum nonnisi tantum et illud conscriberet, quantum et quod ad assequendum finem peculiarem, circumstantiis obviis respondentem, necessarium videbatur. Hisce probe perpensis de conspiratione N. T. auctorum ad integram Jesu Christi doctrinam conscribendam sermo esse nequit. Eam porro excludit

c) argumentum N. T. librorum; nam ut nihil dicamus de pluribus doctrinis, quae communiter agnoscuntur, quin in s. Scriptura consignatae legantur, v. g. de Canone ss. literarum, de die dominicâ loco sabbati celebrandâ, de paedobaptismo, de valore baptismi ab haereticis collati etc.: non desunt phaenomena, quae cum conspiratione N. T. auctorum conciliari nequeunt. Quomodo enim explicari posset, qui factum sit, ut frequenter occurrant pugnae apparentes? ut de una eademque materia pluribus in scriptis fiat sermo, dum alia semel tantum et paucis innuuntur? ut scriptores sacri non ad invicem provocent, aut non obstante summâ sinceritate sua de tali conspiratione nunquam mentionem faciant? Ast Apostolos ad omnia scribenda non conspirasse, luculenter docent

d) aperta quoque ipsorum ss. librorum effata. Sic s. Paulus in II. Thess. 2, 15 monet: „Fratres! state et tenete traditiones, quas

idicistis sive per sermonem, sive per epistolam nostram"; in II. Tim. , 2: „Quae audisti a me per multos testes, haec commenda fideliῳs hominibus, qui idonei erunt et alios docere." Prior locus deιonstrat, duplicem fontem doctrinae christianae commendasse Apoιolum, nimirum oralem institutionem et epistolas suas; alter vero stendit, gentium doctorem institutioni suae viva voce factae summum ibuisse momentum, et accuratam ejus conservationem ipsi maxime ordi fuisse. *Hoc ipsum edocemur ab Evangelistis, utpote qui saepe utentur, multa de vita Jesu Christi silentio esse praetermissa,* uti oann. 20, 30. 21, 25. et coll. Act. 1, 3 illos certe gravissimi moιenti sermones, a Jesu redivivo ad discipulos habitos chartae manare intermiserunt. Cfr. Luc. 24, 27. I. Cor. 11, 2. — Denique

e) *ss. Patres quoque eandem nobiscum de s. Scriptura tenent ententiam.* Sic v. g. *Tertullianus* adductis partim dogmaticis, partim isciplinaribus materiis dicit: „Harum et aliarum ejusmodi disciplinaum si legem expostules scripturarum, nullam invenies; traditio tibi raetendetur auctrix, consuetudo confirmatrix, et fides observatrix." oron. mil. c. 3. — *S. Stephanus Papa*: „Nihil, inquit, innovetur, nisi uod traditum est, ut manus imponantur in poenitentiam." Apud s. yprian. ep. 74 ad Pompej. — *S. Basilius* ait: „Dogmatum et instiιtionum, quae in ecclesia servata sunt, alia quidem habemus in dorina, quae literis consignata est, alia vero ex Apostolorum tradione ad nos transmissa in mysterio accepimus. Quae utraque eanem vim ad pietatem habet." Lib. de Sp. s. cp. 27. — *S. Chrysoomus* hom. 4. in II. Thess. in locum: „State et tenete traditiones" a commentatus est: „Hinc est perspicuum, quod non omnia tradideunt (Apostoli) per epistolam, sed multa etiam sine scriptis, et ea uoque sunt fide digna. — Est traditio, nihil amplius quaere." — . *Epiphanius* ad I. Cor. 11, 2 respiciens dicit haeres. 61: „Sed et aditione opus est, neque enim ex Scripturis peti possunt omnia. Icirco alia scripto, traditione alia sanctissimi Apostoli reliquerunt." - *S. Hieronymus* in dialogo adv. Luciferianos c. 4. ait: „Quaeris, bi scriptum sit (de Sacram. Confirmationis)? In Actibus Apostoloum. Etiamsi Scripturae auctoritas non subesset, totius orbis in hanc artem consensus instar praecepti obtineret. Nam et multa alia, quae er traditionem in ecclesiis observantur, auctoritatem sibi scriptae egis usurparunt." Quare et *S. Augustinus* lib. I. de baptismo c. 3: „Sunt multa, inquit, quae universa tenet ecclesia, et ob hoc ab postolis bene praecepta creduntur, quamquam scripta non reperiιtur." Cum hisce et reliqui Patres consentiunt.

§. 16.

IV. Sacra Scriptura non ubique locorum est clara.

Id aperte docent: rei natura, experientia, testimonium ipsius Scripturae, professio nec non agendi ratio ss. Patrum.

1. *Rei natura. Nam a) cujusvis doctrinae pars ex integro ystemate, ex genio totius intelligenda est; quare maximae diffiultates recurrunt in interpretando libro, qui lacunis seu defecti-*

bus laborat; jam vero scripta nostra apostolica ejusmodi exhibent defectus, qui quidem non temporum injuriis, attamen (coll. §. praec.) *peculiari ss. auctorum consilio originem debent, ideoque in pluribus partibus non possunt non esse ambigua et obscuriora; b) licet scripta nostra sacra primis lectoribus essent clara, tempora tamen et homines, lingua et stylus successive mutabantur, unde fit, ut s. Scriptura, quo longius lectores ab aetate originis ejus remoti sunt, eo obscurior reddatur, idque eo magis, quod c) ss. literae partem continent revelationis divinae, quae complectitur sublimia et profunda Dei mysteria a constitutione mundi abscondita, sapientiam menti humanae imperviam, per prophetas annuntiatam, in Christo manifestatam, per Apostolos praedicatam, in quam angeli desiderant prospicere* (Mt. 13, 35. I. Cor. 2, 7. I. Petr. 1, 12.); *dum homines sibi solis relicti, ut de variis eorum praejudiciis, studiis ac desideriis nihil dicamus, jam ob naturalem suam infirmitatem omnibus communem in rebus altioris ordinis magis minusve caecutiunt.*

2. *Experientia, diversae nimirum, haud raro sibi adversae, imo et absurdae impiaeque sententiae, s. scripturae locis per octodecim saecula ab illis interpretibus subjectae, qui, licet nonnunquam magno eruditionis apparatu instructi, suo tamen ipsorum indulserunt ingenio.* Sic jam *Vincentius Lerinensis* commonit. c. 2. conqueritur: „Sacram Scripturam alius aliter interpretatur; aliter namque illam Novatianus, aliter Sabellius, aliter Donatus exponit, aliter Arius, Eunomius, Macedonius, — aliter postremo Nestorius.“ Quantam nominum seriem hodie addere possemus! Quodsi ad interpretationes respicimus, quas non tantum saecula lapsa, sed et recentissima tempora ex parte Acatholicorum parturierunt: nonne verum invenitur Werenfelsii de s. Scriptura dictum:

„Hic liber est, in quo quaerit sua dogmata quisque,
„Invenit et pariter dogmata quisque sua?“

Quod certe fieri non posset, si s. Scriptura ubique esset sat clara. — Neque deest

3. *Testimonium ipsius s. Scripturae idem confirmans; ipse enim Apostolorum princeps profitetur, in epistolis Paulinis nonnulla esse obscuriora et ideo difficilia intellectu,* dicens in II. ep. 3, 16: „In quibus (epistolis Pauli Ap.) sunt quaedam difficilia intellectu, quae indocti et instabiles depravant, sicut et ceteras Scripturas, ad suam ipsorum perditionem.“ Quodsi jam aevo Apostolorum in ss. literarum interpretatione indoctis instabilibusque erroris janua late patebat: quanto majus ac propinquius nostris temporibus erroris erit periculum! Quis enim tot saeculis ab aevo biblico remotus, quis exempli Origenis memor adeo doctum, adeo stabilem ac firmum se existimet, ut ab errandi periculo sese credat alienum? Si simul in censum veniant hominum multorum praejudicia, studia ac desideria, fastus, lucri cupiditas, nova dicendi et litigandi libido: quam infirmis fides nostra niteretur fundamentis, e sola Scriptura s. petitis! Quam variis una et aeterna Christi doctrina commentis humanis laceraretur, cum tamen Deus, ejus auctor, non sit Deus dis-

cordiae et dissensionis, sed pacis et concordiae! I. Cor. 14, 33 *).

4. *Professio ss. Patrum.* Sic, ut de aliis taceamus,

Clemens Alex. strom lib. VI: „Neque enim, inquit, prophetia, neque ipse Salvator adeo crasse et generaliter est elocutus divina mysteria, ut ea facile capi possent a quibuslibet." — *Origenes* pluribus in locis idem profitetur, et lib. IV. contra Celsum ait: „Scriptura revera multis in locis est obscura." — Ad quid denique

5. *Patres primorum saeculorum tantam investigandae, commendandae ac defendendae traditioni apostolicae navassent operam, si in ss. literis plena et perspicua fidei inveniretur norma?* Sic Eusebio referente s. Ignatius, cum catenis vinctus et satellitibus cinctus per Asiam duceretur Romam, singularum civitatum coetus christianos, ut apostolicae tenerentur traditiones, paterne hortatus, et hasce literis consignare conatus est; traditiones investigaturus itinera suscepit Hegesippus; easdem indagare et descriptas conservare studuerunt Papias, Pantaenus, Clemens Alexandrinus. Ipsi haeretici momentum earum et probandi vim agnoverunt, quum falsas suas traditiones veris opponere ac defendere studerent; traditionem enim vivam exemplo ac mandato Christi commendari, et per eam usque ad fines orbis terrarum resonantem mundum conversum esse, nemo historiae vestigiis insistens prudenter negare poterat **). Ceterum

---

*) „Demandons-nous encore, si Dieu aurait été bien sage, en instituant dans ce monde une religion insaisissable; s'il aurait été bien bon, en ne donnant à ces disciples pour tout bien et toute ressource qu'un livre muet et obscur; s'il aurait été bien généreux, en laissant ignorer pendant plus de mille ans à son peuple, quelle est la nature de son église, et quels sont les devoirs des fidèles envers lui." Malou op. cit. tom. I. pag. 121.

**) Allatorum argumentorum pondere moti vel ipsi viri ingenui e Protestantium numero idem professi sunt. Sic Tieftrunk in opere: Census des christl. protestantischen Lehrbegriffes I. Theil, ait: „Es ist ein falscher Anschlag, wenn man jene Quellen (die heil. Schriften) als vollkommene Lehrbücher der christlichen Religion ansehen will Sie sind weiter nichts, als ehrwürdige und schätzbare Fragmente, die ein Beispiel sowohl der Lehrart damaliger Zeiten, als auch viele Artikel der Religion selbst an die Hand geben. Und jeder unbefangene Protestant muss es gestehen, dass die neutestamentlichen Schriften das Gepräge der Rhapsodie nur zu deutlich an sich tragen, als dass sie als ein vollendetes, in sich selbst abgeschlossenes Ganzes betrachtet werden könnten."

Augusti in libro: Lehrbuch der christlichen Dogmengeschichte pag. 200: „Die Protestanten konnten sich offenbar nicht gegen die Katholiken behaupten, wenn sie das hohe Ansehen und den allgemeinen Gebrauch der Tradition angriffen, da es unwidersprechlich ist, dass ihr gleicher Rang mit den Religionsurkunden angewiesen wurde."

Münscher in: Handbuch der christlichen Dogmengeschichte tom. I. pag. 332: „Dass die Tradition oder der von den ersten Stiftern der Gemeinden mitgetheilte. und durch die Sorgfalt der Lehrer bewahrte und fortgepflanzte Unterricht über die Hauptstücke des christlichen Glaubens anfänglich die einzige Quelle für die Christen war, erhellt aus der damaligen Lage der Christen unwidersprechlich, und bedarf keines Beweises. Dass sie aber auch, nachdem die Schriften des N. T. in den Kirchen Eingang und Ansehen gefunden hatten, neben diesen ferner als ein besonderes, für sich bestehendes Erkenntniss- und Beweismittel der Christenlehre gebraucht wurde, beruhet

tamen s. Scriptura tantum continet claritatis, ut recte dispositi lectores sufficienter illustrentur; tantum vero complectitur obscuritatis, ut malevoli oculis capiantur.

§. 17.

V. Jesu Christi et Apostolorum doctrina integra, pura et clara continetur in ecclesia Romano-catholica.

Quemadmodum Christus Salvator totius generis humani esse, et proinde institutum suum in salutem totius mundi introductum perdurare desideravit; ita et voluit, lumen per se in mentibus animisque hominum accensum non simile fieri lucernae sub modio absconditae, sed candelabro impositae, ut luceat omnibus, qui in domo sunt (Mt. 5, 15.); *ideo praecepit Evangelium praedicari omni creaturae usque ad mundi hujus finem, ut, qui crediderit et baptizatus fuerit, salvus fieret* (Mr. 16, 15. 16.). *Jam vero Jesu Christi doctrina salutifera, sanguine ipsius pretioso obsignata, nonnisi una esse potest; „neque enim,* ut s. Gregorius Naz. ait, *rerum natura fert duas de eadem re contrarias sententias veras esse"; et s. Paulus postulat, ut sit „unum corpus et unus spiritus, sicut vocati sumus in una spe vocationis nostrae; unus Dominus, una fides, unum baptisma, unus Deus et Pater omnium"* (Eph. 4, 4 - 6.), *et propterea anathema pronuntiat in quemcunque, qui contrarium doceat iis, quae ipse praedicaverat* (Gal. 1, 8. 9.). *Ut itaque doctrina christiana juxta mentem divini ejus auctoris et magistri finem suum, salutem animarum, assequatur, utque fructus tantis laboribus, tanto pretio dignos ferat, per saeculorum decursum integra et pura conservetur, clare et omni cum certitudine exponatur ac cognoscatur, necesse est, „ut jam non simus parvuli fluctuantes et circumferamur omni vento doctrinae in nequitia hominum, in astutia ad circumventionem erroris"* (Eph. 4, 14.). *Inde vero facile intelligitur, ab ipso Domino, ne opus suum imperfectum relinqueret, designari debuisse certas personas, per quas sacrum ejus depositum in ecclesia, doctrina ipsius una et pura conservaretur, et infallibili auctoritate exponeretur, et suspeditari criterium certum, quo vera a falsis discernerentur. Quod jam rei natura tantopere flagitat, id factum esse ex ipsis ss. literis perspicue edocemur; Christus enim*

a) Apostolos suos proxime instituit eos, qui opus coeptum continuarent, quibus sicut ministerium (administrationem Sacramentorum) *et regimen fidelium, ita et magisterium demandavit,* et quibus non solum in genere dixit: „Amen dico vobis, quaecunque alligaveritis super terram, erunt ligata et in coelo, et quaecunque solve-

---

auf dem übereinstimmenden Zeugnisse der angesehensten Kirchenlehrer." Ibidem pag. 348.: „Die Protestanten, wenn sie gegen den Gebrauch der Tradition kämpften, hatten die unbefangene Geschichte nicht auf ihrer Seite." — „Adeo veritas ipsa cogente natura etiam ab invitis pectoribus erumpit!" Lactant. div. institut. II. c. 1.

ritis super terram, erunt soluta et in coelo;" et: „Quemadmodum me misit Pater, ita et ego mitto vos" (Mt. 18, 18. Jo. 20, 21.); sed etiam in specie praecepit: „Euntes ergo docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris et Filii et Sp. s., docentes eos servare omnia, quaecunque mandavi vobis" (Mt. 28, 19. 20.). *Ne vero Apostoli in tradenda doctrina unquam errarent, Christus eis Spiritus s. et suam ipsius assistentiam promisit,* dicens: „Et ego rogabo Patrem, et alium paraclitum dabit vobis, ut maneat vobiscum in aeternum." „Paraclitus autem Sp. s., quem mittet Pater in nomine meo, ille vos docebit omnia, et suggeret vobis omnia, quaecunque dixero vobis." „Data estmihi omnis potestas in coelo et in terra — — Et ecce, ego vobiscum sum usque ad consummationem saeculi" (Jo. 14, 16. 26. Mt. 28, 18. 20.). *Ast*

b) *Christum non solis Apostolis, sed et eorum in munere successoribus hanc de extraordinario Spiritus s. auxilio promissionem dedisse, uti finis doctrinae Christi et clara verba* Jo. 14, 16. Mt. 28, 20. *docent, ita etiam Apostolorum indubia agendi ratio ostendit*; nam ipsi, authentici magistri sui interpretes, adjutores et comites sibi elegerunt, ut v. g. s. Paulus Timotheum et Titum; hosce ceu custodes doctrinae et coetuum duces manuum impositione ordinarunt, et ab eis alios ordinari voluerunt; his coetus christianos obedire debere monuerunt; magisterium ecclesiae ab ipso Christo institutum, in specie episcopos a Spiritu s. positos esse docuerunt ad regendam ecclesiam Dei (II. Tim. 1, 14. 3, 14. I. Tim. 4, 14. 5, 22. II. Tim. 2, 1. 2. Tit. 1, 5-7. Hebr. 13, 7. coll. cum v. 17. Eph. 4, 11—15. Act. 20, 28.). *Denique ne ulla suboriri posset dubitatio, Christus pro omniscientia sua cuncta saecula perspecta, et singulos eventus futuros cognitos habens, nec non pro summa bonitate ac sapientia sua omnibus fidelium indigentiis succurrens,*

c) *sicut inter Apostolos Petrum, ita inter illorum successores, episcopos, Romanum pontificem instituit primatem ac principem, unitatis centrum, suum ipsius his in terris vicarium, visibile familiae christianae caput, universalem totius fidelium gregis pastorem, clavigerum regni coelorum, cui ceu firmissimae petrae superstructa est universa ecclesia, quocum uniti episcopi, iique soli sunt genuini Apostolorum successores, verae doctrinae Jesu Christi custodes, et eodem quidem, quo ob rerum circumstantias singuli Apostolorum instructi erant, attamen propter mutata temporum adjuncta nonnisi simul sumti et cum capite uniti infallibilitatis seu inerrantiae privilegio gaudent, ne sal terrae erroris ac mendacii veneno inficiatur, lux mundi in ignes fatuos commutetur, oculus corporis Christi tenebris obducatur in interitum totius ecclesiae. Quidquid igitur coetuum catholicorum praesules, Apostolis continuâ serie succedentes, inde ab aevo apostolico unanimi consensu ceu doctrinam Christi tenuerunt et tenent; quidquid ecclesia catholica eorum sive in conciliis generalibus congregatorum, sive dispersorum consensu nixa qua Christi doctrinam praedicat, et in constanti praxi observat, communibus symbolis, libris ac precibus publicis ceu fidem suam manifestat: traditio seu doctrina Jesu et Apostolorum absque omni dubio et divinâ auctoritate habendum est, ita*

quidem, ut, qui sciens volensque ecclesiam non audierit, sit tibi sicut ethnicus et publicanus (Mt. 18, 17.).

Corollarium. Asserere, ecclesiam catholicam a vera fide unquam defecisse, temerarium, imo absurdum est; nam haec sententia apertissime Christum mendacii arguit, quia promissio ejus Mt. 16, 18. 28, 20. Jo. 14, 16. 26. al., quocunque tempore magisterium ecclesiae in rebus fidei et morum errasset, irrita esset facta.

§. 18.

VI. Ecclesia catholica in essentialibus est authentica s. Scripturae interpres.

Hoc sequentibus probatur:

1. *Cum* (coll. §. 6.) *authenticus libri interpres sit vel ipse ejus auctor, vel hujus legitimus vicarius, in quem neque ignorantiae, nec laesae fidei cadit suspicio: authenticus s. Scripturae interpres est vel ipse Spiritus s., auctor primarius, et Christus, magister divinus, vel Apostoli, a Christo et Spiritu s. edocti, vel legitimi Apostolorum vicarii, qui, ut illi, a Christo per Spiritum s. diriguntur. Jam vero ecclesia catholica docens* (magisterium Petroapostolicum), ut in mox praecedentibus ostendimus, *vice fungitur Apostolorum et a Spiritu s. regitur; ergo et ipsa authentica est s. Scripturae interpres.*

2. *Ille sensus, quem ss. Patres unanimiter tenent, non potest non esse authenticus; nam si omnes Patres, licet adeo diversi tum ratione locorum et temporum, quibus vixerunt, tum respectu ingenii et culturae, qua sunt gavisi, eidem tamen s. Scripturae loco eundem subjiciunt sensum: consensus hic est effectus vel tam evidentis s. Scripturae claritatis, ut plane impossibilis esset dissensus; vel Spiritus s. in singulis Patribus operantis* juxta Joann. 14. 26; *vel denique apostolicae traditionis, quam omnes ss. Patres erant secuti. Prima rei explicatio admitti nequit ob dicta §. 16.; sive vero alteram, sive tertiam sequaris, ad eundem pervenies scopum; nam consentiens interpretatio Patrum in priori casu est interpretatio Spiritus s., primarii ss. literarum auctoris, in altero Apostolorum, a Spiritu s. rectorum, in utroque ergo authentica. Jam autem ecclesia catholica docens, quotiescunque s. Scripturae locorum proponit sensum, unanimi Patrum nititur consensu; ergo et ecclesiae interpretatio authentica est; quia vero authentica interpretatio prodire non potest, nisi ab authentico interprete; ergo ecclesia ipsa est authentica s. Scripturae interpres.*

Ex huc usque dictis sequentia corollaria prono fluunt alveo:

a) *In sola ecclesia catholica genuina viget s. Scripturae interpretatio* *); nam in hac tantum praesto est integra Apostolorum traditio, quae doctrinam biblicam partim complet (traditio constitutiva), partim illustrat (traditio exegetica), et quam alteram in specie

*) Cfr v. Drey's Apologetik tom. III. pag. 9. pag. 46. seqq.

N. F. auctores ad rite intelligenda ambigua et obscuriora librorum suorum loca proximis lectoribus suis vel ex viva institutione et continua praxi jam cognitam supposuerunt; vel una cum scriptis suis per fidos adjutores suppeditarunt *); vel serius ipsi praesentia sua exhibuerunt **).

b) *Illa sola s. Scripturae interpretatio doctrinalis est genuina, quae in rebus fidei et morum christianorum cum mente ecclesiae catholicae congruit.* Qui de hac veritate dubitat, consulat ipsos antiquos ecclesiae Patres, et nomine omnium respondebunt s. Irenaeus ***), s. Basilius †), s. Gregorius Nyssenus ††), s. Cyrillus Hierosolymitanus †††), s. Gregorius Naz. [1]), s. Chrysostomus [2]), s. Augustinus [3]), s. Gregorius M. [4]) etc.

---

*) Cfr. I. Cor. 4, 17, Eph. 6, 21. 22. Coloss. 4, 7. 8. 1, 7. 4, 12. 13. Phil. 2, 25. I. Pet. 5, 12. Rom. 16, 3. coll cum Act. 18, 2., Rom. 16, 5 seqq.

**) Cfr. II. Joann. 12. III. Joann. 13. 14. I. Cor. 11, 34. Rom. 1, 11. et 15. 32. Hebr. 13, 23.

***) Contra haeres. l. III. c. 3. „Quid enim? Et si de aliqua modica quaestione disceptatio esset, nonne oporteret in antiquissimas recurrere ecclesias, in quibus Apostoli conversati sunt, et ab eis de praesente quaestione sumere, quod certum et re liquidum est? Quid autem, si neque Apostoli quidem scripturas reliquissent nobis, nonne oportebat ordinem sequi traditionis, quam tradiderunt iis, quibus committebant ecclesias?“ Lib. IV. c. 26. „Ubi igitur charismata Domini posita sunt, ibi discere oportet veritatem, apud quos est ea, quae est ab Apostolis ecclesiae successio . . . Hi enim fidem nostram custodiunt, et scripturas sine periculo nobis exponunt.“ Lib. V. c. 20. „Ecclesiae quidem praedicatio vera et firma, apud quam una et eadem salutis via in universo mundo ostenditur Huic enim creditum est lumen Dei et propter hoc sapientia Dei, per quam salvat omnes homines,“

†) De Spiritu s. tom. III. edit Maur. p. 23. „Oportet enim (in s. Scripturae interpretatione) inviolabilem semper manere traditionem, quae in vivifica gratia data est.“

††) Sufficit ad nostri sermonis demonstrationem, quod habemus a patribus venientem ad nos traditionem velut haereditatem quamdam per successionem ex Apostolis per sanctos sequentes transmissum.“

†††) Homil. edit. Maur. p. 297. „Idcirco nunc cautissime tibi tradidit fides ita tenendum, et in unam sanctam, catholicam ecclesiam, ut eorum abominanda collegia fugiens adhaereas semper sanctae catholicae ecclesiae, in qua renatus es, quia universe et absque defectu docet omnia, quae in hominum notitiam venire debent dogmata, sive de visibilibus et invisibilibus, sive de coelestibus et terrestribus rebus.“

[1]) Neque enim (in s. Scripturae interpretatione) rerum natura fert duas de eadem re contrarias doctrinas veras esse.“ Orat. 46. ad Nectar.

[2]) „Maneamus igitur, ubi ille jubet, in fide, in tuto portu. Ipsum magis audiamus, quam gubernatorem, qui est in nobis, rationem inquam.“ Homil. 53. in Acta Ap.

[3]) „Quisquis falli metuit obscuritate quaestionis, ecclesiam de illa consulat, quam sine ulla ambiguitate Scriptura demonstrat.“ Contra Crescon. l. I, c. 33. „Cum ergo adhibita intentio incertum esse perviderit, quomodo distinguendum aut quomodo pronuntiandum sit, consulat regulam fidei, quam de Scripturarum planioribus locis et ecclesiae auctoritate percepit.“ Doct. christ. l. III. c. 2.

[4]) „In quo sane opere (interpretationis) lectorem flagito, ut non verba ex eloquentium oratorum sanctae ecclesiae comparatione consideret, sed sententiarum intellectus ex ecclesiasticae disciplinae rationibus penset; quia, etsi juxta Dei prohibitionem in ejus domo nemus plantare nescio, regulam tamen, qua s. Scriptura fideliter exponitur, in nullo derelinquo.“ Proëm. in I. lib. Reg. Cfr Frint's theologische Zeitschrift 12. Jahrg. 2. Bd.

c) Authentica locorum s. Scripturae interpretatio tum in ipsis ss. libris, tum extra eos suppeditatur;

α) in ipsis ss. libris

αα) a loquente ipso, sensum suum exponente, v. g. I. Cor. 5, 9. 10.

ββ) a divino magistro Jesu Christo;

γγ) ab hagiographis, utpote viris inspiratis;

β) extra libros sacros: a magisterio Petro-apostolico, utpote doctore infallibili.

Cum nostra sententia de ecclesia cath. ceu authentica s. Scripturae interprete ex asse consentit decretum Concilii Tridentini de interpretatione ss. literarum. Ob rei gravitatem jam uberius agendum est

§. 19.

VII. De decreto Concilii Tridentini, interpretationem s. Scripturae spectante. Supremum hermeneuticae catholicae principium.

Concilium Trident. sess. IV. sequens edidit decretum:

„*Ad coërcenda petulantia ingenia decernit* (sacrosancta synodus), *ut nemo suae prudentiae innixus, in rebus fidei et morum, ad aedificationem doctrinae christianae pertinentium, s. Scripturam ad suos sensus contorquens, contra eum sensum, quem tenuit et tenet sancta mater ecclesia, cujus est judicare de vero sensu et interpretatione Scripturarum sanctarum, aut etiam contra unanimem consensum Patrum ipsam Scripturam sacram interpretari audeat, etiamsi hujusmodi interpretationes nullo unquam tempore in lucem edendae forent.*“

Quodsi singulas decreti hujus respicimus partes, Concilium

A) normam statuit, contra quam ss. literas interpretari non licet, cui potius omnis earum interpretatio respondeat oportet, nimirum sensum ecclesiae et unanimem ss. Patrum consensum, dicens: „Contra eum sensum, quem tenuit et tenet s. mater ecclesia, aut etiam contra unanimem consensum Patrum“ (nemo interpretari audeat).

Quem vero ecclesia tenuerit et teneat sensum, ipsa partim immediate, partim mediate manifestavit manifestatque.

1. Immediate, dum in concilio congregata sensum suum apertis indicat verbis, idque

a) directe α) in genere versionem Vulgatam sensu latiori *authenticam*, i. e. *in essentialibus cum mente sacrorum auctorum consentientem declarando; β) in specie, num proprie an tropice, de quanam re et quomodo hic illeve locus s. Scripturae intelligendus sit, determinando.* Sic v. g. ecclesia sensum verborum Matth. 26, 26. 28. et parallelorum: „Hoc est corpus meum, hic est calix sanguinis mei“ in concilio Trid. sess. XIII. declaravit, docens cp. 1.: „Majores nostri omnes, quotquot in vera Christi ecclesia fuerunt, qui de sanctissimo hoc (Eucharistiae) Sacramento disseruerunt, appertissime professi sunt, hoc tam admirabile Sacramentum in ultima coena Redem-

torem nostrum instituisse, quum post panis vinique benedictionem se suum ipsius corpus praebere ac suum sanguinem, disertis ac perspicuis verbis testatus est.“ Can. 1.: „In sanctissimo Eucharistiae Sacramento contineri vere, realiter et substantialiter *) Corpus et Sanguinem una cum anima et divinitate Domini nostri Jesu Christi, ac proinde totum Christum;“ can. 2.: Mirabilem et singularem fieri conversionem totius substantiae panis in Corpus, et totius substantiae vini in Sanguinem, manentibus duntaxat speciebus panis et vini; can. 3.: „In admirabili Eucharistiae Sacramento esse Corpus et Sanguinem D. N. J. Christi ante, in et post sumtionem.“ — Sessione VI. cp. 14. coll. c. Joann. 20, 22. 23. declaravit: „Pro iis, qui post baptismum in peccata labuntur, Christus Jesus Sacramentum instituit poenitentiae, cum dixit: Accipite Spiritum s., quorum remiseritis peccata, remittuntur eis, et quorum retinueritis, retenta sunt;“ et Sess. XIV. de Sacr. poenit. cp. 1.: „Dominus Sacramentum poenitentiae tunc praecipue instituit, cum a mórtuis excitatus insufflavit in discipulos suos dicens: Accipite Spiritum s., quorum“ etc. Can. 3.: „Si quis dixerit, verba illa Domini Salvatoris: Accipite Spiritum s., quorum remiseritis . . . . non esse intelligenda de potestate remittendi et retinendi peccata in Sacramento poenitentiae, sicut ecclesia cath. ab initio semper intellexit . . . . anathema sit. Sess. XIV de extr. unct. cp. 1. coll. cum Jacob. 5, 14. 15.: „Instituta est autem sacra haec unctio infirmorum tamquam vere et proprie Sacramentum N. T., a Christo Domino nostro apud Marcum (6, 13.) quidem insinuatum, per Jacobum autem Apostolum et Domini fratrem fidelibus commendatum ac promulgatum: Infirmatur, inquit, quis in vobis, inducat presbyteros ecclesiae“ etc. Can. 1.: „Si quis dixerit, extremam unctionem non esse vere et proprie Sacramentum, a Christo Domino nostro institutum, et a B. Jacobo Ap. promulgatum, anathema sit.“ Can. 4.: „Si quis dixerit, presbyteros ecclesiae, quos B. Jacobus adducendos esse ad infirmum inungendum hortatur, non esse sacerdotes ab episcopo ordinatos, sed aetate seniores in quavis communitate, ob idque proprium extremae unctionis ministrum non esse solum sacerdotem, anath. sit.“ Cfr. sess. VI. cp. 8. et can. 9. cum ep. ad Rom. 3, 28.; sess. XXIII. cp. 4. cum Act. 20, 28.

b) *Indirecte, doctrinas fidei et morum expositas per certa s. Scripturae loca obfirmando, et hac ratione de quanam re et quomodo illa loca intelligenda sint, declarando.* Sic Conc. Trid. sess. V. in decreto de peccato originali nro. 4. anathema dicit iis, qui docent, parvulos recentes nihil trahere ex Adamo peccati originalis, quod regenerationis lavacro necesse sit expiari ad vitam aeternam consequendam, et rationem addit: „Quoniam non aliter intelligendum est id, quod dicit Apostolus: „Per unum hominem peccatum intravit in mundum, et per peccatum mors, et ita in omnes homines mors pertransiit, in quo omnes peccaverunt“, nisi quemadmodum ecclesia catholica ubique diffusa semper intellexit.“ Indirecte itaque pandit

*) Vere i. e. non figurate aut symbolice; realiter i. e. non merâ fide; substantialiter i. e. non solum virtute et efficacia, sed per se ipsum.

concilium sensum loci ad Rom. 5, 12. Porro docet, infantes in remissionem peccatorum veraciter baptizari, ut in eis regeneratione mundetur, quod generatione contraxerunt, et subjungit: „Nisi enim quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu s., non potest introire in regnum Dei," quorum verborum itaque (Joan. 3, 5.) hac ratione manifestatur sensus. Cfr. nrum. 2. hujus decreti cum Rom. 5, 12. et nrum. 5. cum Rom. 6, 7, 8, Coloss. 3, et sess. VII. can. 2. cum Joan. 3, 5. *)

2. *Mediate ecclesia sensum suum manifestat, si certa s. Scripturae loca non aperte quidem commemorat, neque sensum eorum disertis verbis declarat, attamen quibusdam aliis modis ac mediis indicat,* et quidum dum

a) aut sententias haereticorum falsas, aut singulorum virorum errores, perversâ ss. literarum interpretatione nixos, fidem antiquam tuendo et dogmata illis contraria sanciendo damnavit, ut Origenis evirationem, locis Mt. 5, 29. 30. 18, 8. 9. 19, 12.; chiliastarum commenta, Apoc. 20, 4 et similibus innixa; dum

b) preces publicas introduxit, et

c) praxin ac consuetudines pias servat, quibuscum hic illeve quorumdam s. Scripturae locorum sensus conciliari nequit. Sic v. g. ecclesia Psalmorum cantum, Breviarii recitationem Clericis injungendo, et generatim longiores preces observando aut probando mediate manifestat, verbis Domini Mt. 6, 7. „Orantes autem nolite multum loqui," preces fusiores non prohiberi. Cfr. Mt. 28, 19. et Mr. 16, 16. cum paedobaptismo; Mt. 1, 25., 13, 55. 56. et similia cum fide ecclesiae cath. de perpetua Mariae virginitate, quae fides simplicissimo versiculo abunde manifestatur: „Post partum virgo inviolata permansisti."

Ast si neque nominata subsidia sufficiunt ad sensum ecclesiae cognoscendum, ex tenore suprafati decreti confugiendum est

3. *ad interpretationem ss. Patrum, quorum consensus nihil est, nisi sensus ecclesiae; nam Patres,* ut s. Augustinus ait, *„quod invenerunt in ecclesia, tenuerunt; quod didicerunt, docuerunt; quod a patribus acceperunt, hoc filiis tradiderunt."* Contra Julianum l. II. c. 9.

Ut autem Patrum interpretatio norma sit interpretationis catholicae:

a) in sensu cujusdam loci determinando consentire debent omnes; quodsi vel unus dissentit contrariam tuendo sententiam, quin haec a reliquis aperte impugnetur, aut ceu erronea rejiciatur, aut constanti ecclesiae praxi manifeste repugnet: consensus reliquorum jam non amplius est universalis seu unanimis, neque totius ecclesiae fidem repraesentat, v. g. s. August. in hexemero explicando; s. Gregorius Nyssenus in linguarum diversarum origine indicanda (orat. 12. contra Eunomium). Attamen sermo esse nequit de unanimi Patrum consensu mathematice definito; nam partim non omnia Patrum

*) Immediatas hasce tum directas, tum indirectas sensus ecclesiastici definitiones invenit interpres in effatis conciliorum oecumenicorum.

opera ad nos pervenerunt, partim et ipsa eorum scripta nonnisi sunt occasionalia, circumstantiis certis provocata, et qua talia singula de iisdem s. Scripturae locis verba facere neque debebant, neque poterant; sed sufficit consensus eorum moraliter universalis, i. e. tot et talium Patrum, quorum testimonium fides totius ecclesiae merito haberi possit. Hinc *consensus Patrum unanimis habendus est:*

α) Si Patres maxime insignes priorum VI saeculorum concordant, et de consensu reliquorum testantur, etiamsi in horum scriptis nihil legatur de sensu certi s. Scripturae loci; si v. g. consentiunt ss. Irenaeus, Cyrillus Hierosol., Hilarius, Epiphanius, Ephraemus Syrus, Athanasius, Basilius, Chrysostomus, Gregorius Naz. et Nyss., Ambrosius, Augustinus, Hieronymus, Leo M.; nam Patres hi tum doctissimi, tum illustrissimi de sensu s. Scripturae primis saeculis vigente testimonium edunt, eorumque effatis Patres subsequorum adhaeserunt temporum.

β) Si plures Patres consentientes tantâ cum confidentiâ ac certitudine loquuntur, ut ne minimam quidem timeant contradictionem, hacque ratione vel tacite innuunt vel diserte edicunt, sententiam suam esse fidem totius ecclesiae.

γ) Si pluribus tantum consentientibus notum est, Patres reliquos nonnisi ideo silere, quia vel deerat ipsis occasio fidem suam contestandi, vel quia ceteris assentiunt, hocque aut expresse aut saltem tacite indicant.

δ) Si omnes vel saltem praecipui Patres aut Orientis aut Occidentis consentiunt, eisque a nemine Orthodoxorum contradicitur.

ε) Si nonnullorum Patrum consentientium effata ab ecclesia rpobabantur vel confirmabantur.

b) *Unanimis Patrum consensus spectet necesse est res fidei et morum Christianorum;* in reliquis, v. g. in rebus physicis, astronomicis, philosophicis etc. „ipsos Patres venerari quidem, ast religiose et κατὰ πόδα sequi non cogimur“ *). Id ipsum postulat Concilium Trident., dum decreto superius laudato

B) ambitum eorum definivit, quae ad illam normam sunt interpretanda, dicens: „In rebus fidei et morum, ad aedificationem doctrinae christianae pertinentium.“ *Per aedificationem seu aedificium doctrinae christianae non tantum doctrinarum christianarum summa, sed et earum argumenta ac fulcra intelliguntur. Rebus igitur fidei et morum, ad aedificationem doctrinae christianae pertinentium, accensendum est, quidquid salva doctrinarum christianarum summa, salvis earum argumentis ac fulcris vel credendum vel agendum omittendumve agnoscatur, necesse est.* Sic v. g. ad res fidei pertinet quaestio, num Christo fuerint fratres et sorores sensu proprio, strictiori, an solum improprio, latiori? nam si primum statueres, laederetur doctrina ecclesiae, Mariam post partum virginem inviolatam permansisse. — *E Concilii Tridentini mente ergo ad illam normam interpretanda sunt omnia s. Scripturae loca, quorum argumentum cum doctrina ecclesiae tali in nexu est positum, ut illis contra sen-*

*) Muratorius de ingeniorum moderatione in negot. relig. l. I. c. 21.

sum ecclesiae intellectis dogma quoddam vel immediate subverteretur, vel saltem argumentis ac fulcris suis privaretur. Sic v. g. loca Joann. 14, 28. Marci 13, 32. ad illam normam interpretanda sunt, quia illis perperam intellectis dogma ecclesiae de divina natura in Jesu Christo cum humana conjuncta periclitaretur. Si illa s. Scripturae loca, ubi unanimis ss. Patrum consensus vaticinia, symbola aut typos messianos contineri statuit, contra normam catholicam exponerentur, doctrinae quaedam christianae, licet non immediate subverterentur, tamen fundamentis suis ac fulcris privarentur. — Concilium porro

C) rationem reddit, cur non liceat in rebus fidei et morum Christianorum s. Scripturam contra sensum ecclesiae interpretari, et quidem verbis: „Cujus (ecclesiae) est judicare de vero sensu et interpretatione Scripturarum sanctarum.“ Dicitur vero ecclesia

a) judicare de vero sensu et interpretatione s. Scripturae (non: eam interpretari), *quia occasione datâ vel necessitate urgente non ope subsidiorum hermeneuticorum sensum singulorum locorum investigare primum conatur; sed qua authentica interpres unanimi ss. Patrum testimonio nixa probeque tenens, quod ubique, quod semper, quod ab omnibus creditum est, sententiam fert, quinam sensus aut quaenam interpretatio cum doctrina apostolica vel conveniat, vel ab ea divergat. Concilii Patres autem*

b) jus hoc ecclesiae vindicarunt, quia ipsis inerat, et omnibus Catholicis semper inest firmissima persuasio, ecclesiam a Domino esse constitutam custodem genuinae ipsius doctrinae, quae talis conservari non posset, nisi magisterio ejus competeret jus, imo et officium sententiam ferendi de sensu et interpretatione s. Scripturae; erat illis persuasissimum, istam ecclesiae de sensu s. Scripturae declarationem esse interpretationem authenticam, et ideo omnem contrariam sacrarum literarum expositionem esse falsam *). Cfr. dicta §. 18. — *Concilium denique*

D) Scopum hujus decreti significavit dicens: „Ad coërcenda petulantia ingenia — ut nemo suae prudentiae innixus — sacram

---

*) Plaeclare dicit Möhler in opere: Symbolik p. 384. 385. „Eine Kirche, welche jeden ermächtigte, was immer in der Schrift zu finden, ohne irgend einen Fund für unkirchlich zu erklären, spräche von sich aus, dass sie gar nichts glaube, und gar keines Inhaltes sich erfreute; denn der blosse Besitz der Bibel macht noch keine Kirche, so wenig jemand durch den Besitz der vernünftigen Anlage schon wirklich vernünftig ist. — — Wenn aber eine Kirche, die aus einem Vereine von vielen Individuen besteht, einem jedem Anhänger, als solchem, gestattete, nach Gutbefinden einen Glaubenssatz anzunehmen oder zu verwerfen: so enthielte sie in sich jenen Widerspruch, und wäre das für die entgegengetztesten Ansichten indifferente, glaubensleere Unding, das man unsertwegen mit den schönsten Prädicaten beehren darf, nur nicht Kirche nennen soll. Die Kirche soll für das Reich Gottes erziehen, welches auf bestimmten Thatsachen und Wahrheiten beruht, die ewig unveränderlich sind; eine Kirche also, die keine solche unveränderliche Positionen kennt, gleicht einem Lehrer, der nicht wüsste, was er lehren soll; die Kirche soll Christum in der Menschheit ausprägen, dieser ist aber nicht bald Ja, bald Nein, sondern ewig derselbe; das vom Himmel herabgekommene Wort soll sie in die Herzen der Menschen hineinsprechen; dieses ist aber kein leerer, unbestimmter Schall, aus dem gemacht werden kann, was man nur immer will.“

Scripturam ad suos sensus contorquens — interpretari audeat.“ *Editum itaque est hocce decretum, ut arcerentur s. Scripturae abusus, qui petulantia hominum fiunt suâ prudentiâ nimis confidentium, et ut fideles simul serio monerentur, illos, qui spretâ apostolicâ tradione ss. literarum effata ad sua placita contorquere conantur, ab universalis ecclesiae sinu avulsos, fontis purissimi undas contemnentes coenosos rivulos libare; proindeque ab eorum temerariis ausis esse cavendum.*

Ex dictis simul patet:

1. Decretum hoc non fuisse mere disciplinare, aut pure negativum, aut plane novi quid. Non erat

a) mere disciplinare; nam ubi agitur de rebus fidei et morum, ibi de praecepto mere disciplinari amplius sermo esse nequit. Sed etiamsi decretum istud mere disciplinare fuisset, nihilominus tamen hodie non minus, quam saec. XVI. ejusdem esset valoris, imo tamdiu obligaret, quamdiu inter interpretes non deerunt petulantia ingenia, i. e. semper.

b) Non pure negativum; nam α) quaelibet lex negativa involvit et positivam; v. g. Noli furari i. q. suum cuique relinque; quare et decretum nostrum formae negativae complectitur positivum praeceptum: *Sacram Scripturam juxta sensum ecclesiae et unanimem consensum Patrum interpretare*; et profecto interpretatio, quae in locis, quorum sensum ecclesia aut immediate definivit, aut ob unanimem ss. Patrum consensum tenet, non est juxta, hoc ipso necessario est contra sensum ecclesiae aut unanimem ss. Patrum consensum. Porro *β) si conferamus decretum hocce cum professione fidei catholicae, ad decreta Concilii Trid. compositâ, a Pio IV. confirmatâ, et ab universá ecclesiâ agnitá et introductâ: sensus illius decreti dubius esse nequit; nam ibidem expressis dicitur verbis: „Sacram Scripturam juxta eum sensum, quem tenuit et tenet sancta mater ecclesia, cujus est judicare de vero sensu et interpretatione sacrarum Scripturarum, admitto, nec eam unquam nisi juxta unanimem consensum Patrum accipiam et interpretabor.“*

*c) Non plane novi quid; nam tenor ejus jam ante concilii Tridentini tempora erat observatus et promulgatus; α) observatus ab omnibus tum ecclesiae Patribus et conciliis *) contra haereticos,*

---

*) „Nonne synodus Ephesina opinionem Nestorii haereticam Patrum auctoritate damnavit? haeresin Helvidii s. Hieronymus? s. Basilius eadem auctoritate s. Spiritus divinitatem uti fidei dogma Amphilochio comprobavit? Eâdem Augustinus tamquam haereticos modo Pelagianos, modo Donatistas rejecit? Eâdem s. Leo palam fecit apud Leonem Augustum, Eutychetem a fide deerrase? Idem fecere Agatho, Pontifex maximus, in sexta synodo actione quarta contra Monothelitas, et postremis temporibus concilium Florentinum adversus Graecorum errores. Neque solum hoc tamquam urgente argumento usi sunt in haeresi proscribenda; sed etiam diserte affirmarunt, hoc efficax esse. Ecce verba Ephesini concilii: Invecti sumus in Nestorii sceleratam praesumtionem, quod s. Scripturam se primum et solum intelligere, et omnes eos errasse jactaret, quicunque ante se magisterii munere praediti divina eloquia tractassent, et praeterea universam ecclesiam errasse, quae ex illius sententia doctores ignorantes sequebatur.“ Pallavicinius in hist. conc. Trid. l. VI. c. 18.

tum interpretibus catholicis vere talibus; β) promulgatus αα) in concilio Trullano (Quinisexto) *anno 692, in quo can. 19. definitum est: „Ne eam* (s. Scripturam) *aliter interpretentur, quam quomodo ecclesiae luminaria et doctores suis scriptis eam exposuerunt;“ ββ) in concilio Lateranensi V.* anno 1512., *a quo actione 11. praecipitur: „Ut s. Scripturam juxta interpretationem doctorum, quos ecclesia vel usus diuturnus approbavit, explanent“ *); id ipsum γγ) indicatur verbis nostro decreto adjectis: „Qui contravenerint, per Ordinarios declarentur, et poenis a jure statutis puniantur“ **).*

2. Patres Concilii, dum in rebus fidei et morum christianorum sensum ecclesiae et unanimem Patrum consensum interpreti catholico respiciendum esse claris edixerunt verbis, tantum abest, ut sobrias hermeneuticae regulas superfluas, aut scientificam s. Scripturae interpretationem rejiciendam declararent; ut potius illas, etsi non supremi judicis instar omnino adhibendas, et hanc jure colendam supponerent; nam *a)* concilium loquitur de interpretatione s. Scripturae doctrinali, quae absque hermeneuticae regulis adhibitis locum habere nequit; *b)* ecclesia nunquam non commendavit, imo et promovit modestum ss. literarum studium, et ideo merita illorum probe agnovit laudavitque, qui plurimum, uti s. Hieronymus, in studio biblico insudarunt.

Novimus itaque duplicem fontem (duplex principium materiale) *regularum hermeneuticae catholicae, nimirum commune interpretandi principium et sensum ecclesiae; ast opus quoque habemus uno eoque formali principio, a quo utriusque illius materialis rectus dependet usus mutuaque relatio, quod, si commune interpretandi principium ad peculiarem s. Scripturae indolem juxta Concilii Tridentini decretum applicetur, est sequens:*

> *Sacram Scripturam ope regularum communis interpretandi principii juxta sensum* (mentem) *ecclesiae Romano-catholicae interpretare.*

NB. Interpretatio, quae mox propositam supremam sequitur normam, quae proinde conformis est *a)* principiis catholicis de s. Scriptura, *b)* continuae ecclesiae praxi, nec non *c)* decreto Concilii Tridentini, dicitur *catholica*; *mere rationalis vero seu rationalistica* vocatur, cujus non tantum fons singularum regularum, sed et judex suprema est sola ratio humana.

§. 20.

VIII. De influxu, quem exserit ecclesia catholica in interpretationem s. Scripturae doctrinalem. Canones positivi et negativi.

A) Ecclesia catholica in interpretationem s. Scripturae doctrinalem duplici modo influit, nimirum negative et positive.

---

*) Synodus Toletana decima quinta ait: „Quidquid creditur contra ss. Patres, intelligitur aberrare a recta regula fidei.“

**) Cfr. decretum Leonis X. in Concilio Lateranensi V. sessione X.

1. Negative, quatenus ulli s. Scripturae loco, qui cum christianis fidei et morum doctrinis in nexu positus est, talem sensum subjici vetat, quo dogma quoddam ecclesiae subverteretur; nam Spiritus s. sibimet ipsi contradicere nequit (Non contra).

2. *Positive, quatenus illum ipsum teneri praecipit sensum, quem in locis dogmaticis ipsa aut immediate determinavit, aut ob unanimem Patrum consensum tenuit ac tenet;* nam hic ecclesiae sensus est genuinus et authenticus, objectiva certitudine gaudens, et ideo quilibet alius sensus ceu spurius est rejiciendus (Non praeter, sed juxta). — *Ex dictis*

B) Regulae sequentes manant

I. positivae :

1. *In ejusmodi textibus, quorum sensum ecclesia aut ex traditione continua et ideo apostolica immediate determinavit, aut propter unanimem Patrum consensum tenuit ac tenet: a) traditionem continuam exhibeto,* tum in ss. Patrum effatis, tum in praxi, tum in precibus liturgicis se manifestantem; *b) hermeneutica inquirito et adhibeto praesidia, quae ad vindicandum ecclesiae sensum et ad refutandas adversariorum objectiones praecipue valent.*

2. *In talibus vero s. Scripturae locis, quorum sensum ecclesia nonnisi mediate manifestavit,* coll. regulis §. 9. propositis:

α) Eum sensum, qui cum doctrina ecclesiae non convenit, constanter rejicias, v. g. Joann. 1, 14. 14, 28. Mr. 13, 32.

β) Illum sensum, qui cum doctrina ecclesiae unice congruit, unice verum amplectaris.

γ) Ex pluribus sententiis ita comparatis, ut cum doctrina ecclesiae consentiant, quin sanae hermeneuticae regulae laedantur, illam praeferas, quae pluribus aut potioribus nititur rationibus, et quae ob facilitatem suam commendatur, v. g. fratres et sorores Domini Mt. 13, 55. 56 *). Mt. 5, 32. 19, 9.

II negativae seu cautelae. Caveas:

aa) Ne sententiam unius alteriusve Patrum, vel etiam plurium scriptorum ecclesiasticorum cum ecclesiae doctrina confundas; nam singuli Patres in quadam materia errare potuerunt, et hic ibi revera errarunt, v. g. s. Cyprianus de rebaptizandis haereticis, Papias, s. Irenaeus et alii de chiliasmo.

bb) Ne Patres dissentientes habeas ibi et ideo, ubi et quia singuli quemdam s. Scripturae locum diversis occasionibus diversimode exponunt; nam Patres non semper stricte interpretantur, sed eadem loca s. Scripturae jam sensu historico-logico, jam mystico exponunt, seu ad lectorum indigentias applicant; interpretatione historico-logicâ suppositâ, alias deinde adjecerunt, quae scopo, quem intendebant, magis opportunae ipsis visae sunt, v. g. ad Mt. 16, 18 **).

---

*) Cfr. Die Brüder Jesu und Jacobus Alphäi in: Jahrbücher für Theologie und christliche Philosophie, Jahrgang 1834. 3. Bd. Seite 1—119.

**) Cfr. praelectiones theolog. Joannis Perrone. Volum. II. pag. 213 seq. Viennae 1842.

cc) Ne doctrinae ecclesiae usum ad ea extendas, quae extra ejus sphaeram sunt sita, v. g. ad res fidei et morum Judaeorum.

dd) Ne sententiam, quae doctrinae ecclesiae cath. non est adversa, jam ideo habeas veram; si enim sensus ab ecclesia non est definitus, vel per unanimem consensum Patrum non determinatus: plures unius ejusdemque loci expositiones cum doctrina ecclesiae consentire possunt, quarum tamen nonnisi una est vera, v. g. Mt. 13, 55. 56; imo sententia quaedam doctrinae ecclesiae apprime convenire potest, quin sit sensus hujus aut alterius s. Scripturae loci, v. g. baptismus ab haeretico collatus est validus. Hinc caveas

ee) Ne in usu doctrinae ecclesiae unquam reliquae hermeneuticae sanae violentur regulae.

NB. Sensus qui in rebus fidei et morum christianorum cum doctrinarum christianarum clare propositarum summa convenit, dicitur fidei analogus seu analogiae fidei respondens; nam analogia, graecae originis vox, vi etymologiae (ab ἀνάλογος = ἀνὰ λόγον) denotat: pro portione, nach Verhältniss, proportio (Cicero*). Analogia itaque est congruentia rei ad aliquid relatae, et *analogia fidei congruentia omnium eorum, quae ad fidem pertinent, et respectu hermeneutico est congruentia sensus ad fidem relati seu est congruentia sensus cum fide. Ut vero fides pro fontibus spectata est vel biblica vel ecclesiastica, et biblica denuo vel significatu arctiori vel latiori vel latissimo accepta: ita et respectu hermeneutico datur analogia sensus cum fide biblicà, eâque sign. arctiori, vel latiori, vel latissimo spectatâ, et cum fide ecclesiastica.*

Analogia sensus

1. *cum fide biblica*

a) sign. arctiori seu certi auctoris, v. g. s. Pauli, spectatâ est congruentia sensus cum doctrinarum christianarum summa quatenus haec in uno eodemque scriptore sacro clare proposita invenitur. Inde lucem hauriendam esse interpreti ad loca obscuriora atque ambigua ejusdem auctoris illustranda, dubium esse nequit illi, qui noverit, quemvis loquentem mente sanum sibimet ipsi consentire solere, et scriptorem sacrum sibi consentire debere. — *Analogia sensus cum fide biblica*

b) sign. latiori seu N. T. spectata est convenientia sensus cum summa doctrinarum christianarum, quatenus in omnibus N. T. libris perspicue propositae reperiuntur. Huic quoque maximum inesse momentum in libris N. T. interpretandis, neminem latebit perpendentem, omnes sacros N. T. scriptores eodem magistro divino usos, eodem spiritu s. afflatos, eâdem doctrinâ imbutos fuisse, et eos non posse non consentire, quum non suam, sed Christi, ergo non variorum, sed unius ejusdemque magistri, eodem Spiritu s. adjuti traderent doctrinam. — *Analogia sensus cum fide biblica*

c) sign. latissimo ponderata est congruentia sensus cum summa veritatum religionis christianae, quatenus tum in V., tum in

---

*) Cfr. Ersch und Gruber Encyclopädie sub hac voce.

N. T. clare continetur. Hujus quoque rationem habendam esse interpreti, inde patet, quia N. T. libri arctissimo in nexu sunt positi cum V. T., multasque religionis veritates lectoribus notas supponunt, quae in V. T. consignatae sunt, uti leges morales, doctrinam et historiam de creatione mundi, de lapsu protoparentum, vaticinia, typos messianos etc. Quare ipse Dominus Mt. 5, 17 ait: „Nolite putare, me venisse solvere legem aut prophetas; non veni solvere, sed adimplere.“ Vice versa multa in V. T. libris obscura forent absque luce, quae illis e N. T. affulget, praecipue vaticinia ac typi. Ideo s. Augustinus recte: „Vetus testamentum, inquit, est fons novi, et novum lux veteris;“ et: „Novum testamentum in vetere latet, vetus ex novo patet.“ *Analogia sensus*

2. *cum fide ecclesiasticâ est congruentia sensus cum doctrinâ christianâ, quatenus haec tum in V., tum in N. T., dein in unanimi ss. Patrum traditione continetur, et ab ecclesia catholica clare proponitur.* Cur et quomodo haec analogia interpreti s. Scripturae praecipue sit respicienda, ex praecedentibus abunde patet.

§. 21.

IX. Discrimina mere rationalem inter et catholicam interpretationem *).

Licet catholicus aeque ac mere rationalis interpres communi interpretandi principio utatur: multa tamen et magna inter utriusque interpretationem intercedunt discrimina, et quidem

1. *Ratione criticae ss. librorum: Interpres catholicus jam ante interpretationem coeptam probe scit, ss. literas ab auctoribus divinitus inspiratis, ideoque fide dignissimis descendere, et doctrinam revelatam historiamque sacram continere;* hinc jam a priori firmiter tenet, s. Scripturam *a*) nihil complecti posse, quod fidei ecclesiae catholicae esset adversum; nam haec ecelesiae fides infallibilis est Jesu et Apostolorum doctrina, per magisterium Petro-apostolicum, Spiritus s. praesidio gaudens, conservata ac proposita, cujus nonnisi partem, et quidem modo, nostris saltem temporibus non semper sat claro, exhibet s. Scriptura; *b*) non continere pugnam vere talem sive in historicis, sive in dogmaticis partibus. — *Interpres autem mere rationalis ante finitum interpretationis negotium determinare non valet, num auctores sacri sint fide digni nec ne; quid sacrae paginae contineant aut non contineant; num inter se invicem consentiant an discordent;* ad hoc alterum tamen suspicandum pronior erit, cum eum non lateat, vix duos esse mortales, etsi sint ejusdem magistri discipuli, qui omnibus in partibus de eadem doctrinâ ejusque sensu eodem modo cogitent, imo eundem hominem diversis temporibus sententias suas immutare. Sacrorum librorum critica igitur interpretationem cath. praecedit, mere rationalem vero sequitur.

*) Cfr. Arent's Unterschiede zwischen der bloss rationellen und katholischen Interpretation.

2. *Respectu interpretandi principiorum: Quemadmodum Catholico generatim, ita et interpreti catholico qua tali doctrina ecclesiae suae majoris, quam ratio humana, imo maximae est auctoritatis, cui in rebus fidei et morum, et in omnibus, quae cum hisce in nexu posita sunt, nihil non subordinat, ne interpretationis principiis quidem exceptis*[1]. — *Interpres autem mere rationalis, solis rationis interpretandi principiis confisus ac nixus, et solam rationem suam audiens judicem, respectum ejusmodi ad doctrinam quamdam constanter respuit praejudicii instar, quod a vero videndo detineat.*

3. *Relate ad interpretandi modum: Interpres catholicus*

a) ita exponit s. Scripturam, ut in partibus historicis non obstante in modo narrandi ac dispositionis diversitate et enantiophaniae specie omnis pugna evanescat, quia, si talis inter sacros auctores oriri videtur, ejus causam non in hisce, sed vel in textu vitiato, vel in sinistra sua ipsius interpretatione, vel in erroneo suo judicio residere, persuasissimum habet, et hoc ipso ad iteratum examen provocatum se sentit. — *Interpretis autem mere rationalis parum interest, num in libris sacris antilogiae occurrant, nec ne.* Pro aequitate aliis debitâ non facile quidem in scriptoribus, qui sacri habentur, nisi inimico in illos feratur animo, haud secus saltem, atque in auctoribus profanis peritis ac probis concedet pugnas, ideoque in locis historicis parallelis omnia accurate examinabit, antequam de vera pugna conclamet; quodsi vero pro judicio ejus subjectivo textui vis inferenda, aut rationis interpretandi principia laedi viderentur, neglecto examine profundiori et continuato nullus dubitabit, quin pugnam adesse statuat.

b) Interpres cath., si in rebus historicis pugna adesse videretur profanum inter et sacrum scriptorem, omni quidem virium conatu id agit, ut eos conciliet, praecipue si auctor profanus alias fide dignus esse invenitur; quod si fieri non posset, divinam sacri scriptoris axiopistiam absque ulla haesitatione praeferret cuicunque humanae et fallibili auctoritati. — Interpres mere rationalis autem utriusque, sacri nimirum et profani auctoris relationem ut illam inter duos profanos spectat et tractat, et ei tribuit palmam, qui eruditione humana eminere videtur.

c) Interpres cath., ubicunque miracula patrata narrari certis ex indiciis colligere licet, ea revera evenisse firmiter tenet pronuntiatque; interpres autem mere rationalis haec facta extraordinaria aut interpretatione sic dicta psychologica ad eventus mere ordinarios detorquet; aut juxta opiniones suas praeconceptas, quas ratio-

---

*) „Ille est verus et germanus Catholicus, qui veritatem Dei, qui ecclesiam, qui Christi corpus diligit, qui divinae religioni, qui catholicae fidei nihil praeponit, non hominis cujuspiam auctoritatem, non amorem, non ingenium, non eloquentiam, non philosophiam; sed haec cuncta despiciens et in fide fixus, stabilis permanens, quidquid universaliter antiquitus ecclesiam catholicam tenuisse cognoverit, id solum sibi tenendum credendumque decernit." Vincentius Lerin. Commonit. c. 20.

nis effata venditat, mythos habet; aut pro penu sapientiae suae jam haec amplectitur, jam illa rejicit; aut ad spuriam originem et axiopistiae ss. librorum defectum concludit.

d) Interpres cath non concedit diversitatem vere talem in doctrina et sermonibus virorum inspiratorum, sive alter altero plures vel pauciores doctrinas exhibeat; sive unus idemque diversis occasionibus, sive diversi eandem doctrinam vario modo proponant, variis ex partibus spectent, jam clarius, jam obscurius, nunc fusius, nunc brevius delineent; *quare singulos sacros scriptores in rebus fidei et morum christianorum non tantum ex iisdem ipsis, sed etiam ex omnibus reliquis, singulorum dicta ex integro Canone ab ecclesia sancito harmonice interpretatur atque illustrat, et quotiescunque ejusmodi quid proponitur, quod rationis captum transcendit, ab artificiis, quibus religionis nostrae mysteria eliminentur, toto animo abhorrens, rationem suam Dei revelantis oraculis promtus submittit. — Ast interpres mere rationalis, non curans, num haec vel illa sint revelata, nec ne, imo revelationis ipsius non tantum factum, sed et argumentum ad rationis suae, haud raro praejudiciis corruptae, tribunal revocans, proindeque omnia ss. librorum effata ad trutinam humanam fallacem ponderans, pro modulo captus sui jam haec ceu vera et rationi conformia amplectitur, jam illa tanquam inepta aut ex accommodatione orta rejicit.*

e) Interpres cath. in rebus fidei et morum Christianorum ad ecclesiae suae sensum et unanimem ss. Patrum consensum confugit, et loca, quorum sensum ecclesia cath. definivit aut omnes Patres tenent, nec contra, neque praeter, sed juxta illum sensum et huncce consensum interpretatur; verum interpres mere rationalis redit quidem ad antiquitatem christianam ceu ad fontem cognoscendi usus loquendi et conditionis personarum loquentium; ast quia hoc non fit e causis dogmaticis, sed mere historicis, neque ibi semper quaerit vera, ubi est omnium aut plurimorum orthodoxorum consensus, sed saepe ibi etiam supponit recta, ubi unus alterve vel plures haeretici, a genuina Jesu et Apostolorum mente aversi, juxta propria placita sententiam ferunt.

f) Interpres catholicus effatorum biblicorum literalem et spiritualem, in specie symbolicum, typicum et remotiorem admittit sensum, ubicunque talem aut sacri N. T. scriptores in V. T., aut sancti Patres unanimi consensu et ecclesiae fides sive in V. sive in N. T. statuunt; interpres autem mere rationalis etiam hoc respectu nullâ altioris auctoritatis ratione habitâ nonnisi eum amplectitur sensum, qui rationis interpretandi principiis optime vindicari posse videtur.

4. *Ratione habitâ certitudinis: Interpres cath. in rebus fidei et morum, ad aedificationem doctrinae christianae pertinentium, tuto acquiescit sensui ceu objective vero et nunquam evertendo, qui cum catholica fidei regula aut unice congruit, aut quem cum ecclesiae magisterio tenet, aut quem in genere ecclesiam sequens ducem invenit, quin rationis interpretandi principia laedantur; ast mere rationalis interpres sensui a se invento majorem certitudinem vindicare nequit, nisi quam fert partim methodus ejus mere rationalis*

in genere, et applicatio hermeneuticae ejus regularum in quovis casu speciali; partim certitudo, ambitus et subtilitas scientiarum, quibus praeditus ad interpretationis negotium accedit, et nunquam non in periculo versatur, ne alius aliis subsidiis adhibitis interpretationem ejus brevi evertat.

§. 22.

X. Satisfit objectionibus ac dubiis contra interpretationem catholicam motis

Object. 1. Ab interpretibus catholicis duplex statuitur supremum hermeneuticae principium, nimirum commune coll. §. 8, et catholicum coll. §. 19. Perperam autem hoc fieri, facile perspicitur; aut enim commune interpretandi principium revera est supremum ac universale, aut non. Si primum locum habet, catholicum qua superfluum est repudiandum; quodsi alterum defenditur aut saltem tacite admittitur, commune qua insufficiens et necessariis dotibus destitutum est rejiciendum.

Resp. Catholicum interpretandi principium a communi respectu formae quidem differt, quoad materiam vero non est, nisi ejus applicatio, quae ex ss. librorum indole eorumque relatione ad traditionem apostolicam seu ecclesiae catholicae doctrinam sponte resultat. Etenim ipsum commune hermeneuticae principium interpretem rationem habere jubet conditionis loquentis internae, ad quam praecipue pertinet cultura ejus intellectualis ac moralis, et relate ad sacros auctores N. F. integra Jesu Christi doctrina. Cum vero haec, uti §§. 15. 16. ostendimus, non in ss. literis, sed in doctrina ecclesiae cath. clare contineatur: communi hermeneuticae principio satisfieri nequit, quin sensus ecclesiae catholicae debita habeatur ratio *). Quia autem doctrina ecclesiae catholicae in rebus fidei et morum christianorum tum in usum loquendi ejusque fontes determinandos, tum in contextum, tum in omnimodam loquentis conditionem definiendam influit: illius momentum atque influxum tum demum, ubi de cultura loquentis agitur, ostendere inconveniens foret, imo praepostere fieret, ideoque communis interpretandi principii ad ss. librorum indolem applicatio, qualem propositio nostra sub finem §. 19. continet, statim in limine hermeneuticae catholicae exhibenda est.

Obj. 2. Interpretatio cath. nititur persuasione, integram Jesu Christi doctrinam non in s. Scriptura, sed in traditione seu in ecclesia clare esse servatam; quodsi vero religio christiana e solâ traditione seu ecclesiae doctrina tum universa, tum sat perspicue cognoscitur, sacra Scriptura ejusque interpretatio est superflua; si vero ss. literae superfluae declarantur, auctoritati earum derogatur, quam tamen ipsi antiqui ecclesiae Patres tantis extollunt laudibus.

Resp. Per traditionem seu ecclesiae doctrinam s. Scriptura a) non declaratur superflua; potius α) et nobis est norma et fons fidei ac morum, attamen non originarius, non unicus, neque ubique locorum adeo clarus, unde integram fidem ac morum discipli-

---

*) Cfr. dissertationem §. 8. citatam.

nam haurire in cujuslibet arbitrio et potestate positum esset *) *porro β) non sola dogmata continet s. Scriptura, sed et universi hujus creationem, originariam protoparentum conditionem eorumque lapsum, divinam tum generis humani educationem, tum successivam religionis christianae praeparationem originemque, ecclesiae fundationem ac propagationem nobis delineat, nec non aedificationem moralem promovet. Neque b) auctoritati ejus derogatur; nam nemo est Catholicorum, qui summam s. Scripturae praestantiam et praerogativas non grato agnoscat animo, utut traditioni et suas concedat virtutes* **). Veneramur et sequimur hoc quoque respectu sapientissimam dispositionem divinam, quae et Scripturam et traditionem fontem nobis proposuit, unde duce ecclesia falli nescia tum cognoscenda, tum ex ore magisterii divinitus instituti jam cognita comprobanda est salutis oeconomia; veneramur et sequimur mentem Patrum Tridentinorum, sess. IV. in decreto de canonicis Scripturis statuentium: „Omnes libros tam V. quam N. T. — — nec non traditiones ipsas tam ad fidem quam ad mores pertinentes — — pari pietatis affectu ac reverentia (synodus) suscipit et veneratur.“

Obj. 3. Sacrae Scripturae tractatio mere dogmatica, qualis est expositio catholica, ab antiquissimis temporibus jam determinata, interpretationis nomine non est digna; nam vis infertur interpreti, omnis libera indagatio cohibetur, et omnis progressus impeditur.

Resp. *a) Si per liberam indagationem intelligas effrenatam illam atque impiam, de rebus Deum ejusque voluntatem ac cultum attinentibus sentiendi, loquendi ac scribendi licentiam atque audaciam, haec, ab ipso Apostolo* (Gal. 1, 8. 9) *anathemate damnata per doctrinam ecclesiae, in interpretatione s. Scripturae catholica respiciendam, utique coërcetur, et quidem in maximam fidelium utilitatem; quatenus vero per libertatem illam intelligitur sobrium et maturum studium, e sacris literis non sua placita promendi, sed Dei effata cognoscendi, indagatio interpretis catholici eo liberior est, quo firmius invenitur fundamentum, cui innititur* (ecclesia supra petram aedificata), *quo peritior dux, quem in semita periculosa sequitur* (infallibile ecclesiae magisterium). Quodsi interpres cath. quibusdam s. Scripturae locis alium subjiceret sensum, quam qui usui loquendi, orationis nexui et loquentis conditioni respondet, idque hunc in finem, ut inde argumentum dogmatis cujusdam demonstrandi extorqueret: tum utique haec ejus agendi ratio esset vituperanda,

---

*) Cfr. Malou: La lecture de la sainte Bible en langue vulgaire tom. I. pag. 207 seqq.

**) Möhler: Einheit der Kirche pag. 60; Klee in: System der kath. Dogmatik pag. 110; Stolberg: Kirchengeschichte der Religion Jesu Christi Th VII. S. 370. „L'action et les discours de Jesu-Christ ont été consignés dans les livres saints, afin que la mémoire de sa vie, de sa mort et de ses promesses fût plus sûrement conservée dans l'Eglise, et que les chefs du peuple fidèle pussent plus aisément réprimer au moyen des monuments écrits de la tradition divine la témérité des hérétiques, qui oseraient révoquer en doute les dogmes les plus certains. Tel a été le dessein de la Providence, personne n'en doute parmi nous.“ Malou op. cit. pag. 167. Cfr. etiam pag. 171. dicta.

et quidem eo magis, quum ejusmodi violenta s. Scripturae tractatione nobis in favorem dogmaticae non sit opus, utpote gaudentibus altero fonte, nempe traditione; si autem in locis ambiguis atque obscuris regula fidei utitur duce, illisque nonnisi eum subjicit sensum, qui huic convenit, quin reliquae hermeniae violentur regulae: dogmatica ejus interpretatio non est reprehendenda, sed potius unice vera agnoscenda. Nam α) hoc eodem fit jure, quo cujusvis hominis dicta obscura aut facta ambigua ex principiis ejus alias clare manifestatis illustrantur; quo singulares eaeque obscuriores philosophorum sententiae ex toto ipsorum systemate explicantur; aut quo in jurisprudentia leges ambiguae ad genium totius legum codicis revocantur et explanantur. Porro β) summa illarum veritatum christianarum, quae doctrinam ecclesiae catholicae constituunt, jam ante s. Scripturam N. T. non tantum in coetibus christianis erat deposita, sed etiam continuâ praxi observata; auctores igitur N. T. qua viri probi, eoque magis qua inspirati in scripta sua nihil recipere poterant, quod summae doctrinarum oretenus ab ipsis praedicatarum esset contrarium; quid? quod γ) etiam post conscriptos N. T. libros traditio viva multis coetibus christianis, qui scriptis sacris carebant, et longe maximae fidelium parti, qui legere nesciebant, unicus cognoscendae Christi doctrinae fons erat, et hodiedum esse perseverat *).

b) *Illa Protestantium in Catholicos sat frequens criminatio nititur praejudicio, ac si omnia s. Scripturae loca per interpretationem ss. Patrum et ecclesiae sensum positive essent determinata. Paucis locis exceptis, quorum sensum ecclesia dogmatice definivit aut sancti Patres unanimiter tenent, omnia reliqua liberae interpretis indagationi sunt relicta, sub hac tamen lege, ab ipsa ss. literarum indole dictatâ, ne in rebus fidei et morum christianorum unquam promat sensum unanimi Patrum seu ecclesiae fidei adversum. Quare industriae ejus ac scientiae vastus relinquitur campus* **).

c) *Non impediri progressum ulteriorem per catholicam interpretationis normam, scripta Catholicorum tum hermeneutica, tum isagogica, tum exegetica ante et post concilium Tridentinum edita sat luculenter docent, quippe quae, licet haud raro cum magno eruditionis apparatu et insigni cum diligentia elucubrata, non omni*

---

*) Hinc recte hoc respectu dicit Möhler: „Schaue die Schrift im kirchlichen Geiste an, und sie wirft ein Bild in dich, das ihr vollkommen gleicht; betrachte Christum in und mit seiner Schöpfung, der Kirche, der allein zureichenden, ihn vertretenden Auctorität, und du prägst ihn dir wahrhaft ein. Sollte nun auch, um diesen Grundsatz zu verhöhnen, gesagt werden, er sei gleichlautend damit: Schaue die Schrift mit der Brille der Kirche an, lass dich nicht stören; es ist besser, du betrachtest das Gestirn mit bewaffnetem Auge, als dass es deiner stumpfen Sehkraft entgehe, und dir in Nacht und Nebel verhüllt bleibe. Einer Brille wirst du dich immerhin bedienen müssen, aber nimm dich in Acht, dass du sie dir nicht von dem nächsten besten Glasschleifer zurecht richten, und auf die Nase setzen lassest." Symbolik pag. 373. IV. editio.

**) Cfr Möhler lib. cit. pag. 393. Löhnis hermeneut. pag. 158.

tamen ex parte adeo perfecta sunt, ut posteriorum curis nihil reliquissent, nisi, ut ajunt, transferre de libro in quinternum *).

d) Ipsi etiam Protestantes antiquiores et recentiorum sobriores, etsi non fidem ecclesiae catholicae, tamen doctrinam librorum symbolicorum interpretationis normam considerant. A quo autem tempore libros suos symbolicos humano solum fundamento subnixos esse intellexerunt, et auctoritatem eorum repudiare coeperunt, audaciae eorum omnes apertae sunt januae. Quo insipientiae pervenerint, qui soli sapientes esse sibi videntur, tristis experientia docet **).

Obj. 4. Verbo divino in ss. literis deposito a Catholicis in genere et proinde etiam ab interpretibus in specie praeponitur verbum humanum, traditio; quare idem eis objici potest, quod Christus Pharisaeis exprobravit dicens Mt. 15, 6. 9. „Irritum fecistis mandatum Dei propter traditionem vestram . . . Sine causa autem colunt me, docentes doctrinas et mandata hominum.“

Resp. a) Verbo divino ss. literarum traditionem respectu originis quidem, ambitus et claritatis, non vero ratione habita auctoritatis praeponimus, sed adponimus; praeterea b) s. Scripturae non adponimus verbum humanum, sed traditionem talem, cujus idem Deus est auctor ac conservator, cui ss. libros in acceptis referimus. Quale ergo discrimen Catholicos inter et Pharisaeos!

Obj. 5. Traditio, experientia teste, est fecunda mendacii mater, per quam veritas vario modo defoedatur (Fama crescit eundo); quare eadem et haeretici usi sunt ad perversa sua dogmata demonstranda; hinc doctrina ecclesiae catholicae, traditioni subnixa, tum in se erroris valde suspecta est, tum in interpretando sacro codice auctoritatis admodum dubiae norma.

Resp. a) Ex hisce solum sequitur, sat certum requiri criterium, cujus ope vera et divina traditio ab incerta fama discernatur. Tale autem criterium adest in ecclesia catholica, quae non temere

---

*) „Sed forsitan dicit aliquis: Nullusne ergo in ecclesia Christi profectus? Habeatur plane et maximus. Nam quis ille est tam invidus hominibus, tam exosus Deo, qui illud prohibere conetur? Sed ita tamen, ut vere profectus sit ille fidei, non permutatio. Siquidem ad profectum pertinet, ut in semet ipsam unaquaeque res amplificetur; ad permutationem vero, ut aliquid ex alio in aliud transvertatur. Crescat igitur oportet, et multum vehementerque proficiat tam singulorum, quam omnium, tam unius hominis, quam totius ecclesiae aetatum ac saeculorum gradibus intelligentia, scientia, sapientia; sed in suo dumtaxat genere, in eodem scilicet dogmate, eodem sensu, eademque sententia.“ Vincent. Lerin. Commonit. c. 28.

„O Timothee! o sacerdos! o tractator! o doctor! si te divinum munus idoneum fecerit ingenio, exercitatione, doctrina, esto spiritalis tabernaculi Beseleel (Exod 31. 2), pretiosas divini dogmatis gemmas exculpe, fideliter coapta, adorna sapienter, adjice splendorem, gratiam, venustatem. Intelligatur te exponente illustrius, quod ante obscurius credebatur. Per te posteritas intellectum gratuletur, quod ante vetustas non intelle tum venerabatur. Eadem tamen, quae didicisti, doce, *ut cum dicas nove, non dicas nova.*“ Ibid. c. 27. Cfr. c 29.

**) Cfr. Der rationalistische Christus in opere: Das Leben Christi von Dr. Joh. Nep Sepp. VI. Bd. Regensburg 1846; et N. Knöppel: Das Princip der freien Schriftforschung. Coblenz 1846.

quodcunque, sed nonnisi hoc tenet, quod ubique, quod semper, quod ab omnibus creditum est, quodque ideo ad originem apostolicam necessario refertur. Quod b) haereticos attinet traditione usos, interrogamus: Nonne historiâ teste s. Scriptura quoque abusi sunt haeretici, imo et diabolus (coll. Mt. 4, 6. cum Psalm. 91, 11. 12), *quin haec ideo sit repudianda *)?*

§. 23.

Quomodo dicitur sensus ad supremam interpretationis normam inventus?

Sensus, qui juxta supremum hermeneuticae principium, i. e. per usum loquendi, orationis nexum et conditionem loquentis eruitur, seu relate ad s. Scripturam, qui ope regularum communis interpretandi principii juxta mentem ecclesiae invenitur; sensus, inquam ille aut literalis, aut grammatico-historicus dici solet. Ast neutra harum denominationum sat apta reperitur, et quidem non prior, quia justo angustior est; etenim *a)* jam vi etymologiae sensum spiritualem (sublimiorem) non comprehendit; dein *b)* vi usus loquendi jam antiquis interpretibus sensus literae seu literalis non denotabat, nisi eum, qui verbis proprie, immediate et proxime intellectis inest, uti patet e notissimis versiculis:

Littera gesta docet, quid credas, allegoria;
Moralis quid agas, quid speres, anagogia.

Quod attinet alteram sensus designationem, haec pluribus ideo placuit, quia indicat, rationem habendam esse interpreti et conditionis loquentis, quae plerumque ope historiae cognoscitur. Sed si in sensus denominatione cuncta accurate exprimenda, quae in illius inventione observanda sunt, ne hoc quidem nomen sufficit, et dici potius deberet: Sensus grammatico-logico-historicus; nam ut vocabulum historicus ad conditionem loquentis respiciendam, ita vox grammaticus ad solam usus loquendi indagationem restringi solet, et proinde, ut simul investigandi contextus exprimeretur necessitas, addendum foret: logicus. Cum tamen illa denominatio juxto longior sit, *aptior est haec: Sensus historico-logicus; sicut enim vox historicus innuit, sensum inventum tum usui loquendi, tum conditioni loquentis respondere, quia non tantum haec, sed etiam ille in operibus saltem antiquis et linguâ emortuâ exaratis ex historia cognoscitur: ita epitheton logicus indicat, contextus quoque rationem esse habitam.* Hanc itaque sensus designationem servabimus,

---

*) Alias objectiones vid. in: Neue theol. Zeitschrift v. Jos. Pletz, VI. Jahrg. I. und II. Bd: Die göttliche Tradition nach Geschichte und Idee von Dr. Aloys Schlör.

Hanc dissertationem finimus cum Cl. Malou dicentes: „Portons toujours dans notre coeur, si nous ne le portons pas toujours sur nos lèvres, ce cri puissant d'une âme vraiment catholique: O sainte Église, ma mère et mon soutien, que ma main droite se dessèche, si je cesse jamais de te défendre! Que ma langue s'attache à mon palais, si je cesse jamais de chanter tes louanges! Que mon coeur cesse de battre dans ma poitrine, si jamais je t'oublie!" Op. cit. tom. I. pag. 121.

idque eo magis, cum omnibus sensus speciebus superius (§. 5.) indicatis, nec non sensui catholico omni ex parte accommodata sit, et ipsam interpretationem, supremo principio respondentem, historico-logicam nominabimus.

§. 24.

Hermeneuticae biblicae gravitas et utilitas.

Sacra Scriptura historiam sacram et doctrinam revelatam continet, quam rite cognoscere cuivis Christiano in votis esse debet, et quam accurate cognitam habere, recte applicare solideque vindicare ad sanctissima theologi officia pertinet. Exstat tamen simul linguâ tali scripta, quae a nostrâ est diversissima; stylo concepta, qui non ubique communes sequitur leges; praeterea in usum ejusmodi lectorum proxime exarata, qui jam aliunde, sive ex proprio usu, sive ex aliorum institutione vivâ voce factâ illa cognoverant, quae lectori ad eam rite intelligendam scitu maxime necessaria sunt. Hinc mirum non est, vix ullum graviorem reperiri locum, qui non diversissimis, et sibi plane contrariis modis expositus esset. Ex his ipsis vero facile cognoscitur gravitas et utilitas legum solidarum, quae certam tutamque monstrant viam, qua errore evitato ad sensus ss. librorum cognitionem sit perveniendum.

Obj. 1. Etiam sine clara et systematica regularum cognitione fieri potest, ut sensus loquentis saepius felicissime inveniatur exponaturque, et fuerunt uti in omni arte et disciplina, ita etiam inter interpretes, qui ante inventam interpretationis theoriam in auctorum, et in specie in ss. librorum interpretatione, solo naturali veri sensu ducti, egregie versati sunt, unde hermeneuticae biblicae necessitas admodum problematica redditur.

Resp. a) Subtilis veri sensus, qui tamen vix in multis adeo viget, ut duce carere possit, scientificâ et explicitâ regularum hermeneuticarum cognitione non supprimitur, sed acuitur et roboratur; b) vel ab illis, qui hoc veri sensu praediti sunt, nunquam penitus abest erroris periculum, quod eo majus, quo implicatior et obscurior est locus vel liber interpretandus; denique c) controversiae de sensu ss. literarum ortae absque certis solidisque regulis adhibitis nunquam dirimi poterunt, quoniam quisque sensum veri subtilissimum sibi adjudicabit.

Obj. 2. Ast non obstante hermeneuticae biblicae systemate nostris temporibus satis exculto maxima adhucdum viget interpretationum varietas et tanta quidem, ut vix ullus adsit gravior locus, qui non a diversis interpretibus modis variis, imo plane contrariis exponatur; unde manifestum fit, hermeneuticam biblicam on esse magnae utilitatis.

Resp. a) Si interpretes, qui non eadem, nec sat solida et firma interpretationis principia sequuntur, vel ab invicem, vel ab illis discedunt, qui theoria omni exceptione majori utuntur: nec mirum hoc esse, neque sententiae nostrae de hermeneuticae utilitate et

gravitate obesse potest; etenim non quamcunque, sed eam tantum theoriam interpretationis utilem et gravem dicimus, quae solidas et sobrias exhibet regulas. b) Quodsi vero vel illi quoque interpretes hic ibi in diversa abeunt, qui eandem tenent interpretationis theoriam: non huic vitio vertendum, sed potius causis tum objectivis, tum subjectivis adscribendum est. Nam neminem rerum biblicarum gnarum latet, regulis hermeneuticae non ubique ex asse satisfieri posse. Sic v. g. hermeneutica, ut usus loquendi et conditionis loquentis ratio habeatur, recte praecipit; attamen fieri potest et revera fit, ut sat certi ac perspicui non adsint fontes, e quibus vel usus loquendi vocis cujusdam, vel conditio personae loquentis certo cognoscatur. Si jam in ejusmodi casu, praecipue ubi rationum momenta utrinque paria sunt, alter interpretum hanc, alter aliam sententiam ceu magis probabilem praefert: non theoriae, sed rei ipsius naturae causa tribuenda est. — *Magis adhuc oritur interpretationum disparitas ex causis subjectivis. Etenim non omnes interpretes eâdem instructi sunt ingenii sagacitate, eâdem eruditione; non omnes aequalem in interpretando diligentiam, et in ponderandis rationum momentis severitatem adhibent; non omnes aeque immunes sunt a quovis prajudicio et opinione praeconcepta.* Etiamsi itaque nostram interpretationis theoriam omnes sequerentur, certe hoc non obstante ille, qui eximiis animi facultatibus et insigni eruditione instructus est, qui praeterea debita cum diligentia in interpretando versatur, nullisque praeoccupatis opinionibus a vero, quod videt, amplectendo detinetur, eandem rem clarius perspiciet, et sensum loquentis facilius inveniet, quam alius, qui vix sufficientibus ad interpretandum dotibus instructus, exigua ac manca cognitione imbutus, certis praejudiciis aut placitis alicujus systematis philosophici captus ad interpretationis negotium accedit, vel qui debitam diligentiam et severitatem in examinandis rationum momentis adhibere negligit. Varietatem interpretationis ex hac interpretum diversitate necessario oriundam nemo aequus theoriae sobriae ac solidae tribuere poterit.

§. 25.

Hermeneuticae biblicae generalis divisio.

Hermneutica biblica generalis sponte sua in duas dilabitur partes, quarum

I^ma^ de sensu inveniendo,

II^da^ de sensu exponendo agit.

Prior denuo in tres sectiones subdividi potest, quarum

1ma de sensu inveniendo per usum loquendi,

2da de sensu inveniendo per orationis contextum,

3^tia^ de sensu inveniendo per conditionem loquentis agit.

Altera pars divisione in sectiones non indiget, quia paucis absolvi possunt, quae de variis sensum repraesentandi modi dicenda sunt.

§. 26.

Succincta historiae disciplinae hermeneuticae delineatio.

Quamvis disciplinae hermeneuticae summa sit utilitas, gravitas maxima; licet ejus principia a ratione dictata generi humano antiquitate non cedant: tamen exigua erant ejus initia, imo, si formam ejus spectes, ad recentissima demum tempora pertinet. Quemadmodum enim in aliis scientiis et artibus praxis praecedebat theoriam, ita et in ecclesia christiana interpretationem ss. librorum jam dudum frequentatam praeclareque cultam invenimus, antequam quis de statuendis ejus regulis cogitasset *).

Prima disciplinae nostrae vestigia apud Judaeos invenimus; nam libri legis a Moyse morituro traditi erant sacerdotibus, ut eos non tantum asservarent, sed etiam singulis septenniis populo praelegerent (Deut. 31, 9—13). Vivâ linguâ hebraicâ periculum aberrandi a sensu legis non adeo propinquum erat, praecipue quoniam Deus suscitavit prophetas, qui legis interpretationi rectae et observationi invigilabant; cum autem tempore exilii lingua hebraica locum cederet aramaicae, quae et a reducibus in Palaestinam Judaeis adhibebatur vernacula: lectioni legis adjungi debebat interpretatio, i. e. translatio in sermonem vulgarem (Nehem. c. 8). Ab hoc inde tempore eruditi inter Judaeos legis studio et interpretationi operam navarunt; etenim II. Macchab. 6, 18. dicitur Eleazarus τὶς τῶν πρωτευόντων γραμματέων, et aetate Christi Apostolorumque frequentissime commemorantur γραμματεῖς, νομικοί, νομοδιδάσκαλοι etc.; porro praelectioni pericoparum legis et prophetarum in synagogis adjungebatur expositio (Luc. 4, 16. seqq. Act. 13, 15). *Ast interpretandi ratio Judaeorum non tantum pro varietate regionum diversa erat, sed etiam in genere perversa; nam partim literâ plane neglectâ allegoricis expositionibus indulgebant, ut Philo Alex. docet, partim literae serviliter inhaerentes spiritum negligebant, et sensum s. Scripturae ad humanas traditiones suas contorquebant, ut ex Evangeliis intelligimus.*

Christiani, a Domino ipso et Apostolis legis et prophetarum auctoritatem, momentum, sensum et usum edocti, in conventibus suis religiosis ss. librorum V. T., et cum scripta N. F. edita innotuissent, horum quoque lectionem et expositionem frequentabant. Doctrinae christianae summam oretenus traditam et in praxi observatam (regulam fidei) *inter orthodoxos supremam interpretationis fuisse et permansisse normam, ex omnibus Patrum effatis* (coll. §. 17. not. 4.) *et interpretum catholicorum scriptis edocemur; attamen in ipso interpretandi modo passim sua pietatis sensa potius, quam certas et firmas regulas sequebantur;* hinc factum est, ut

---

*) Recte dicit Löhnis: „So wie es schon herrliche Gärten gab, ehe eine Theorie der schönen Gartenkunst aufgestellt wurde; so wie es schon eine Iliade gab, welche ihre Leser bezauberte, ehe Aristoteles die Regeln zu einem guten Epos entworfen hatte: eben so gab es schon die meisterhaftesten Auslegungen der Bibel, ehe man noch an eine Theorie der Auslegung gedacht hat.“ Grundzüge der bibl Herm. und Kritik pag. 15.

nonnulli nimio studio ducti, multa momenta practica e s. Scriptura promendi ad aedificationem moralem auditorum vel lectorum suorum promovendam, allegoricae interpretationi justo plus indulgerent. *Inter hosce Origenes, Philonem Alex. secutus, primus erat, cujus mystica interpretandi ratio certis principiis innitebatur, quin tamen regulas ejus instituendae proponeret* *). Cum tamen in expositionibus allegoricis nonnulli modum excederent, et hic ibi, praecipue ex parte haereticorum perversae quoque interpretationes enascerentur, necessitas certos canones hermeneuticos statuendi sensim sese obtrudebat.

Saec. IV. s. Chrysostomus († 407), egregius interpres, in homiliis suis quosdam praebuit nutus exegeticos **). *Eodem circiter tempore Tychonius, Donatistarum episcopus in Africa, septem interpretationis regulas scripsit,* quas s. Augustinus lib. III. c. 30. de doctrina christiana recensuit †).

S. Hieronymus († 420) etiam non tantum imaginem boni interpretis in se repraesentavit, sed et dotes ejus variis occasionibus innuit ††).

---

*) Principia Origenis de s. Scriptura et de mystica ejus interpretatione ad sequentia fere reduci possunt: Quemadmodum homo e corpore et anima constat, ita et s. Scriptura, opus Spiritus s plenum sapientia divina, sensum historico-grammaticum et absconditum complectitur; in hocce praeterea distinguendus est sensus moralis, qui morum praecepta et in genere religionem docet, et mysticus, qui unionem animae cum Deo efficit. Hac ratione itaque s. Scriptura ubique locorum tripartita est seu triplicem sensum continet, qui se habet, ut σῶμα, νοῦς et πνεῦμα. Ut corpus animae causa, ita litera spiritus gratia adest; quare in interpretatione et sensus literalis respiciendus est, qui in locis aliis revera vim et auctoritatem habet, in aliis vero in se spectatus nullius nomenti, inutilis, imo et impius invenitur, a Deo hunc tantum in finem propositus, ut ad profundiorem indaginem invitet. — Hisce principiis consequenter Origenes in interpretando reapse versatur. Cfr. περὶ ἀρχῶν. lib. IV. et reliqua loca collecta in edit. de la Rue et in Huetii Origenianis lib. II. quaest. 13.

**) Homil. in Jeremiam: „Non locum tantum excutiemus, — sed et contextus omnem seriem, et pro quibus dicta sint illa, a quo, ad quem, quam ob causam, quando et quomodo. Non enim sufficit — temere avulsa ac discerpta Scripturae membra nuda et a reliquo textu serieque sermonis sejuncta sumere; sed totam seriem legi oportet.“

Homil. 15. in Joannem: „Multa opus est vigilantia, ne nudis verbis insistamus; ita enim haeretici errant, dum neque scopum dicentis, neque audientium affectum explorant. Nisi ergo haec adjiciamus, imo alia quoque, ut tempora, loca, auditorum animum, multa consequentur absurda.

†) Septem regulae sunt: 1. „de Domino et ejus corpore“, seu de iis, quae de Christo et ejus ecclesia et de mutua relatione inter hanc et illum leguntur; 2 „de Domini corpore bipartito“, i. e. de veris et spuriis ecclesiae membris; 3. „de promissis et lege“, seu doctrina biblica de fide justificante et de proprio hominis merito; 4. „de specie et genere“, seu de iis, quae ad singulos populos et quae ad integrum genus humanum spectant; 5. „de temporibus“, i. e. institutio ad removendas difficultates historicas relate ad diversas temporum determinationes; 6. „de recapitulatione“, seu de iis, quae a se invicem dissita in s. Sc. conjunguntur, et quomodo separanda sint; 7. „ de diabolo et ejus corpore,“ seu de omnibus iis, quae in ss. literis de diabolo ejusque regno leguntur. Opus hoc Tychonii invenitur in bibliotheca max. Patrum tom. VI. pag. 49. seqq. Lugd. 1677.

††) Cfr. Liber quaestionum hebraicarum in Genesin, de nominibus et locis hebraicis; ep. ad Pammachium de optimo genere interpretandi; ep. ad Suniam et Fretellam; praefatio in XII prophetas, in Joëlem, in quatuor evang. ad Damasum et alia.

S. Augustinus (+ 430) *in expositionibus Psalmorum, in libris de Genesi et in opere de civitate Dei sparsim regulas hermeneuticas, in scripto vero de doctrina christiana lib. IV. sub titulo: „Praecepta tractandarum Scripturarum" integrum hermeneuticae exhibet systema, in quo materiae tractatae ambitu, claritate et utilitate omnes prius nominatos longe superans judicium maturum et sobrium manifestat, et egregium ingenii sui subtilis monumentum et hoc respectu reliquit* *).

Saec. VI. Adrianus (c. ann. 520—530) *in: Εἰςαγωγὴ εἰς τας θείας γραφάς*), et *Aurelius Cassiodorus* (+ 563) *in libro de institutione divinarum literarum pauca adjecerunt quidem, disciplinam autem nostram non exhauserunt, et eidem plura aliena inseruerunt, quod usque ad finem saec. 18. fieri solebat.*

Saeculis subsequis cum aliis scientiis et hermeneutica parum colebatur, quum ne proprii quidem labores exegetici susciperentur, sed antiquiorum vestigiis terendis unice acquiescentes scholia et glossas colligerent catenasque conficerent; continuo nimirum enascentes haereses omne fere studium ad polemicam converterant, et ingruentes dein Vandalorum, Gothorum aliorumque rudium populorum incursiones, mundus novum rerum ordinem parturiens sacratiorum literarum studiis minime favebant, ita ut describendis codicibus et triviis quadriviisque omnis fere literatura absolveretur.

Inde a saec. XIV. plura adjuncta studio biblico et hermeneuticae in specie patrocinari coeperunt; anno nimirum 1311. in concilio Viennensi statutum est, ut in scientiarum universitatibus doctores linguarum orientalium (hebraicae, aramaicae et arabicae) instituerentur; anno dein 1453. Constantinopoli a Turcis occupata plures eruditi Graeci in Italia refugium quaesiverunt; inventâ typographiâ (ao. 1440—1450.) libri sacri magis et minori pretio divulgabantur, et literae in genere reflorescebant. *Luculenta mutatae rerum faciei testimonia praebent Postillae Nicolai Lyrani* (+ 1340) *seu breves commentarii in universa Biblia, et adnotationes ad illas Pauli Burgensis* (+ 1435), qui uterque a Judaismo ad sacra christiana transierat, et non modo graecae, sed et hebraicae linguae peritus, sectator erat sensus lit· ralis juxta principia saniora, a priore in prologis exposita, quin tamen sensum mysticum negligeret.

Exorta saec. XVI. sic dicta reformatione Protestantes traditione et ecclesiae auctoritate repudiatâ s. Scripturam unicum fontem ac regulam fidei et morum agnoscentes, ejus studium toto animo omnibusque viribus amplecti, et, quia in sensu plurium locorum determinando non tantum a Catholicis discesserunt, sed et ipsi in diversa abierunt, inprimis normas sensus inveniendi probandique stabilire cogebantur. Neque theologi catholici pro fide sua avita militantes hac in re desides erant, sed pari passu incedebant, similibusque

---

*) Cfr. Institutionem hermeneutico-homileticam ex Augustini libris IV de doctrina conquisitam, illusratam et ad usum accommodatam edidit J. Breithaupt. Kilon. 1685. Aurelius Augustinus Hipponensis s. Scripturae interpres, auctore Dr. Henrico Clausen. Hauniae 1827.

armis instructi adversariis obviam ibant. — Inter opera jam hermeneutica ab hoc inde tempore edita nominari merentur:

Ex parte A) Catholicorum:

Santis Pagnini († 1536), Lucensis, ex ordine s. Dominici, linguarum biblicarum peritissimi, isagoge in ss. litteras, Lugduni 1536. — Majoris momenti est

Sixti Senensis († 1569), Judaei nati, qui ad religionem christianam transgressus ordinem s. Dominici professus est, ars interpretandi Scripturas sacras absolutissima, Venetiis 1566. fol., nec non ejus bibliotheca sancta Venet. 1586. et alias, postremo Neapoli 1742. 2 voll. fol.

Josephi Acosta († 1599), Hispani e S. J., de vera Scripturas interpretandi ratione ac de Christo in Scripturis revelato libri tres, Venetiis 1771 *).

Basilii Poncii Legionensis, Augustiniani, quaestiones expositivae, ut vocant, i. e. de Scriptura s. exponenda selectae.

Antonii de Escobar et Mendosa de s. Scripturae stylo et obscuritate proloquium.

J. Martianay: Traité méthodique ou manière d'expliquer l'écriture par le secours de trois syntaxes: la propre, la figurée, l'harmonique. Paris 1704. Méthode sacrée pour apprendre et expliquer l'écriture sainte par l'écriture même. Paris 1716.

Bernardi Lamy, Oratoriani, apparatus biblicus. Lugd. 1723.

Guarini grammatica hebraica. Lutetiae Paris. 1724. 2 voll. in 4.

Hermanni Goldhagen, Moguntini e S. J., introductio in s. Scripturam, Mogunt. 1765.

Stephani Hayd introductio hermeneutica in ss. N. T. libros. Aug. Vind. 1779.

Augustini Eremitae institutiones ad interpretationem s. Scripturae. Aug. Vind. 1779.

Sebastiani Seemiller institutiones ad interpretationem s. Scripturae, seu hermeneutica sacra. Aug. Vind. 1779.

Josephi Julii Monsperger institutiones hermeneuticae sacrae V. T. Viennae 1784.

Christophori Fischer institutiones hermeneuticae. Pragae 1788.

Gregorii Mayr institutio interpretis sacri. Viennae 1789.

Joannis Nep. Schäfer institutiones scripturisticae. Moguntii 1790.

Hieronymi Frida, Benedictini Břzewnoviensis, institutiones hermeneuticae V. T., utilitati suorum auditorum accommodatae. Pragae (absque anno ind.).

Joannis Jahn enchiridion hermeneuticae generalis tabularum V. et N. T. Viennae 1812, et appendicis instar duae particulae de vaticiniis messianis. Viennae 1813. et 1815.

---

*) Hoc opus una cum proxime sequentibus duobus invenitur in appendice Menochii commentariorum editorum a Turnemino.

Aloysii Sandbichler: Darstellung der Regeln einer allgemeinen Auslegungskunst von den Büchern des A. u. N. B. nach Jahn. Salzburg 1813.

Altmanni Arigler hermeneutica biblica generalis usibus academicis accommodata. Viennae 1813. Opus hoc respectu materiarum selectus, dispositionis et ordinis omnibus prius nominatis palmam eripit; elementi vero catholici justo minorem habet rationem.

Joannis Nep. Alber institutiones hermeneuticae Scripturae sacrae A. et N. T. Pesthini 1801. et 1818.

J. H. Janssens hermeneutica sacra seu introductio in omnes ac singulos libros V. et N. F. II. tom. Leodii 1818.

J. B. Gerhauser Biblische Hermeneutik I. Thl. Einleitung in die Schriften des A. u. N. B.; II. Thl. Grundsätze der Schriftauslegung. Kempten 1829.

Riegler Georg Biblische Hermeneutik, II. Ausgabe. Augsb. 1847.

Caspari Unterkircher hermeneutica biblica catholica 1830, cujus tertia editio reformata et aucta prodiit cura J. V. Hofmann. Oeniponte 1846.

Joannis Ranolder hermeneuticae biblicae generalis principia rationalia, christiana et catholica. Quinque-ecclesiis 1838.

Jonath. Mich. Athanasii Löhnis Grundzüge der biblischen Hermeneutik und Kritik. Giessen 1839.

Antonii Schmitter Grundlinien der biblischen Hermeneutik. Regensburg 1844.

Patritius Fr. X. de interpretatione scripturarum ss. 2 tomi. Romae 1844.

Conradi Lomb Biblische Hermeneutik nach den Grundsätzen der katholischen Kirche dargestellt. Fulda 1847.

B) Acatholicorum:

Matthiae Flacii clavis Scripturae sacrae primo Basileae 1567. edita, dein saepius repetita (optima edit. Jenae 1675.) Ejus principia longâ scriptorum serie exhibita et uberius exposita sunt *).

Salomonis Glassii philologia sacra, qua totius V. et N. T. Scripturae tum stylus et litteratura, tum sensus et genuinae interpretationis ratio expenditur. Jenae 1623. in 4., dein saepius, et postremo recentioris temporis indigentiis accommodata edita est a Joanne Aug. Dathe. Lips. 1776., et a Georgio Lud. Bauer 1797.

Joannis Conr. Dannhauer hermeneutica sacra seu methodus exponandarum ss. literarum. Argentor. 1684.

Aug. Pfeiffer hermeneutica sacra seu tractatio luculenta de interpretatione ss. litterarum. Dresdae 1684.; auctius edita cum praefatione Bened. Carpzov sub titulo: Thesaurus hermeneuticus. Lips. 1690.

Valentini Ern. Löscher breviarium theologiae exegeticae, legitimam s. S. interpretationem et studii biblici rationem succincte tradens. Witteberg. 1719. (Contra pietistas).

---

*) Cfr. Rosenmüllers Handbuch für die Literatur der bibl. Kritik und Exegese vol. IV. pag. 23. seqq.

Deyling: dissertatio de s. Scripturae recte interpretandae ratione et fatis. 1721. (in observationibus sacris IV. tom. pag. 725. seqq. Analogia fidei, usus loquendi et contextus investigatio. Contra Grotii interpretationem grammatico-hist.)

Joannis Jac. Rambach institutiones hermeneuticae sacrae. Jenae 1723. cum praef. J. Franc. Buddei, 8. edit. ibid. 1764. (Ejusdem indolis et directionis cum priore.)

Joannis Alph. Turretin de s. S. interpretatione tractatus bipartitus 1728.; cum notis et excursibus denuo editus a Teller 1776. (Contra interpretandi principia Catholicorum, et Protestantium regulam: Scriptura Scripturae interpres.)

Sigismundi Jac. Baumgarten: Unterricht ven der Auslegung der heil. Schrift. Halle 1742. et: Ausführlicher Vortrag über die Hermeneutik ibid. 1769. (Magister Semleri).

Joannis Salom. Semler: Vorbereitung zur theol. Hermeneutik. Halle 1759—68; ejusdem apparatus ad liberalem N. T. interpretationem. Halae 1767.; ejusd. apparatus ad liberalem V. T. interpretationem, Ibid. 1773. (Auctor acommodationis systematis, promotor interpretationis mere grammatico-historicae et rationalisticae, quae sub variis formis serius sese manifestat.)

Joannis Aug. Ernesti institutio interpretis N. T. Lips. 1761. edit. 5. cura Ammon 1809. ibid. (Auctor scholae philologicae).

S. F. Nath. Mori super hermeneut. N. T. acroases academicae. Lips. 1797—1802. (Commentarii instar ad opus praecedens se habet.)

G. Laurentii Bauer hermeneutica s. V. T. Lips, 1797. et: Entwurf einer Hermeneutik des A. und N. T. Leipz. 1799. (Interpretationis mere rationalisticae principia nude proposita, ut in duobus operibus seqq.)

G. W. Meyer: Versuch einer Hermeneutik des A. T. 2 Thle. Leipz. 1799., nova edit. 1812.

G. F. Seiler: Bibl. Herm. oder Grundsätze und Regeln der heil. Schrift des A. und N. T. Erlangen 1800.

Ch. Dan. Beck monogrammata hermeneutices librorum N. T. Pars I. herm. N. T. universa. Lips. 1803. (Juxta mentem Ernesti.)

Bretschneider: Uiber die historisch-dogm. Auslegung nach ihren Principien, Quellen und Hilfsmitteln. Leipz. 1806. (Partem dogm. maxime respicit.)

K. A. G. Keil: Lehrbuch der Hermeneutik des N. T. nach den Grundsätzen der grammatisch-hist. Interpretation. Leipz. 1810. (Completa imago interpretationis historico-grammaticae, quae absolvitur indagatione eorum, quae scripta sunt, sive ad facta, sive ad historiam spectent.)

Joannis Jac. Griesbach: Vorlesungen über die Hermeneutik des N. T., herausgegeben von J. C. S. Steiner. Nürnberg 1815. (Plura in opere praec. dicta mitigantur.)

Fried. Lücke: Grundriss der neutestamentl. Hermeneutik. Göttingen 1817. (Philologia christiana colenda.)

Kaiser: Grundriss eines Systems der N. T. Hermeneutik. Erlangen 1817. (Interpr. hist. gramm. juxta ideam christianismi originarii et christ. ecclesiae.)

J. H. Pareau institutio interpretis V. T. Udraci 1822.

Stier: Andeutungen für gläubiges Schriftverständniss. Leipz. 1824—30. (Nonnisi animus fidelis seu fide plenus s. S. interpretandae par est. Sensus duplex — mysticus.)

Olshausen: Die biblische Schriftauslegung. Königsb. 1824. Ein Wort über tiefern Schriftsinn ibid. 1824.

Hahn: Versuch über gramm. hist. Interpretation in theol. Studien und Kritiken 1830. (Scriptura Scripturae interpres.)

Germar: Panharmonische Interpretation der heil. Schrift. Schleswig 1821. Beitrag zur allg. Herm. Altona 1828. Uiber die Vernachlässigung der Hermeneutik in der protestant. Kirche. Halle 1837. Die hermeneutischen Mängel der sogenannten grammatisch-historischen, eigentlich aber der Tact-Interpretation 1834.

H. B. Klausen: Herm. des N. T., aus dem Dänischen übersetzt von Schmidt-Phiseldeck. Leipz. 1841. (Interpretatio nitatur fide in N. T. ceu Scripturam s., in dogmaticis semper veracem, et analogià argumenti ejus.)

C. G. Wilke: Die Hermeneutik des N. T. systematisch dargestellt. I. Thl. die hermeneutische Grundlehre. II. Thl. die herm. Methodenlehre. Leipz. 1843. 44.

J. L. Lutz: Bibl. Hermeneutik, nach dessen Tode herausgegeben von Adolph Lutz. Pforzheim 1849. (Interpr. historico-grammatica ope spiritus christiani et harmonia.)

De usu loquendi N. T. respectu grammatico determinando optime meritus est Dr. *Georgius Bened. Winer* opere: Grammatik des neutestamentlichen Sprachidioms, cujus 5. editio prodiit Lips. 1844. *Tittmann:* De synonymis N. T. liber I. et II. Lips. 1829. 32.; de rhetorica *Christianus Gottlob Wilke* libro: Die neutestamentliche Rhetorik, ein Seitenstück zur Grammatik des neutest. Sprachidioms. Dresden und Leipzig 1843.



Pars I.

De sensu inveniendo.

Sectio I.

De sensus investigatione per usum loquendi.

Caput I.

De usu loquendi in genere, et de modo ad certam ejus cognitionem perveniendi.

§. 27.

Interpres usum loquendi ante omnia respiciat necesse est, et tuto eum sequitur.

Quemadmodum qui totum aliquod rite cognoscere desiderat, singulas ejus partes perspectas habeat, necesse est: ita et de orationis cujuscunque sensu cognoscendo ne sermo quidem esse potest, nisi singularum ejus partium, i. e. vocum, formarum et formularum, quatenus notionum signa sunt, potestas sit nota. Cum vero hanc usus loquendi doceat, patet, eundem interpreti ante omnia bene cognoscendum et probe respiciendum esse, quo demum facto certus esse potest, rectam tutamque viam sibi patere, qua ad cognitionem sensus loquentis perveniat, utpote qui ipse, etsi (coll. §. 3) *non absolutâ, hypotheticâ tamen cogebatur necessitate ad eas notiones cum vocibus, formis ac formulis suis conjungendas, quas alii quoque ejusdem gentis aut classis homines iisdem subjicere solebant aut solent.*

Objectio. Usus loquendi linguae cujusvis successu temporis varias subit mutationes, dum vel *a)* ipsae notiones vocabulis expressae perficiuntur; vel *b)* novae voces novaeque pristinarum vocum significationes inducuntur; vel denique *c)* certarum vocum significatus prius usitati obliterantur, et in specie vocabula sic dicta media aut bono tantum, aut solum malo significatu adhibentur *). Interpres itaque non tuto sequi potest usum loquendi, quia hic sae-

---

*) „Multa renascentur, quae jam cecidere, cadentque
Quae nunc sunt, vocabula.“ Horat. in ep. ad Pisones.

nius longe alia suppeditat, quam quae aetate auctoris cujusdam valebant.

Resp. Quae in objectione hacce enumerantur, partim non sunt verae usus loquendi mutationes, partim non ita comparata, ut sententiam nostram evertant. Nam

Ad a) Si ipsae notiones vocabulis expressae perficiuntur, nexus earum cum vocibus non turbatur, sed manet specifice idem; perfectio vero vel tenuitas notionum per conditionem loquentis ab interprete aeque respiciendam determinatur.

Ad b) Si nova enascuntur vocabula, vel si cum vocibus pristinis praeter antiquiorem quaedam significatio jungitur nova: utrumque fit aut prius aut serius, ac liber certus exaratus est, aut ab ipso auctore, de cùjus usu loquendi quaeritur. Si primum habet locum, auctor non novum, sed eum sui temporis sequitur usum loquendi; si alterum fit, usus loquendi prior non tollitur; quodsi vero tertium evenit, loquens aut definitiones simul adponit juxta usum loquendi compositas, unde notiones ab eo per voces significatae innotescunt; aut etsi non communem, saltem certae hominum classis, i. e. peculiarem observat usum loquendi, quem proin et interpres inquirat ac respiciat, oportet.

Ad c) Haecce usus loquendi mutatio rarissime tantum, neque adeo repente aut occulte evenit, ut tempus ejus factae determinari non possit; quare indagandam est interpreti, qualis circa voces tales fuerit usus loquendi eâ aetate, qua loquens floruit, et dummodo praesto sint fontes, e quibus hocce cognoscitur, nihil difficultatis adest.

§. 28.

Quomodo usus loquendi linguae emortuae certo cognosci potest?

Qua via ad certam cognitionem usus loquendi linguae adhuc vivae perveniamus, dubium non est; fit enim hoc attendendo vel quaerendo, quinam significatus cum certis vocabulis, formis aut formulis conjungi soleant. *Si vero lingua emortua est, quaestio, quaenam notiones per singula vocabula expressae sint, est quaestio facti, e testimoniis fide dignis dijudicanda.*

Sunt autem testimonia haec, quae etiam fontes usus loquendi dicuntur, duplicis generis, nimirum immediata et mediata.

a) Immediata sunt lexica, scholia. glossae, versiones et commentarii, qui ex illa aetate descendunt, qua lingua nunc emortua adhuc erat viva.

b) Mediata sunt lexica, scholia etc., quae ex illo aevo ad nos pervenerunt, quo lingua non amplius quidem erat viva, viva tamen adhuc conservabatur traditio scholaris, i. e. quo lingua nunc emortua ab illis adhuc docebatur, quibus vel erat vernacula, vel qui eam a talibus didicerant.

Cognitioni linguae emortuae dialecti cognatae, etymologia et analogia linguae, nec non propria lectio haud contemnendas ferunt suppetias. quae ideo subsidia cognoscendi usus loquendi dicuntur.

De his singulis agemus, et quidem

§. 29.

A) De fontium, e quibus usus loquendi linguae emortuae cognoscitur, momento.

Fontium nominatorum momentum eo gravius est, quo antiquiores sunt, quo pleniores ac minus suspecti de judicii proprii usu seu de fide laesa.

1. Scholia et glossae jam ex parte antiquitatis saepius maxima gaudent auctoritate, quia non raro ex ea aetate, qua libri ipsi sunt scripti, aut non multo recentiori descendunt. Ast respectu ubertatis et fidei levioris sunt ponderis, cum a) nonnisi vocabula obscura explicent, b) plerumque solum testentur, qua in significatione vocabulum quoddam certo tempore adhibitum sit, et c) non raro neglecto usu loquendi contextum sequantur; nam scholiasta et glossator non omnes enumerant vocum significatus, sed plerumque tantum edicunt, quid vocabulum hoc illudve in contextu significet, quem glossâ vel scholio illustrant; quare etiam hanc illamve significationem cujusdam vocis, quae contextui optime convenire videbatur, hoc in loco adoptare poterant, licet vocabulo huic non conveniret vi usus loquendi, saltem non illius temporis, quo liber ipse est scriptus.

Ceterum inter scholia et glossas hoc discriminis statuitur: Scholia occupantur illustratione vocabulorum, quae ob contextum difficiliorem obscura sunt, et rebus ipsis explicandis raro operam navant; glossae vero nonnisi ea explicant, quae ob antiquitatem vel raritatem usus non sunt sat clara.

2. Lexica omnes complectuntur linguae divitias; nam non indicant, quae significatio vocibus in his vel illis locis, sed quae iisdem in genere conveniant, et vel propterea minus suspecta sunt, ne magis contextus rationem habuerint, quam usus loquendi; dein lexica, saltem bona, innuunt etiam tempus, quo hae illaeve significationes vocabulorum sint usurpatae, dum plerumque auctores nominant.

3. Versiones ac commentarii intuitu ubertatis et fidei etiam inferiores sunt lexicis, et quidem eâdem ex causa, ex qua haec scholiis et glossis praeferuntur. Commentarii autem versionibus praestant, quod plura exempla adferendo, quibus explicationes suas comprobent, et ab exceptionibus vindicent, partim fidem suam luculentius contestantur, ideoque minus suspecti sunt de judicii proprii usu; partim ampliorem praebent linguae cognitionem, adeoque fons uberior sunt, quam versiones ad usum loquendi cognoscendum. Praeterea in versionibus attendendum est, utrum incorruptae ad nos pervenerint, item an non fors aliam textus originalis lectionem secutae sint, ac quam nos hodie tenemus, cui dubitationi commentarii minus obnoxii sunt, quia partim non tam facile adulterari solent, partim lectionem, quam sequuntur, plerumque diserte commemorant, vel alia ratione facilius, quam versiones, cognoscendam praebent.

§. 30.

B) De subsidiorum cognoscendi usum loquendi linguae emortuae auctoritate.

1. Dialecti cognatae. Significationes vocum linguae emortuae e dialecto ei cognata et adhuc vivente erui posse, dubio caret; ast heuristicum (inventitium) *solum, minime vero constitutivum usum hac in re dialectis cognatis vindicare fas est.* Si v. g. vocis alicujus hebraicae significationem ignores, eandemque vel saltem affinem in dialecto arabicâ reperias: suspicari quidem, nequaquam vero omni cum certitudine asserere licet, illi hebraicae voci eosdem esse significatus, quos idem vel affine vocabulum arabicum habet. *Etenim cuivis dialecto sua esse peculiaria, et ideo vocabula affinia in diversis linguis cognatis saepe diversissimos habere significatus, inficias iri nequit*); quare si uni dialecto usum significationum determinandarum quoad voces alterius constitutivum tribueremus: a) quae cuique propria sunt, perperam obtruderentur ceteris ei cognatis, et sic contra rei naturam omne dialectorum discrimen necessario everteretur; praeterea b) arbitrio, in locis dubiis eam semper significationem ex hac vel illa dialecto eligendi, quae systemati, cui quisque adhaeret, aut opinionibus ejus praeconceptis maxime favet, latissima aperiretur porta, sicque omnis interpretationis certitudo plane tolleretur.* Cfr. §. 49. a.

2. Etymologia et analogia linguae.

a) Etymologia linguae est derivatio significationis vel primigeniae ex elementis et radice vocis, vel secundariae ex primigenia ob affinitatis nexum inter res indicatas intercedentem. Si v. g. quaerenda est significatio vocis *μετοικεσία*, respiciendum ad elementa *μετά et οἰκεσία*, cujus radix est *οἶκος*, domus; inde descendit *οἰκέω*, in domo versor, i. e. habito, *οἰκίζω*, habitare facio; hinc, quia *μετά* in compositione denotat trans, *μετοικίζω* indicat alio in loco habitare facio, transporto; unde vocem *μετοικεσία* transportationem significare, recte colligitur. — Si vocabuli *φῶς* secundaria significatio investiganda, inquirendum est objectum cum luce in affinitatis nexu positum; tale autem est doctrina praestans, quae, porro ipse doctor, qui ignorantiam pellit efficitque, ut homo, quae sobria sint

---

*) Sic v. g. לֶחֶם panis, لَحْم caro; בָּשָׂר caro, بَشَر pellis; יָשֵׁן dormivit وَسِنَ dormitavit (schlummern), et contra נוּם dormitavit, نَامَ dormivit denotat. Cfr. Gallorum journée Tag et Anglorum journey Reise, Tagreise, Landreise; sentire lat. fühlen, ital. hören; mirari wundern, et Hispan. mirare schauen, unde et Gallorum mirage Luftspiegelung et miroir Spiegel; Latin. mittere schicken, et Gall. mettre legen, setzen, stellen; Gall. mets Gericht, Speise, et Angl. meat Fleisch; German. Tisch et Angl. dish, Gericht, Schüssel; Angl. foot Speise für Menschen, et Germ. Futter für Thiere; Angl. stove Ofen et Germ. Stube. Relate ad dialectos slavicas cfr. e. g. Polon. raz einmal, Bohem. ráz Schlag, tropice Merkmal: олово (olowo) Russis Zinn, Bohem. Blei; лукъ (luk) Russ. Zwiebel, Boh. ein Bogen an der Armbrust; черта (tscherta) Russ. Linie, Boh. zum Teufel; часъ (tschas) Russ. Stunde, Boh. Zeit.

ac proficua, cognoscere et facere valeat, dein omnis verae cognitionis fons; ergo vi etymologiae secundaria significatio vocis φῶς est doctrina praestans, dein doctor et denique fons, unde omnis vera cognitio promanat.

b) Analogia linguae est congruentia significationis formae alicujus aut formulae cum majori vel minori numero similium formarum aut formularum eâdem potestate gaudentium. Si v. g. formam verbi μαι, σαι, ται saepius recurrentem statum subjecti passivum indicare viderimus, eandem, si denuo occurrit, etiam hic passivam habere potestatem, concludere licet. Ita etiam, quia saepius legitur formula, in qua praepositio κατὰ cum accusativo constructa denotat, aliquid esse aut fieri juxta id, quod substantivo indicatur, formulae huic, si denuo quodam in loco exstat, eandem vim tribuendam esse, suspicari poterimus.

Attamen non obstantibus hisce usus etymologiae et analogiae linguae in cognoscendis vocum, formarum ac formularum significationibus non est constitutivus, sed tantum subsidiarius, quia non praebet certitudinem, quam hac in re solus usus loquendi suppeditat. Sic v. g. etymologia docet quidem, vocem προφήτης vi elementorum et radicis denotare eum, qui futura praedicit, vatem; ast non raro istam significationem voci huic tribuendo erraret interpres, quia eadem vox vi usus loquendi pluribus in locis significat religionis doctorem, qui non praedicit futura, sed voluntatem Dei hominibus pandit, imo et interpretem, qui alterius vice loquitur. Etiam affinitas sola inter res intercedens non sufficit ad certitudinem efficiendam. Si v. g. vocabulum λέων in significatione secundaria adhibetur, vel regem potentem, vel heroëm, vel virum magnanimum, vel saevum denotare potest. Certitudo autem, quae harum significationum voci huic conveniat hoc vel illo in loco, tum tantum adest, si ex usu loquendi constat, qua ex parte loquens similitudinem illam leonis cum homine spectare consueverit; nam etiamsi omnes has similitudines cognitas habere aut spectare potuisset, eas tamen non omnes cognitas habere aut spectare debuit. *Etymologia ergo non docet, quae voci alicui significatio tum primigenia, tum secundaria revera conveniat; sed tantum manifestat, quae ei convenire possit. Si vero solum possibilem significationem pandit, usum ejus non esse nisi subsidiarium, sponte consequitur. Nihilominus tamem studium ejus merito commendatur tum ob ipsum hunc usum subsidiarium, tum et praecipue quidem ideo, quod insignem opem fert memoriae in retinendis significationibus, quae vocabulis vi usus loquendi conveniunt;* memoria enim ope etymologiae multos, non raro longe divergentes unius vocis notiones facilius retinet, dum in significatione prima quasi firmum habet punctum, cui reliquas notiones adnectere valet,

Neque analogia certam praebet significationum cognitionem; etsi enim major numerus formarum ac formularum, eâdem potestate gaudentium, simili formae et formulae significationem similem subesse probabile reddat: certitudo tamen deest. Sic v. g. magnus est numerus verborum graecorum formam μαι habentium, et notio-

nem passivam exprimentium; nihilominus tamen adsunt verba in *μαι* terminata, quae passivo significatu non gaudent. Ita etiam licet praepositio *κατὰ* cum accusativo constructa saepe denotet aliquid esse vel fieri juxta aliquid: tamen expressio *κατὰ Ματθαῖον* (sc. *εὐαγγέλιον*) aliam habet significationem, denotat nempe auctorem, ita ut simul innuat, idem argumentum a pluribus literis esse tractatum, seu a pluribus aliis Evangelia esse conscripta. *Quodsi vero analogia non certam praebet significationem vocum et formularum, sed nonnisi probabilem: usus ejus non est, nisi subsidiarius. Attamen haud secus atque etymologia semper est respicienda;* sicut enim cujusvis facti veritas valde firmari censetur, si ad testimonia etiam internae tum possibilitatis, tum probabilitatis notae accedunt: ita etiam significatio, quae per usum loquendi cognoscitur, nonnihil roboris et plurimum lucis nanciscitur, si analogiae et etymologiae linguae congruere intelligitur. Imo si satis manifesta est congruentia significationis vel primae cum elementorum vocis potestate, vel secundariae ob rerum affinitatem, et praeprimis si certae formae vel formulae significatio firmatur permagno similium formarum aut formularum, eâdem potestate gaudentium, numero, ita ut vel paucae, vel prorsus nullae adsint exceptiones: tantam ejusmodi significatio ex etymologiâ et analogiâ cognita probabilitatem acquirere potest, ut a certitudine parum absit, utque testimoniorum defectum compenset.

Corollarium. Quum usus loquendi certam praebeat significationum cognitionem, dialecti cognatae vero, etymologia et analogia nonnisi possibilem vel probabilem: patet, eum, qui praeter vel plane contra usum loquendi dialectos cognatas, etymologiam aut analogiam linguae sequitur, manifeste peccare contra leges logicae; talis enim quod solum probabile, imo quod tantum possibile est, praefert ei, quod est certum. Interpretatio itaque contra vel praeter usum loquendi suscepta nunquam admitti potest, ubicunque usus loquendi plane cognitus est, quamvis illa vel dialectis cognatis, vel etymologia et analogia, vel omnibus simul nitatur.

3. Propria lectio. Etsi ab illa linguae cognitione, quae mediis enumeratis comparatur, non omnis imperfectio abesse solet: haec tamen, si non penitus tolli, certe diminui poterit lectione librorum ipsorum, in hac lingua exstantium. Nam licet illi ipsi sint, quorum usus loquendi quaeritur, postquam tamen potior linguae pars historice fuerit cognita, egregie adhiberi poterunt ad ea facilius pleniusque cognoscenda, quae per media ante commemorata vel in obscuro, vel in incerto erant relicta, quum non raro obscuriora ejusmodi vocabula per clariora, vel per logicam plane definitionem aliis in locis explicentur, aut saltem tali in contextu legantur, qui unicam tantum notionem admittit.

Caput II.

De usu loquendi s. Scripturae, et de fontibus, unde sit cognosendus.

§. 31.

Quaestio praevia. Num interpreti catholico ad idioma originale redire liceat?

Nonnulli contenderunt, decreto concilii Tridentini sess. IV. edito, quo Versio vulgata authentica declaratur, interpretem catholicum ad textum originalem redire probiberi. Verba decreti haec sunt:

„Insuper sacrosancta synodus considerans, non parum utilitatis accedere posse ecclesiae Dei, si ex omnibus latinis editionibus, quae circumferuntur sacrorum librorum, quaenam pro authentica sit habenda, innotescat, statuit et declarat, ut haec ipsa vetus et vulgata editio, quae longo tot saeculorum usu in ipsa ecclesia probata est, in publicis lectionibus, disputationibus et expositionibus pro authentica habeatur, et nemo eam rejicere quovis praetextu audeat aut praesumat.“

Versio jam authentica esse potest strictiori et latiori sensu; strictiori sensu est authentica, si archetypum ubique locorum accuratissime repraesentat, exaequat et compensat, ita ut immunis sit ab omni omnino, etiam levissimo mendo, a versore commisso; latiori sensu, si non ab omni quidem, attamen a tali errore est aliena, quo argumenti essentia immutaretur, seu auctoris mens in essentialibus perverteretur.

Concilium Tridentinum Catholicis aditum ad textum originalem interdixisse nonnisi tum esset fatendum, si versionem Vulgatam sensu strictiori et relate ad textum originalem declarasset authenticam; atqui neutrum locum habet, ergo etc.

1. Concilium Trid. versionem Vulgatam non strictiori, sed latiori tantum sensu declaravit authenticam, i. e. talem, quae non ab omni quidem mendo immunis, nullo tamen ejusmodi errore esset defoedata, quo in essentialibus ss. auctorum sensus ita perverteretur, ut perniciosum aliquod dogma inde colligi posset. Quod manifeste docent:

a) Pallavicinius dicens*): „Num forte inficiamur, in editione vulgata multa esse ambigua, obscura multa, quibus lux affunditur a bibliis primorum idiomatum? Nonne illorum ope catholici interpretes passim utuntur? Nonne id etiam proxime post concilii decretum egerunt, quin et adhuc perdurante concilio? Quod palam facit, id non opponi sententiae Patrum Tridentinorum.“ — Idem confirmat

b) Vega, theologus concilii, qui Cardinalis a s. Cruce, postea sub Marcelli II. nomine Pontificis Romani, familiaritate erat usus, et haec refert**): „Synodus non adprobavit menda, quae lingua-

*) Hist. concilii Trid. lib. VI. 17. n. 6.

**) Lib. XV. c. 9. de justificatione, ubi id agit, ut ostendat, frustra desudare Calvinum in ostendendis vitiis Vulgatae editionis.

rum periti et in ss. literis mediocriter versati in ea deprehendunt, — — — atque eatenus voluit authenticam haberi, ut certum omnibus esset, nullo eam defoedatam esse errore, ex quo perniciosum aliquod dogma in fide et moribus posset colligi, atque ideo adjecit, ne quis illam quovis praetextu rejicere auderet. — — — Et ne dubites de his, verissime possum tibi allegare pro his amplissimum et observantissimum s. Crucis Cardinalem, de pietate et de literis et studiis omnibus optime meritum, qui illi sessioni et aliis omnibus praefuit, ac pridie quidem, quam illud decretum firmaret, et postea, non opinor, semel mihi testatus est, nihil amplius voluisse Patres firmare."

c) *Bellarminus* ait*): Stultum est dicere, Theodotionem haereticum (ex quo quaedam in Vulgatam translata sunt) non potuisse errare, vel s. Hieronymum nunquam errasse, quum ipse in Jes. c. 19. dicat, se errasse, et ecclesia ejus correctionem receperit. Non illos auctores canonizavit ecclesia, sed tantum hanc versionem approbavit; certos nos reddere voluit, in iis, quae ad fidem et mores pertinent, nulla esse in hac versione interpretum errata." — Denique assertionis nostrae veritatem luculentissime contestantur

d) *ipsius concilii verba, decreto supra citato addita, quibus statuit, ut „ipsa haec vetus et vulgata editio posthac quam emendatissime imprimatur."*

2. *Concilium versionem Vulgatam sensu latiori authenticam declaravit non relate ad textum originalem, sed ratione habita aliarum versionum latinarum;* nam utrumque patet ex ipsius decreti tenore, et quidem primum ex voto concilii, ut ipsa haec vetus et vulgata editio posthac quam emendatissime imprimatur, quod cum absque textus originalis usu fieri non posset, de hujus authentia et praerogativis dubium non erat; alterum ex apertis concilii verbis: „Si ex omnibus latinis editionibus etc." **)

Sapienter itaque concilium decreto isto voluit a) praecavere, ne Catholici, latina lingua utentes, et textus originalis ignari, in versiones inciderent a Protestantibus profectas et orthodoxiae periculosas; et β) efficere, ut ex omnibus versionibus latinis eo tempore exstantibus satque perversis illa commendaretur, quae, licet non prorsus libera ab omni, nullo tamen tali defoedata esset errore, qui pernicioso cuidam dogmati patrocinaretur, ita ut documenti instar in essentialibus fidem facientis haberi posset.

---

*) Lib. II. de verbo Dei c. 11.

**) Salmero, qui cum Bellarmino interfuit concilio, in Prolegom. 3. „Nihil, inquit, de exemplaribus graecis vel hebraicis agebatur; tantum inter tot editiones latinas, quas nostra saecula parturierant, quaenam ex illis praestaret, sermo erat; liberum autem reliquit omnibus, qui Scripturas sacras profundius meditantur, fontes hebraicos et graecos, quatenus opus est, consulere, quo nostram vitio librariorum vel temporum injuria corruptam emendare valeant"

Julius Rugenus, Secretarius apostolicus, lib. de Script. can. c. 44. scribit: „Cujus piae aures ferre poterunt, hebraicam editionem — — a qua omnes editiones velut a parente et fonte suo fluxerunt, correctiones derivantur et discrepantiae librariorum culpâ exortae saepius sublatae sunt, nunc explosam et damnatam esse!"

Hocce fuisse Patrum Tridentinorum consilium, non vero prohibere Catholicis, linguarum originalium gnaris, aditum ad textum s. Scripturae originalem, insuper inde patet, quod

a) ipsi Pontifices plures, praecipue Sixtus V. et Clemens VIII. in versionis Vulgatae emendatione codices graecos atque hebraicos adhibuerunt, ut in praefatione ad Romanam editionem legimus; quod secus

b) theologis catholicis non impune licuisset, ipso concilii tempore et postea idioma originale adire (cfr. Pallavicin. I. c.); *quod saltem*

c) Catholicorum theologorum conamina, in emendanda versione Vulgata brevi post concilium Trident. suscepta, in ipsa praefatione ad Romanam Vulgatae editionem non potuissent tanta cum laude commemori *).

Cum jam adeundi ad idioma originale jus interpreti catholico vindicatum sit; cum porro, quo idiomate libri biblici V. F. conscripti sint, in introductione in V. T. doceatur, et libros sacros N. T. graeca lingua exaratos esse, demto Evangelio s. Matthaei et fors excepta epistola s. Pauli ad Hebraeos, quorum tamen scriptorum nonnisi graecus ad nos pervenit textus, in introductione in N. T. demonstretur: restat, ut de indole linguae N. T. necessaria tradamus, quo facto et de usu loquendi N. T. justa ferri sententia, fontesque indicari poterunt, e quibus ejus cognitio sit haurienda.

Articulus I.

De indole linguae N. T. **)

§. 32.

Varia eruditorum hac de re judicia, et tractandorum conspectus.

De indole N. T. linguae non una erat omnium eruditorum sententia. Inde nimirum a saeculo XVII. alii stylo N. T. omnimodam puritatem et elegantiam graecam eamque atticam vindicare conati sunt (Puristae); *alii vero hebraicum quoque ejus elementum non solum agnoverunt, sed hic ibi ultra justos quoque terminos extendere adlaborarunt* (Hebraistae). Horum sententia jam sub finem saeculi XVII. dominans evasit, quin tamen priorum persuasionem, utpote doctos nactam defensores, penitus profligare valeret. *Recentissimo demum aevo contigit viris eruditis, et de philologia sacra optime meritis adeo esse felicibus, ut Hebraistarum etiam sententiam non omni ex parte veritate niti intelligentes,*

---

*) Cfr. Du Pin: Dissertation prélim. I. I. chap. VII. §. 3; De Azevedo: Pro Vulgata latina liber apologeticus, Olisipone 1792; Janssens hermeneut. s. volum. II. pag. 242 seq.

**) Cfr. Grammatik des neutestamentlichen Sprachidioms von Dr. Georg Benedict Winer. 5. verbesserte und vermehrte Auflage. Leipzig 1844. pag. 15 seqq.

mediâ viâ etiam hac in re ad vera ducente incederent statuerentque, elementum fundamentale N. T. idiomatis esse linguam graecam vulgarem, ei porro impressum esse characterem linguae hebraicae et aramaicae tum quoad formam externam, tum hic ibi quoad indolem internam, et denique admixta quoque plura, quae religio christiana in usu loquendi effecerat nova

Hoc itaque ordine agemus de linguae N. T. elementis, nimirum quatenus est graeca, hebraistica et N. T. scriptoribus peculiaris, quo facto patebit, idioma N. T. nec pure graecam esse linguam, eamque antiquam atticam, neque adeo hebraismis ubique et aeque refertam, ut passim clamitarunt grammatici et interpretes *).



De indole linguae N. T. fundamentali, seu de lingua N. T., quatenus est graeca.

§. 33.

Indoles linguae graecae serioris communis ac vulgaris **).

Aetate Alexandri M. ejusque successorum lingua graeca duplicis generis subiit mutationem internam, quatenus enata est a) dialectus communis (διάλεκτος κοινή), i. e. lingua prosaica in libris adhibita, cujus fundamentum erat dialectus attica, ab hac vero distinguebatur receptis tum illis, quae quomodocunque erant graeca, tum pluribus provincialismis; b) dialectus vulgaris, i. e. lingua in vita quotidiana usitata, in qua proprietates variarum prius separatarum dialectorum confluxerunt in unam, ita tamen, ut macedonica praevaleret.

Peculiaritates dialecti communis sunt partim lexicales, partim grammaticales.

1. Lexicales: dialectus haec

a) complectebatur voces ac vocum formas omnium dialectorum graecarum absque discrimine, nimirum atticas, doricas, jonicas, macedonicas, syracusanas;

b) vocibus, quae jam antiquis erant usitatae, tribuebat significationes novas, inprimis autem in verba neutra translata est significatio transitiva; in ea

c) voces aut vocum formae, ab antiquis Graecis raro, aut nonnisi a poëtis et in stylo sublimiori adhibitae, factae sunt usitatiores et adamatae, vel in stylum prosaicum quoque abierunt;

d) voces quaedam aliam, plerumque longiorem induerunt formam; denique

e) novae voces ac formae sunt enatae

---

*) Brevitatis causa per hebraismos designamus, quaecunque vel e lingua hebraica, vel aramaica, vel rabbinica in N. T. sunt ingressa.

**) Cfr. Winer op. cit. pag. 24 seqq.

aa) plerumque per compositionem;
bb) praecipue frequentia sunt substantiva in μα terminata; orta sunt
cc) composita cum praepositione συν,
dd) adjectiva in ινος,
ee) verba in οω et ιζω, denique
ff) adverbia recentia.

2. *Grammaticales sunt pauciores,* et quidem

a) in formarum doctrina: recipiebantur nominum ac verborum flexiones, quae aut

α) prius non erant in usu, et serius demum vel decurtatione vel prolongatione formarum primitivarum ortae sunt; aut quae

β) ad peculiaritates singularum dialectorum pertinebant; inprimis huc pertinent

γ) multorum verborum tempora analogice quidem formata, quorum tamen loco lingua antiquior aliis erat usa, et hae ipsae temporum ac modorum formae numero auctae, quarum prius ratione habita euphoniae nonnisi singulae erant in usu, est nota serioris linguae characteristica; denique

δ) nomina quaedam novum genus assumserunt, et ideo duplici declinationi subjecta sunt.

b) In syntaxi sunt paucae, quae maxime consistunt in usu negligentiori modorum cum particulis constructorum.

Dialectum vulgarem non plene quidem habemus cognitam; ex comparatione tamen idiomatis hellenistici (linguae graecae Judaeis usitatae), quatenus non hebraizat, cum linguâ Graecorum sequioris aevi in libris adhibitâ dijudicari potest, illam ab antiqua elegantia magis adhuc divergentem novas ac provinciales voces ac formas majori numero suscepisse; discrimina subtiliora in flexionibus ac constructionibus magis adhuc neglexisse; constructionibus grammaticis, originis et rationis earum oblitam, magis adhuc esse abusam, et generatim magis adhuc, quam linguam eruditorum degenerasse.

Hae peculiaritates in ipsa lingua graeca enatae dicuntur Alexandrinismi, non tam ideo, quod ab Alexandri demum tempore originem ducunt, quam potius eo, ut hac compellatione ceu impura seu barbara notentur. — Dialectus haec impura dicitur, quia non tantum Alexandrinismis abundat, sed etiam pro diversitate provinciarum provincialismi, et in linguam saltem vulgarem Latinismi ingressi sunt, ab eo nempe tempore, quo Graeci atque aliae etiam gentes, graecâ usae, in potestatem Romanorum redactae romanos magistratus et milites sibi praepositos habuerunt.

Cum Judaei linguae graecae cognitionem neque in scholis Graecorum, neque ex libris eruditorum, sed e communi vitâ, e frequenti cum hominibus graecis consuetudine hauserint: in aprico est, linguam graecam vulgarem superius delineatam fundamentum esse ut styli versionis Septuaginta et librorum deuterocanonicorum V. F., ita et N. T. idiomatis.

Revera autem idioma N. T. ita comparatum esse, ostendunt

A) Alexandrinismi in N. T.

§. 34.

Quoad peculiaritates

1. lexicales.

Lingua N. T. graeca

a) complectitur voces et vocum formas omnium dialectorum graecarum absque discrimine, et quidem

α) atticas, ut

αἰτός (αἰετός), aquila, Apoc. 4, 7. 8, 13. 12, 14. al.
ἀλήθειν (αλέω Hom.) molere, Mt. 24, 41. al.
ἱλεώς, ω, ὁ, ἡ, (ἵλαος) propitius, Hebr. 8, 12. al.
πρύμνα, ης, (πρυμνὴ ναῦς), puppis, Mr. 4, 38. Act. 27, 29. 42.
σκότος, ου, ὁ, (σκότος, ους, τὸ), tenebrae Hebr. 12, 18.
ὕαλος, ου (ὕελον), vitrum, crystallum, Apoc. 21, 18. 21.
φιάλη (φιέλη), phiala, Apoc. 5, 8. al.

β) doricas, ut

ἡ λιμός, οῦ (pro ὁ λ.), fames Luc. 15, 17. al.
κλίβανος (all. κρίβανος), fornax Mt. 6, 30. al.
πιάζω (πιέζω), prehendo, capio, Act. 3, 7. al.
ποία (l. ποίη vel πόα), gramen, Jac. 5, 14.

γ) jonicas, ut

βαθμός, οῦ (att. βασμός), gradus 1. Tim. 3, 13.
γογγύζω (att. τονθορύζω et τονθρύζω), murmuro, Joann. 7, 32. al.
ῥήσσω (l. ῥήγνυμι), rumpo, Mr. 2, 22. 9, 18.
σκορπίζω, dissipo, Joann. 10, 12. al.

δ) macedonicas, ut

παρεμβολή, castra, Hebr. 13, 11. al.
ῥύμη, platea, Mt. 6, 2. al.

b) Vocibus, quae jam antiquis erant usitatae, tribuuntur significationes novae, inprimis vero in verba neutra transfertur significatio transitiva, ut

ἀνακλίνειν, ἀναπίπτειν, ἀνακεῖσθαι, ad mensam accumbere, saep.
ἀποκριθῆναι (praes. et aor. 1. pass. secerni, segregari; med. ἀπεκρινάμην, ἀπεκρινόμην et ἀποκέκριμαι, respondeo), respondere, saep.
ἀποτάσσεσθαι (disponere, ablegare), renuntiare, valedicere, Mr. 6, 46. Luc. 9, 61. al.
διαπονεῖσθαι (activ. omni studio laboro, exerceo, defatigo) indignari, Act. 4, 2. 16, 18. (apud Hom. Iliad. 9, 12. aegritudine affici, bekümmert seyn, et τὸ πονεῖν, dolor. Plutarch. vit. Alex. c. 22.)
ἐρεύγεσθαι (eructare, effundere), eloqui, pronunciare, Mt. 13, 35. semel.
εὐχαριστεῖν (gratum esse, gratias referre), gratias agere, saep.
θριαμβεύειν (triumphare), triumphare facere aliquem, II. Cor. 2, 14.
μαθητεύειν (discipulum esse), discipulum facere, Mt. 28, 19.
παιδεύειν (educare), castigare, Hebr. 12, 7. al.
παρακαλεῖν (advocare, hortari), rogare, Mt. 18, 32. al.
περισπᾶσθαι (activ. circumcirca detraho), distrahi negotiis, Luc. 10, 40.

συγκρίνειν (conjungere, commiscere), conferre, comparare, II. Cor. 10, 12. al.
ἀμήτωρ (absque matre), ab ignota matre oriundus, Hebr. 7, 3.
ἀναστροφή (conversio), vita, I. Pet. 1, 17. Hebr. 13, 7.
δαίμων, δαιμόνιον (genius, daemon), spiritus malus (Byzantini adhuc, ut antiqui, adponunt *κακός*), saep.
εὐσχήμων (decorus), nobilis, Mr. 15, 43. al.
κεφαλίς, ιδος (capitulum, trop. extrema pars cylindrorum, quibus membranae librorum apud veteres circumvolvebantur, et in quorum partibus extremis erant figurae capitum formas réferentes), volumen, Buchrolle, Hebr. 10, 7.
ξύλον (lignum), arbor viva, Apoc. 2, 7. 22, 2. 14, 19.
μέθυσος, ὁ, ἡ, vinolentus, ebrius, I. Cor. 5, 11. 6, 6. de utroque sexu, cum apud antiquiores Graecos diceretur de solis feminis, de viris vero *μεθυστικός* et *μεθύων*.
ὀψάριον (diminut. ab *ὄψον*, obsonium, i. e. cibus, qui pani additur), piscis, Joann. 6, 9. al.
ὀψώνιον (ab *ὄψον* et *ὠνέομαι*, obsonium, quidquid emitur et cum pane editur) stipendium, Luc. 3, 14. al.
πτῶμα (res collapsa, ruina aedium, lapsus, Sturz), cadaver, Mt. 24, 28. al.
ῥύμη (i. q. *ὁρμή*, impetus, Thuc. 7, 70. Xenoph. Cyr. 7, 1. 31. Dionys. Hal. Ant. 5, 15) platea, Mt. 6, 2. al.
σχολή (otium), schola, Act. 19, 9.

c) Occurrunt voces et vocum formae, ab antiquis Graecis raro, aut nonnisi a poëtis et in stylo sublimiori adhibitae, ut

ἀλάλητος, qui ore non profertur, verbis non exprimitur, Rom. 8, 26.
ἀλέκτωρ, gallus gallinaceus, Mt. 26, 34. al.
ἔσθησις, vestis, Luc. 24, 4.
μεσονύκτιον, media nox, Luc. 11, 5. al.
αὐθεντεῖν, dominari, I. Tim. 2, 12.
βρέχειν, irrigare, pluviam demittere, Mt. 5, 45. al.

d) Non desunt voces, quae aliam, plerumque longiorem induerunt formam, ut

αἴτημα (ant. *αἴτησις*), res petita, Luc. 23, 24. al.
ἀνάθεμα (*ἀνάθημα*), quod Deo sacratur, quod est delendum etc. Rom. 9, 3. al.
ἀποστασία (*ἀπόστασις*), defectio, Act. 21, 21. II. Thess. 2, 3.
ἀργός, ή, όν (*ἀργός, όν*), otiosus, inutilis, perniciosus, malus, Mt. 12, 32.
ἀροτριᾶν (*ἀροῦν*), arare, Luc. 17, 7. 1. Cor. 9, 10.
βασίλισσα (*βασίλεια*), regina, Mt. 12, 42. al.
βιβλαρίδιον (*βιβλίδιον, βιβλιδάριον*); libellus, Apoc. 10, 2. 8. 9, 10.
γενέσια (*γενέθλια*), natalitia, Mt. 14, 6. Mr. 6, 21.
γλωσσόκομον (*γλωσσοκομεῖον*), loculus, marsupium, Joann. 12, 6. 13. 29.
δεκατοῦν (*δεκατεύειν*), decimas postulare, accipere, Hebr. 7, 6. 9.
ἔκπαλαι (*πάλαι*), jam dudum, II. Pet. 2, 3. 3, 5.
ἐξάπινα (*ἐξαπίνης*), subito reperte, Mr. 9, 8.
ἐχθές (*χθές*), heri, Joann. 4, 52.

ἐκχύνειν (ἐκχέειν), effundere, effundendo perdere, saep.
ἐλεεινός (ἐλεινός), miser, I. Cor. 15, 19. Apoc. 3, 17.
ἐξυπνίζειν (ἀφυπνίζειν), e somno excitare, Joann. 11, 11.
καταποντίζειν (καταποντοῦν), in pontum demergere, Mt. 14, 6. 18, 6.
καύχησις (καύχημα), gloriatio, II. Cor. 7, 14. al.
λυχνία (λυχνίον), candelabrum, Mt. 5, 15 al.
μελίσσιος (μελίσσειος — αῖος), apiarius, Luc. 24, 42.
μετοικεσία (μετοίκησις), migratio e sedibus domesticis, Mt. 1, 11. 12, 17.
μοιχαλίς (μοιχάς), moecha, adultera, Rom. 7, 3. al.
νοσσιά (νεοσσιά), pullus avium. Luc. 13, 34.
νουθεσία (νουθέτησις), admonitio, I. Cor. 10, 3. al.
ὀπτασία (ὄψις), visio, Luc. 1, 22. al.
πετάομαι (πέτομαι), volare, Apoc. 4, 7.
στήκω (ἕστηκα), sto, Mr. 11, 25. al.
συγκυρία (συγκύρησις) casus, Luc. 10, 31.
ψεῦσμα (ψεῦδος), mendacium, Rom. 3, 7.
ψιθυριστής (ψίθυρος), susurro, Rom. 1, 30.
ψιχίον (ψίξ), mica, frustulum, Mt. 15, 27. al.

e) Denique novae voces et formae in N. T. inveniuntur, plerumque enatae

aa) per compositionem, ut
αἱματεκχυσία, sanguinis effusio, Heb. 9, 22,
ἀλεκτοροφωνία, gallicinium, Mr. 13, 35.
ἀλλοτριοεπίσκοπος, alienorum appetitor, I. Petri 5, 14.
ἀνθρωποπάρεσκος, qui hominibus placere studet, Eph. 6, 6. Col. 3, 2.
ἀντίλυτρον, pretium redemtionis, I. Tim. 2, 6.
μονόφθαλμος, luscus, Mt. 18, 9. Mr. 9, 47.
σιτομέτριον, frumenti mensura, Luc. 12, 42.
ἀγαθουργεῖν, bene facere, I. Tim. 6, 18.
αἰχμαλωτίζειν, captivum ducere, Luc. 21, 24. Rom. 7, 23.
ἀποκεφαλίζειν, amputare caput, Mt. 14, 10. al.
καλοποιεῖν, bene facere, recte agere, II. Thess. 3, 13.
λιθοβολεῖν, lapidibus petere, Mt. 23, 37. al.
οἰκοδεσποτεῖν, rem familiarem administrare, I. Tim. 5, 14.
ὀρθοποδεῖν, rite et sancte vivere, Gal. 2, 14.
παραδειγματίζειν, ignominiae exponere, Mt. 1, 19. Heb. 6, 6. et alia.

bb) Substantiva terminata in μα, ut
ἀνταπόδομα, retributio, Luc. 14, 12. Rom. 11, 9.
βάπτισμα, immersio, baptisma, Mt. 3, 7. al.
γέννημα, progenies, Mt. 3, 7. al.
κατάλυμα, deversorium, Luc. 2, 7. 22, 11. Mr. 14, 14.

cc) Substantiva cum praepositione συν composita, ut
συμμαθητής, condiscipulus, Joann. 9, 16.
συμπολίτης, qui ejusdem est civitatis, Eph. 2, 19.

dd) Adjectiva in ινος, ut
καθημερινός, quotidianus, Act. 6, 1.
ὄρθρινος, matutinus, Apoc. 22. 16.
ὀστράκινος, testaceus, fictilis, II. Tim. 2, 20. II. Cor. 4, 7.

ee) Verba in οω *et* ιζω, ut
ἀνακαινόω, renovo, II. Cor. 4, 16. Col. 3, 10.
ἐξουδενόω, contemno, contumeliose tracto, Mr. 9, 12.
θεατρίζω, expono ut in theatro, Hebr. 10, 33.
φυλακίζω, custodiae trado, Act. 22, 19. etc.

ff) Adverbia nova, ut
πάντοτε (διὰ παντός, ἑκάστοτε), semper, Mt. 26, 11. saep.
παιδιόθεν (ἐκ παιδίου), a pueris, Mr. 9, 21.
πανοικί (πανοικίᾳ, πανοικησίᾳ), cum tota domo, Act. 16, 34. etc.

§. 35.

Quoad peculiaritates

2. grammaticales.

a) In formarum doctrina occurrunt in N. T.

α) Formae antiquiori linguae incognitae, ut
dativ. νοΐ loco νῷ, Rom. 7, 25. al.
imperat. κάθου l. κάθησο, Mt. 22, 44. al.
perfect. ἔγνωκαν l. ἐγνώκασι, Joann. 17, 7.
conjunct. fut. καυθήσωμαι, I. Cor. 13, 3. etc.

β) Flexiones nominum ac verborum, quae prius ad proprietates singularum dialectorum pertinebant, ut

αα) atticae, v. g. βούλει (βούλῃ), Luc. 22, 42; ὄψει (ὄψῃ), Joann. 11, 40.

ββ) doricae, ut ἀφέωνται ἀφεῖνται), Mt. 9, 2. 5. al.; ἤτω (ἔστω), I. Cor. 16, 22. Jac. 5, 12. etc.

γγ) jonicae, ut γήρει (dativ. loco γήρεϊ), Luc. 1, 36; εἶπα (aor. 1.), Mt. 26, 25. al.

γ) Tempora verborum analogice quidem formata, quorum tamen loco lingua antiquior aliis erat usa, ut ἡμάρτησα pro ἥμαρτον, Rom. 5, 14. al.; φάγομαι fut. loco ἔδομαι, Jac. 5, 8. etc.

δ) Nomina quaedam aliud genus nacta, ut: ἡ loco ὁ βάτος, rubus, Mr. 12, 26. Luc. 6, 44; τὸ ἔλεος, ες, loco ὁ ἔλεος, ου, misericordia, Luc. 10, 37. al. etc.

b) In syntaxi:

α) ὅταν cum indicativo praeteriti loco optativi, v. g. Mr. 3, 11; εἰ cum conjunctivo Apoc. 11, 5; ἵνα cum indicativo praesentis I. Cor. 4, 1. Gal. 4, 17.

β) Constructiones verborum, ut γενέσθαι cum accusativo Joann. 2, 9. al.; προσκυνεῖν cum dativo, Mt. 2, 2. 8. al.

γ) Vis conjunctionis ἵνα debilitata in formulis, ut θέλω ἵνα Mr. 6, 25. al.; ἄξιος ἵνα Joann. 1, 27. etc.;

δ) usus infinitivi (τοῦ ποιεῖν) ultra terminos naturales;

ε) usus conjunctivi loco optativi in oratione historica post praeteritum, et generatim raritas optativi, qui e lingua Neograecorum plane exulavit;

ζ) usus frequentior infinitivi post μέλλειν, θέλειν etc.;

η) declinatio neglecta, ut εἷς καθεῖς (ad imitationem formulae ἓν καθέν) Mr. 14, 19. Joann. 8, 9; καθεῖς Rom. 12, 5.; ἀνὰ εἷς Apoc. 21, 21.; εἷς παρ' εἷς Mr. 14, 19. Joann. 8, 9. nulla praepositionum ratione habita.

Ex dictis patet, in lingua N. T. graeca sat multos occurrere Alexandrinismos. Sed praeter hos non desunt, ut docebit

§. 36.

B) Judaismi et Cilicismi.

1. *Quemadmodum Judaei graece loquentes ad notiones suas peculiares sive religiosas, sive politicas, sive domesticas designandas utebantur vocabulis, quae apud Graecos objecta similia quidem, attamen alius conditionis seu alio modo comparata denotabant: ita et N. F. auctores, si de rebus judaicis verba faciunt, eundem popularium suorum loquendi usum observare tenebantur. Peculiares hae significationes vocibus graecis a Judaeis subjectae commode dici possunt Judaismi, quorum quaevis fere ss. literarum pagina exempla suppeditat.* Cfr. v. g. voces νόμος (de lege mos.), προφήτης, συναγωγή, προσευχή, τὸ ἱερόν, ὁ ναός, ἀρχιερεύς, λευῖται, φυλακτήριον, κράσπεδον, κρίσις (de judicio septemvirali), nomina festorum et alia.

2. *In epistolis Pauli Ap., Tarso, Ciliciae metropoli, oriundi, Cilicismos* *) *occurrere, mirum esse nequit, cum stylus epistolaris sermone familiari utens minime respuat voces ac formulas, in lingua vulgari provinciae alicujus usitatas. Quod revera locum habere, jam antiqui observarunt.* Sic s. Hieronymus ad Algasiam **) ait: „Multa sunt verba, quibus juxta morem urbis et provinciae suae familiarius Apostolus utitur, e quibus exempli gratia pauca ponenda sunt: Mihi autem parum est judicari ab humano die (I. Cor. 4, 9. ***): et οὐ κατενάρκησα ὑμῶν (non molestus fui vobis mercede a vobis exigenda II. Cor. 11, 9. 12, 13. seq.); et μηδεὶς ὑμᾶς καταβραβευέτω (nemo vos palma fraudet Coloss. 2, 8.), quibus et aliis verbis usque hodie utuntur Cilices. Nec hoc miremur in Apostolo, si utatur ejus linguae consuetudine, in qua natus est et nutritus, cum Virgilius, alter Homerus, patriae suae sequens consuetudinem, sceleratum frigus appellet."

Recentiores praeterea Cilicismis adnumerant: ἐκκακεῖν (succumbere labori) in significatione despondere animum prae metu, II. Cor. 4, 16. Eph. 4, 13.; καταργεῖν (otiosum, inutile reddere) destruere, abrogare, II. Cor. 3, 14.; εὐδοκία (benevolentia, amor) in sign. votum, desiderium, Rom. 10, 1.; περικάθαρμα (perpurgamentum), hominum pessimus, I. Cor. 4, 13.; προσαγωγή (adductio), accessus, Rom. 5, 2. al. †).

---

*) Arigler herm. pag. 97 seq.
**) Quaest. X. opp. tom. IV. pag. 204. edit. Martianay.
***) Cfr. nostrum: Tagsatzung.
†) Cfr. tamen Wineri grammat. pag. 31. edit. 5.

§. 37.

C) Latinismi

Quodsi coll. §. 33. Latinismi stricte tales facile ingredi poterant in linguam Judaeorum graecam, facilius adhuc in opera eorum auctorum transierunt, qui Romae diutius morati in usum Romanorum, ut s. Marcus, aut Italorum, ut s. Lucas, scripserunt. *Occurrere Latinismos in lingua N. T. graeca, docent*

1. Vocabula, ut: ἀσσάριον, Mt. 10, 29. Luc. 12, 6.; δηνάριον. Mr. 6, 37. 12, 15. al.; κεντουρίων, Mr. 15, 39. 44. 45.; κῆνσος, Mt. 17, 25. 22, 17. 19. Mr. 12, 15.; κοδράντης, Mt. 5, 26. al.; κολωνία, Act. 16, 12.; κουστωδία, Mt. 27, 65. 66. 28, 12; λεγέων, Mr. 5, 9. 15. Luc. 8, 30.; μάκελλον, I. Cor. 10, 25.; μεμβράνα (quo tamen jam Strabo usus est), II. Tim. 4, 13.; μόδιος, Mt. 5, 15. al.; ξέστης, Mr. 7, 4. 8.; πραιτώριον, Mt. 27, 27. coll. cum Mr. 15, 16.; σικάριος, Mt. 21, 38.; σιμικίνθιον, Act. 19, 12.; σπεκουλάτωρ, Mr. 6, 27.; φραγέλλιον, Joann. 2, 15.

2. *Formulae*, ut: δὸς ἐργασίαν, Luc. 12, 58.; ἔχε με παρῃτημένον, Luc. 14, 18. 19.; ἱκανὸν λαμβάνειν, Act. 17, 9.; ἱκανὸν ποιῆσαι τῷ ὄχλῳ, Mr. 15, 15.



De elemento hebraico linguae N. T.

§. 38.

Genesis hebraismorum.

In linguam Judaeorum graecam etiam peculiaritates linguae hebraicae et aramaicae esse ingressas, jam a priori supponere fas est; etenim experientia teste

1. habitus externus linguae vernaculae nobis quasi innatus tantum exserit influxum in linguam, quam didicimus, peregrinam, ut ab eo solum ope seduli studii, continuatae comparationis ac diuturnae consuetudinis, et vix unquam penitus liberemur;

2. proprietates internae idiomatis vernaculi lexicales, praecipue vero significationes impropriae vocabulorum patriorum facillime transferuntur in voces peregrinas, quae illis in significatu originario respondent;

3. phrases quaedam in idiomate domestico frequentius recurrentes in lingua quoque peregrina lubenter exprimuntur.

Quae cum in genere ita se habeant, quoad N. T. auctores in specie observandum est:

a) eis, Judaeis natis, non fuisse curam linguae graecae purioris;

b) ipsis linguam Graecorum exstantem reapse nihil obtulisse, quod significandis grandibus et sublimibus religionis christianae phaenomenis fuisset aptum; contra autem in versione Septuaginta jam prototypum quasi linguae Judaeorum graecae adfuisse;

c) eos ad retinendas Judaeorum expressiones religiosas, quae magnam hebraismorum partem efficiunt, non potuisse non moveri, cum religio christiana judaicae proxime superstrueretur, apud Judaeos vero notiones religiosae cum terminis religiosis jam arctissime essent complexae.

Inde vero simul intelligitur:

α) In graecam N. T. linguam hebraismos transiisse, quin cum nonnullis statuendum sit, auctores sacros graece scribenda prius hebraice vel aramaice mente concepisse, quae sententia utique Apostolis, Jesu Christi doctrinae praeconibus, est indigna, conditioni eorum internae et externae contraria, operique ab ipsis felicissime perfecto repugnans;

β) Hebraismos apud libere scribentes N. T. auctores numero pauciores occurrere, quam in versionibus V. F., et in hellenice excultis N. T. scriptoribus (ss. Paulo et Joanne et in quibusdam partibus scriptorum s. Lucae) *rarius inveniri, quam in Palaestinensibus proprie dictis* (s. Matthaei interprete, s. Marco, s. Petro); *denique*

γ) non omnes hebraismos insciis auctoribus in N. T. migrasse, sed plures consulto esse retentos, ut et hoc modo concentus s. Scripturae utriusque testamenti non in rebus solum, sed in ipsis quoque verbis observaretur.

Revera autem linguam N. T. hebraizare, docet tum habitus ejus externus, tum indoles interna.

§. 39.

I. Quoad habitum externum.

Linguae N. T., ut hebraicae, peculiaris est

a) repraesentatio, qua res oculis quasi subjiciuntur (Anschaulichkeit); *unde usus praepositionum loco casuum simplicium graecorum; unde circumstantiis exornata rerum delineatio* (Umständlichkeit des Ausdrucks); v. g.

α) phrases: φεύγειν ἀπὸ προσώπȣ τινός Apoc. 20, 11.; γράφειν διὰ χειρός τινός Act. 15, 23.; πάντες ἀπὸ μικροῦ ἕως μεγάλου Act. 8, 10.; καὶ ἔσται . . . καὶ ἐκχεῶ Act. 2, 17. et similia;

β) formula narrandi: καὶ ἐγένετο saep.;

γ) posita pronomina personalia aut demonstrativa post relativa, v. g. Apoc. 17, 9. ὅπου — αὐτῶν.

b) Simplicitas, imo monotonia, qua logice magis coordinando, quam subordinando propositiones construuntur, et sententiae sententiis adjunguntur; unde in N. T. explicatur

α) frequentissimus particulae καὶ et rarus reliquarum conjunctionum usus, quarum ipsarum Graeci magna gaudent copia, quo fit, ut oratio horum sit periodica et rotunda, illa vero N. T. membratim incedat;

β) uniformitas temporum adhibitorum;

γ) usus rarior constructionis participialis Graecis admodum variae; denique

δ) in oratione historica fere ubique directa verborum alterius inductio, et quod inde sequitur, rarus modi optativi usus.

II. Quoad indolem internam, eamque

§. 40.

A. Lexicalem.

In lingua N. T. occurrunt

1. *Voces hebraicae et aramaicae*, ut:

ἀββᾶ, pater, hebr. אָב, Mr. 14, 36. Rom. 8, 5.

ἀκελδαμά, ager sanguinis, chald. חֲקַל דְּמָא, Mt. 27, 8. Act. 1, 19.

ἀλληλούϊα, laudate Deum, hebr. הַלְלוּ־יָהּ, Apoc. 19, 1. 3. 4. 6.

ἀμήν, vere, ita fiat etc. hebr. אָמֵן, saep.

βεελζεβούλ, ὁ ἄρχων τῶν δαιμονίων, Mt. 12, 24. al., hebr. בַּעַל זְבֻל.

βηθεσδά, Bethesda, nom. pr., syr. chald. בֵּית חֶסְדָּא, Joann. 5, 2.

βοανεργές, filii tonitru, hebr. בְּנֵי רֶגֶשׁ, Mr. 3, 17.

γαββαθᾶ, suggestus, ab hebr. גַּבָּה, Joann. 19, 3.

γεέννα, nom. pr. vallis Hinnōm, ab hebr. גֵּיא, vallis, et nom. pr. הִנֹּם Mt. 5, 22. al.

γολγαθᾶ, nom. pr. a chald. גָּלְגָּלְתָּא, Mt. 27, 33. Joann. 19, 17.

ἐφφαθά, aperitor, imp. pass. conjug. Etphpaël, Mr. 7, 34.

ἠλί, ἠλί et ἠλωί, ἠλωί λαμὰ βαβαχθανί, Deus mi, Deus mi, quare me dereliquisti! ab hebr. אֵלִי, chald. אֱלָהִי, hebr. לָמָה et syr. ch. שְׁבַקְתַּנִי, Mt. 27, 46. Mr. 15, 34.

κορβᾶν, munus Deo oblatum, hebr. קָרְבָּן, Mr. 7, 11.

μαμμωνᾶς, divitiae, Mammon idolum, chald. מָמוֹנָא, Mt. 6, 24. al.

μαρὰν ἀθά, Dominus noster venit, syr. ch. מָרָנָא אֲתָה, I. Cor. 16, 22.

μεσσίας, unctus, rex, Messias, hebr. מָשִׁיחַ, Joann. 1, 42. 4, 25.

πάσχα, agnus pasch., festum pasch., chald. פַּסְחָא, hebr. פֶּסַח, transitus, saep.

ῥαββί, magister, hebr. רַבִּי, Mt. 23, 8. al.

ῥαββουνί, magister, hebr. רַבּוּנִי, Mr. 8, 51. Joan. 20, 16.

ῥακά, vacuus, vanus, chald. רֵיקָא, Mt. 5, 22.

σάββατον et τὰ σάββατα, sabbatum et hebdomas, hebr. שַׁבָּת et chald. שַׁבְּתָא, Mt. 12, 2. 28, 1. al.

σάτον, hebr. סְאָה, satum, sesquimodius, Mt. 13, 33. Luc. 13, 21.

ταλιθά κοῦμι, puella surge, syr. טְלִיתָא קוּמִי, Mr. 5, 41.

ὡσαννά, salutem largire, quaeso, hebr. הוֹשִׁיעָה־נָּא, Mt. 21, 9. al. *).

*) Non omnes voces ac formulae superius nominatae hebraismi stricte tales dici possunt; nam aliae sunt nomina propria; aliae retineri debebant, ne lector sequentia ignoraret; aliae a scriptoribus sacris qua termini religiosi consulto retentae sunt.

2. *Significationes hebraicae in vocabula graeca ex hebraicis in prima significatione respondentibus translatae.* *Huc referri possunt significationes, quae quidem in scriptoribus graecis, ast nonnisi rarissime, in N. T. autem frequentius inveniuntur, quoniam hebraicis vel aramaicis vocibus insunt, quae graecis illis in prima significatione respondent; nam et in his supponere licet, patriam consuetudinem secutos esse N. T. scriptores. Priores adnumeramus hebraismis perfectis, posteriores imperfectis,* quatenus intelligimus per illos ejusmodi voces, significationes, constructiones et phrases, quae linguae hebraicae vel aramaicae soli propriae sunt, et ideo ex hacce in idioma hellenisticum transierunt; per hosce vero voces, significationes, constructiones ac phrases, quae inveniuntur quidem in prosa Graecorum, sed verosimiliter e lingua patria desumtae sunt, quia haec N. T. auctoribus erat familiaris, uberior autem linguae graecae cultioris cognitio in iis non est supponenda.

Significationes ejusmodi sunt

a) impropriae, ut vocum

αἰών (aevum, aeternitas) significatio mundus, Hebr. 1, 2. al. ad instar hebr. עוֹלָם;

ἀποκρίνεσθαι (secerni, respondere) signif. loqui incipere, alloqui, Mt. 17, 4. al. ad instar hebr. עָנָה;

γλῶσσα (lingua) sign. natio, Apoc. 5, 9. al. ad instar hebr. לָשׁוֹן;

εἷς (unus) sign. primus, Mt. 28, 1. al. ad instar hebr. אֶחָד;

ἐρωτᾷν (interrogare) sign. rogare, Mt. 15, 23. al. ad instar hebr. שָׁאַל;

κτίσις (creatio, actus creandi) sign. res creata, creatura, Mr. 10, 6. al. ad inst. chald. בְּרִיָּה;

νύμφη (sponsa) significatio nurus, Mt. 10, 35. ad inst. hebr. כַּלָּה;

περιπατεῖν (ambulare) sign. vivere, Eph. 4, 1. al. ad inst hebr. דָּךְ et הָלַךְ;

χεῖλος (labium) sign. lingua, I. Cor. 14, 21. ad inst. hebr. שָׂפָה etc.;

b) Graecis rarae, Hellenistis frequentes, ut

ἀνάγκη (necessitas) sign. tribulatio (Diod. Sic. 4, 43.) Luc. 21, 23 al. ad inst. hebr. צָרָה, צַר, מְצוּקָה, מָצוֹק;

πέρατα τῆς γῆς (termini terrae) longinquae terrae regiones (Thucid. 1, 69. Xenoph. Aeges. 9, 4.), Rom. 10, 18., ad inst. hebr. אַפְסֵי אָרֶץ;

χεῖλος (labium), litus (Herodot. 1, 191. al.) Hebr. 11, 12. ad inst. hebr. שָׂפָה etc.

3. *Integrae phrases idiomati patrio admodum usitatae imitando versae sunt in graecum,* ut:

αἷμα ἐκχέειν, Act. 22, 20. al. ad instae hebr. שָׁפַךְ דָּם;

ἀνιστάναι σπέρμα τινί, sobolem procreare alicui, Mt. 22, 24., ad inst. hebr. הֵקִים זֶרַע;

ἀπέρχεσθαι vel *ἀκολουθεῖν ὀπίσω*, sequi aliquem, Mr. 1, 20. Joann. 2, 19. al. ad inst. hebr. הָלַךְ אַחֲרֵי;

γεύεσθαι θανάτου, mortem subire, mori Mt. 16, 28. al. ad instar talm. טְעַם מִיתָא;

ζητεῖν ψυχήν, vitae insidiari, Mt. 2, 20. al. ad instar hebr. בִּקֵּשׁ נֶפֶשׁ;

ποιεῖν ἔλεος μετά τινος, Luc. 1, 72. 10, 37. ad inst. hebr. עָשָׂה חֶסֶד עִם.

πρόσωπον λαμβάνειν, partium studio teneri, Luc. 20, 21. al. ad inst. hebr. נָשָׂא פָנִים etc.

4. *Derivata formata sunt in lingua graeca ad similia patria exprimenda*, ut:

ἀναθεματίζειν ab *ἀνάθεμα*, ut הֶחֱרִים a חֵרֶם;

ἐγκαινίζειν ab *ἐγκαίνια*, ut חָנַךְ et חֲנֻכָּה se habent;

σκανδαλίζειν-εσθαι a *σκάνδαλον*, ut נִכְשַׁל et הִכְשִׁיל a כָּשַׁל;

σπλαγχνίζεσθαι a *σπλάγχνα*, ut substantivi רַחֲמִים existit verbum רִחַם etc.

§. 41.

B. Grammaticam.

Peculiaritates grammaticas in lingua N. T. graeca e penu hebraicae aut aramicae desumtas pauciores occurrere, mirum esse nequit; nam *a)* structura linguae hebraicae grammatica ab illa graecae essentialiter diversa Judaeis graece loquentibus non poterat non esse impedimento, quominus constructiones patriae suae linguae graeco idiomati attemperarent; dein *b)* grammaticis sermonis peregrini regulis nemo non multo facil'us assuefit, quam copiae verborum ac phrasium, aut toti linguae alienae habitui externo, quia regulae illae partim relate ad vocum et phrasium thesaurum pauciores sunt, partim in conversatione frequenter redeunt, et menti loquentis audientisve saepe obversantur. Hinc longe plurimae N. T. constructiones bene graecae inveniuntur, et auctores ejus vel talibus syntaxis graecae assueverunt proprietatibus, quae a genio linguae eorum vernaculae prorsus divergebant, quales sunt: discrimina inter diversa tempora praeterita; usus modorum in sententiis hypotheticis cum particula *εἰ* aut *ἐάν* et in genere cum voce *ἄν*; attractio relativi; constructio: *οἰκονομίαν πεπίστευμαι*; numerus singularis verbi cum plurali neutro et alia.

1. *Perfectis hebraismis adnumeramus:*

1) *Imitationem verbalem hebraicarum, a genio linguae graecae alienarum constructionum*, ut:

ὁμολογεῖν ἐν τινί, profiteri aliquem, Mt. 10, 32. ad instar hebr. הוֹדָה sequente בְּ;

προσέθετο πέμψαι, iterum misit, Luc. 20, 11. 12.

προσέθετο συλλαβεῖν, insuper comprehendit, Act. 12, 3. ad inst. hebr. יָסַף sequente infinitivo, v. g. Genes. 4, 2. al.

εἰ δοθήσεται, formula jurandi sensu negativo, Mt. 8, 12. al.

b) Duplicationem vocabuli ad exprimenda distributiva, ut:

δύο δύο loco *ἀνὰ δύο* Mr. 6, 7. ad inst. hebr. שְׁנַיִם שְׁנַיִם Gen. 6, 19. 20;

συμπόσια συμπόσια loco *ἀνὰ συμπόσια* Mr. 6, 39. etc.

2. *Ad imperfectos hebraismos pertinent:*

a) Usus praepositionum loco casuum simplicium Graecorum, ut: ἀποκρύπτειν τι ἀπό τινος Mt. 11, 25.; ἐσθίειν ἀπὸ τῶν ψιχίων Mt. 15, 27. al.; ἀθῶς ἀπὸ τοῦ αἵματος Mt. 27, 24. (cfr. Fritzsche I. 808.); κοινωνὸς ἔν τινι Mt. 23, 30.

b) Imitatio infinitivi absoluti, cfr. Luc. 1, 72—80.

c) Designatio notionum adjectivalium per substantiva proprietatum, quantitatis et qualitatis;

d) Fors et frequens usus infinitivi cum praepositionibus in oratione historica.

Haec omnia simplicitati antiquitatis respondent, etiam apud Graecos, praecipue poëtas occurrunt, ideoque linguae graecae genio non e diametro sunt opposita, ut παύειν ἀπό τινος.

3. *Ad fictitios hebraismos referenda sunt:*

a) pluralis majestaticus;

b) ב *essentiae;*

c) praetensa superlativi expressio per additam vocem θεός, ut σάλπιγξ τοῦ θεοῦ;

d) usus feminini loco neutrius, et procul dubio

e) sic dicta hypallage: τὰ ῥήματα τῆς ζωῆς ταύτης pro: ταῦτα τὰ ῥήματα τῆς ζωῆς.

Ad hebraismos N. T. merito etiam referuntur

§. 42.

Rabbinismi *).

Cum Judaei non minus ac aliae gentes ad eruditam rerum tractationem semet accingere coepissent scholasque excitassent **), solus vitae communis loquendi usus non amplius sufficiebat; sed ad abstractiores notiones suas designandas vel novos terminos invenire, vel jam exstantes novis significationibus donare cogebantur.

---

*) Arigleri herm. bibl. pag. 88. 89.

**) Hoc jam ante aeram christianam factum esse, inde patet, quod *a)* in pluribus ipsius N. T. locis doctores judaici variis nominibus designati commemorantur, ut: γραμματεῖς, συνετοί, σόφοι, νομικοί, νομοδιδάσκαλοι, ῥαββί, iisque opponuntur ἀγράμματοι, νήπιοι, ἰδιῶται, μικροί. Cfr. v. g. Mt. 7, 29. 11, 25. Luc. 10, 21. Mt. 22, 35. coll. cum Mr. 12, 28. Luc. 5, 17. 21. Mt. 23, 7. 8. Act. 4, 13. coll. cum Joann. 7, 15. Mt. 11, 25. 10, 42. et alia plura. *b)* Luc. 2, 46. Jesum parentes inter eruditos sedentem invenisse leguntur. *c)* Joann. 7, 15. Judaei mirantes dicunt: „Unde hic (Jesus) litteras novit, eas non edoctus?" *d)* Act. 5, 34. Gamaliel, Pauli Ap. magister, celeberrimus inter Judaeos sistitur doctor. *e)* Act. 6, 9. commemorantur Hierosolymis scholae Alexandrinorum, Cyrenensium, Libertinorum, illorum ex Asia et Cilicia. *f)* Luc. 11, 52. alluditur ad mores, qui, ut ita dicamus, in promotione ad gradum doctoratus observabantur; *g)* in talmude scholae Hilelis et Schamai 40 circiter annis ante Christum floruisse dicuntur, et earum controversiae eruditae de divortio, de resurrectione mortuorum, de praecepto maximo, de poena adulterae non ceu recens demum enatae, sed diu jam agitatae in N. T. repraesentantur.

Omnes jam termini ab eruditis Judaeis vel recenter inventi, vel nova significatione donati ad notiones suas abstractiores exprimendas rabbinismi dicuntur, nomine repetito a titulo judaico eruditorum hujus gentis usitatissimo רַב, רַבִּי, רַבָּן, רַבָּנָן.

Neque a N. T. rabbinismos plane abesse posse, jam inde pateret, quod s. Paulus celebratissimi rabbini erat discipulus, et Jesus ejusque Apostoli non cum rudi solum plebe, sed cum eruditis quoque rem habebant; imo ne populus quidem ipse, utpote qui totus ab ore rabbinorum pendebat, illorum terminorum prorsus ignarus esse potuit. — Clara autem testimonia hujus rei sunt in N. T.

a) voces ac formulae: regenerari, renasci, nova creatura, solatium Israëlis, qui longinqui sunt, minimi, caro et sanguis etc., quae apte explicari non possunt, nisi rabbinismi in subsidium vocentur. Porro huc pertinet

b) citandi modus rabbinis usitatus, utpote qui certa s. Scripturae loca, ubi haec vel illa legerentur, fere ut Muhamedani suras Corani, aut commemorato nomine personae, loci vel rei, cujus ibidem praecipue mentio fit, aut etiam verbis initialibus indicare solebant. Sic et Jesus Mr. 12, 26. et Luc. 20, 37. allegat Exod. 3, 1—6. formulâ: ἐπὶ τῆς βάτου, in rubo, i. e. in eo pentateuchi loco, qui rubi ardentis historiam continet; s. Paulus Rom. 11, 12. citat I. Reg. 19, 14—18. vocibus: ἐν Ἠλίᾳ; ibidem 15, 10. Psalmum 67. verbis ejus primis: „Laetamini gentes cum plebe ejus.“ Huc etiam referendum est dictum Christi in cruce pendentis Mt. 27, 46. „Ἠλὶ, ἠλὶ λαμὰ σαβαχθανί, quo citavit Psalmum 22. (Vulg. 21.) de passione Messiae agentem, Judaeos ipsi illudentes commonefacturus, se morte sua ignominiosa non obstante esse Messiam, quia passio haec ad minimas fere circumstantias jam descripta est a Davide propheta co in Psalmo, qui incipit verbis: Ἠλὶ, ἠλὶ λ. Denique

*c) argumentandi et elocutionis ratio Paulina saepe non tam judaica in genere, quam in specie rabbinica est *) **).*

---

*) Cfr C. L. Bauer: Logica Paullina, vel notatio rationis, qua utatur Paullus Ap. in verbis adhibendis, interpretando etc. in usum exegeseos. 8. 1774.

**) Praeter hebraismos, aramaismos et rabbinismos quidam etiam arabismos et persicismos libris N. T. tribuerunt. Ast 1) relate ad arabismos statuendum: Quum in paucis monumentis, quae de ceteris dialectis ad nos pervenerunt, certe non omnes earum divitiae exstent, contra vero in arabicis, quorum sat magna tum varietas, tum copia adest, feliciter adhuc inveniantur: in libris N. T. voces et formulas occurrere, quae nunc jam nonnisi ex usu loquendi arabico illustrari possunt, v. g. facilius est camelum per foramen acus pertransire etc., concedi quidem potest; eas vero dialecto huic esse peculiares, negandum, et ideo arabismi stricte tales rejiciendi sunt, idque eo magis, quia *a)* lingua Palaestinensium proxime ad syriacam accedit, ab arabica valde divergentem; *b)* commercium Palaestinensium cum Arabibus aetate Christi fere nullum erat; denique *c)* minime indubia et omni exceptione majora sunt exempla, quibus ad arabismos in N. T. statuendos et comprobandos utuntur; etenim partim arabismus absque necessitate in subsidium vocatur; partim explicatio inde petita vel contextui, vel historiae non congruit; partim denique leges justae comparationis inter voces perperam violantur. — Quod 2) persicismos attinet, Judaei quidem non modo longiori tempore Persis subjecti, sed et postea, a jugo eorum liberati, ultra

§. 43.



De elemento christiano linguae N. T.

Huc usque de lingua N. T. egimus, qualis in omnibus libris, qui profecti sunt a Judaeis graecâ utentibus mägis minusve obvia est. Ast

1. religio christiana partim novas notitias attulit, partim priores ad majorem perfectionis gradum adduxit; hinc ad notiones novas, quas proponebant, significandas sacri N. T. auctores aut novis terminis uti debebant, aut vocibus et formulis jam usitatis novos significatus tribuere, quo v. g. referendae sunt:

a) Significationes vocum ac formularum, ut:

ἅγιοι (sancti) de Christianis, quatenus per Sacramenta a peccatis mundantur, cum Deo uniuntur et ad vitam sancte agendam destinantur, Rom. 1, 7. Eph. 1, 4. al.

ἀμνὸς τοῦ θεοῦ de Christo, Joann. 1, 29. 36. al.

ἀντίχριστος, Christi adversarius, I. Joann. 2, 18. al.

ἄπιστος cum devivatis *ἀπιστέω* et *ἀπιστία* de eo, qui in Jesum Christum, Dei Filium et generis humani Salvatorem non credit, II. Cor. 4, 4. I. Tim. 1, 13. Mr. 16, 16. al.

ἀπολύτρωσις, redemtio e potestate peccati, maledictionis, diaboli et mortis per sanguinem Christi in pretium redemtionis effusum, Rom. 3, 24. I. Cor. 1, 30. al.

ἀπόστολος et *ἀποστολή* de legatis Jesu Christi eorumque munere, Mt. 10, 2. Mr. 6, 30. Act. 1, 25. al.

βάπτισμα, βαπτισμός, βαπτιστής et *βαπτίζειν* de ritu sacro a Joanne adhibito, dein de Sacramento baptismi ejusque administratione, Mt. 3, 7. 11, 11. 28, 19, al.

βασιλεία τοῦ θεοῦ, τῶν οὐρανῶν, τοῦ χριστοῦ de ecclesia Christi tum militante, tum triumphante, Mt. 6, 10. 33. 13, 11. al.

δικαιοσύνη (*δικαιοῦσθαι, δίκαιος*) de justificatione, i. e. de statu hominis per fidem ob merita Christi a peccatis eorumque poenis liberati, interne renovati ac sanctificati, filiationem Dei et spem vitae aeternae consecuti, Rom. 1, 17. 10, 3. Phil. 3, 9. Tit. 3, 7. al.

διάκονος, ἐπίσκοπος, πρεσβύτερος de diversis hierarcharum gradibus divinitus institutis, I. Tim. 3, 8. Act. 20, 28. 11, 30. 14, 23. al.

εἰρήνη, animi tranquillitas Christiani e conscientia intimae unionis cum Christo et divinae gratiae resultans, Joann. 16, 33. Rom. 5, 1. al.

---

saeculum arcto in nexu cum eis positi, imo Graeci ipsi vario modo iisdem permixti erant, ideoque mirum non foret, si persicae quoque linguae peculiaritates in idioma Judaeorum graecum immigrassent. Et revera voces quaedam biblicae, ut *ἀγγαρεύειν* cogere, *γάζα* thesaurus, *μάγος* sapiens, *μαργαρίτης* unio, *μεγιστᾶνες* proceres, persicae originis merito habentur. Sed cum vocabula singula haud sufficiant ad peculiare elementum linguae constituendum, et cum loquendi formulae ac constructiones persicae non adsint: persicismi in N. T. temere statuerentur. Conf. Arigleri herm. pag. 90 seq.

ἐκλεκτοί, ἐκλέγεσθαι de Christianis, qui salutis aeternae revera participes fiunt, Mt. 22, 14. Rom. 8, 33. al.
εὐαγγέλιον (εὐαγγελίζεσθαι et εὐαγγελιστής) de laeto nuntio de Jesu Messia et de salute per ipsum parata etc. Mt. 4, 23. Luc. 9, 6. Act. 21, 8. al.
καλεῖν (καλεῖσθαι et κλητοί) de vocatione ad religionem christianam aut ad munus apostolicum, Gal. 1, 6. 15. Mt. 20, 16. al.
κληρονομία (κληρονόμος, κληρονομέω) de salute aeterna hominibus vere christianis qua filiis Dei destinata, Act. 20, 32. Gal. 3, 18. al.
ἡ κυριακὴ ἡμέρα de primo hebdomadis seu Christi resurrectionis die Apoc. 1, 10.
τὸ κυριακὸν δεῖπνον, Coena a Domino instituta, I. Cor. 11, 20.
πίστις et πιστεύειν de firmo assensu Jesu Christo ejusque doctrinae praestito, qui simul correspondentem et efficacem voluntatis determinationem involvit, Rom. 1, 17. 10, 9. I. Cor. 14, 22—24. al.
πνεῦμα, indoles Christianis propria, quae communicatione Spiritus s. efficitur, totum hominem penetrat et ad sublimiora dirigit, unde πνευματικός, Rom. 8, 9. I. Cor. 2, 15. al.
πνεῦμα ἅγιον, θεοῦ, τοῦ πατρός, χριστοῦ, Spiritus s. qua persona divina, a Patre Filioque procedens, Mt. 28, 19. Rom. 8, 9. al.
χριστός, Messias, generis humani Salvator, Mt. 1, 1. al.
χριστιανός, Christi assecla Act. 11, 26. 26, 28. I. Pet. 4, 16.
etc. etc.

b) Phrases, ut:
ἄρτον κλᾶν (panem frangere) in sign. ss. Eucharistiam celebrare, Act. 2, 46. 20, 7. I. Cor. 10, 16. 11, 24.
ἀπόθεσθαι τὸν παλαιὸν ἄνθρωπον (deponere veterem hominem) renuntiare pristino statui peccaminoso, Eph. 4, 22. 25. Coloss. 3, 8.
ἐνδύσασθαι χριστόν (Christum induere) Christo ceu novae vitae principio totum hominem transformante impleri, eumque externe etiam repraesentare, Rom. 13, 14. Gal. 3, 27.
ἐπιτιθέναι χεῖρας de collatione Sacramenti Confirmationis aut Ordinis, Act. 8, 17. 6, 6. al.
συνσταυροῦσθαι, συνθάπτεσθαι, συνεγείρεσθαι, συζῆν, συμβασιλεύειν τῷ χριστῷ (crucifigi, sepeliri, resurgere, vivere, regnare cum Christo) tam intime cum Christo capite unitum esse, ut diversa vitae ejus momenta tum ceu nostra consideranda sint, tum vice versa in vita nostra denuo quasi repraesententur, Rom. 6, 6. Gal. 2, 20. Eph. 2, 6. Coloss. 2, 12. II. Cor. 7, 3. II. Tim. 2, 12. al.

2. *Ipsi N. T. auctores, ut et alii scriptores, eo ab invicem differunt, quod prae aliis certas formulas et voces, vel easdem quidem cum aliis, peculiari tamen quodam significatu adhibent,* v. g. πίστις et ἔργα apud s. Paulum et s. Jacobum; λόγος apud s. Joannem; ὑψοθῆναι apud s. Joann. 3, 14. 15. 8, 28. 11, 32 34. de exaltatione in cruce; Mt. 11, 23. Luc. 10, 15. Act. 13, 17. Jacobi 4, 10. I. Pet. 5, 6. metaphorice de exaltatione ad honores et res secundas, et alia. Denique

3. *singuli fere peculiarem quandam dictionis, construendi et argumentandi rationem sequuntur.*

§. 44.

Linguae graecae serioris judaismis et aramaismis, dein in N. T. christianismis mixtae varia nomina.

Ad linguam graecam judaismis et aramaismis mixtam, qualis in omnibus libris, qui a Judaeis graece scribentibus profecti sunt, uti in libris deuterocanonicis V. T., in versione Septuaginta, Aquilae, Symmachi, Theodotionis, in Josepho Flavio, Philone aliisque magis minusve obvia est; ad hanc, inquam, linguam rite designandam haud incongrua videtur denominatio: Lingua hebraeo-graeca. Adsunt autem et alia nomina, quae tum brevitate, tum antiquitate commendantur, quale est: dialectus Alexandrina, inde enatum et a primorum saeculorum scriptoribus ideo adoptatum, quod lingua haec fere eadem sit cum illa versionis Septuaginta Alexandriae confectae. Cum tamen et dialectus communis, post Alexandri M. tempora inter omnes fere Graecos usitata, nonnunquam dicatur dialectus Alexandrina: in usu denominationis hujus cavendum est, ne utraque illa dialectus confundatur. — *Aptissima vero designatio est: dialectus hellenistica, utpote quae antiquitate et brevitate non minus, ac prior commendatur, praeterea nulla ambiguitate laborat, et ipsarum ss. literarum loquendi usu firmatur, ubi Ἰουδαῖοι et Ἕλληνες* (ratione habita originis aut religionis) sibi ita opponuntur, ut coll. Gal. 2, 15. Act. 24, 5. Rom. 2, 9. 10, 12. al. vox prior homines judaicae gentis denotet ubicunque terrarum degentes; altera vero gentiles; et ἑβραΐζειν, ἑβραϊκός cum ἑλληνίζειν et ἑλληνιστής (respectu linguae) ita junguntur, ut vocabula illa adhibeantur de Judaeo hebraicâ (aramaicâ) utente vernaculâ, Palaestinensi, ut Act. 22, 2. 26, 14.; haec vero de Judaeo graece loquente, extero, coll. Act. 9, 29. cum 6, 1. seqq.

Ad rite designandum N. T. idioma, ut elementi ejus christiani ratio habeatur, adhibenda est denominatio: dialectus hellenistico-christiana.

Articulus II.

De fontibus et subsidiis, e quibus usus loquendi s. Scripturae cognoscitur.

§. 45.

Quotuplicis generis fontes et subsidia adhibenda sint, et unde cognoscatur, quem usum loquendi singulis in locis sequi oporteat interpretem?

1. Cum libri sacri aut hebraice et nonnullae partes V. T. chaldaice, aut graece ad nos pervenerint; cum praeterea ipsa graeca s. Scripturae lingua partim omnibus Graecis serioribus communis, partim Judaeis peculiaris, i. e. judaismis et hebraismis mixta, partim in N. T. praeter rabbinismos, cilicismos et latinismos ejus auctoribus propria sit: in aprico est, ad usum loquendi ss. librorum rite

cognoscendum adhibendos esse fontes tum hebraicos, chaldaicos et rabbinicos, tum graecos communes et Judaeis peculiares, tum praeter cilicios et latnos etiam christianos *).

2. *In libris hebraice, et in eorum partibus chaldaice exaratis usum loquendi hebraicum et chaldaicum esse sequendum, alioquin facile intelligitur. Quemnam autem usum loquendi singulis in locis librorum graecorum*, i. e. num graecum, hellenisticum, an christianum (in N. T.) *sequi oporteat interpretem, triplici modo cognoscitur, et quidem ex ratione sensus, e grammatica constructione et ex historicis indiciis.*

a) Ex ratione sensus; nam quemvis, hinc eo magis s. scriptorem singula verba et phrases ita usurpasse, ut aptus inde prodeat sensus, recte supponitur; etenim nonnisi stulti et delirantes edunt sermones, qui aut nullum, aut ineptum fundunt sensum. Quodsi itaque locus quidam ex usu loquendi graeco explicatus ineptum, contra vero ex hellenistico illustratus commodum praebet sensum: non graeci, sed hellenistici fontes adhibendi sunt, et vice versa. Item si e loco quodam, qui ex usu loquendi tum graeco, tum hellenisticio exponitur, non aptus, contra vero, quando ex christiano illustratur, sanus prodit sensus: hoc certo est indicio, hic nec graecos, neque hellenisticos, sed christianos sequendos esse fontes. Idem quandoque cognoscitur

b) ex grammatico sermonis habitu. Si nempe forma vocabuli est hebraica, vel si verbum graecum construitur cum casibus aut praepositionibus, quibuscum a Graecis non, bene vero in hebraico vel aramaico sermone construi solet: etiam hic manifestum adest indicium, in loco tali auctorem usum loquendi hebraicum sequi, ac proinde interpretem e correspondentibus fontibus haurire debere, et vice versa. — Idem denique dijudicari poterit

c) ex historicis indiciis; si nimirum attendit interpres α) an verba interpretanda citatum e V. T. contineant, vel ad argumentum V. T. saltem alludant, quo in casu auctori citanti vel alludenti cum rei aut sententiae recordatione utique etiam verba hebraica eorumque potestas facile in mentem venire poterant; *β) num formula quaedam consideratis omnibus ejus partibus frequenter et veluti ordinarie in hellenisticis, contra vero vel raro, vel nunquam in graecis auctoribus occurrat, et vice versa; si illud locum habet, usus loquendi hellenisticus; quodsi alterum constat, graecus est sequendus; denique γ) utrum auctor libri magis graecae, an solum hellenisticae peritus fuerit,* quod ex patria, gente, educatione, vitae conditione et scriptis ejus cognoscere licet; *priori in casu supponendus erit graecus, in altero hellenisticus loquendi usus in singulis locis, nisi rationes sufficientes contrarium doceant.*

*) In N. T. cilicismi pauciores et latinismi notiores sunt, quam ut eorum fontes sigillatim enumerare necessarium sit. Fontes rabbinici praeter Talmud sunt lexicographi et commentatores judaici, quorum praecipuos nominabimus §. 49.

א

De fontibus et subsidiis usum loquendi s. Scripturae cognoscendi, quatenus est hebraicus aut chaldaicus, et in libris graecis hebraizans *).

§. 46.

I. De fontibus.

Etsi hoc respectu non immediatos habemus fontes, mediati tamen ad nos pervenerunt; nam Judaei eruditi in scholis suis cognitionem quamdam linguae hebraicae semper conservarunt. Traditio jam vero illa conservata est in versionibus V. T., in scriptoribus antiquis, et in commentariis ac lexicis rabbinorum.

De traditione quoad usum loquendi hebraicum conservatâ

§. 47.

A. In versionibus antiquis.

Huc praeprimis pertinent

1. Versio Septuaginta. Tempus, quo versio haec confecta est, aetati vivae adhuc linguae hebraicae propinqua erat, imo, quod pentateuchi translationem attinet, ad illud pertingit, ita ut merito supponere liceat, auctoribus usum loquendi hebraicum e traditione populari viva, et non solum e scholis et librorum biblicorum studio fuisse cognitum, quod inde confirmatur, quia 70 interpretes vocabulo hebraico saepe tribuunt significationem, quae eidem in bibliis sacris non convenit, quae autem in dialectis cognatis invenitur; cum jam supponi nequeat, illos hanc cognitionem e dialectis cognatis, et in specie ex lingua arabica hausisse: eam e traditione manasse patet.

2. Aquilae, Symmachi, Theodotionis et reliquae translationes hexaplares, quae tamen versione Septuaginta inferiores sunt non tantum ob originem recentiorem, et quoniam non exstant, nisi fragmenta; sed etiam quia suspicari licet, auctores earum ob rationes polemicas usum loquendi subinde neglexisse, aut contextus justo majorem rationem habuisse. Aquila tamen magis literae anxie inhaesit, quam sensum expressit.

3. Paraphrases chaldaicae, quae a Judaeis palaestinensibus et babylonicis confectae exhibent explicationem textus biblici per traditionem scholarum propagatam, cui serius et punctatores et grammatici judaici innitebantur. Praeterea Targumim commendantur dialecto sua ad hebraicam linguam proxime accedente, quae auctoribus eorum vernacula erat, ita ut eis multa de usu loquendi hebraico cognita esse deberent. Sed licet haud pauca vera contineant, sensus tamen

*) Cfr. Von den Quellen der hebräischen Wortforschung praefationis instar praemiss. tertiae editioni hebraici et chaldaici lexici manualis Guil. Gesenii. Lips. 1828.

saepe sub insulsis paraphrasibus et immixtis theologumenis serius enatis latitat. Pentateuchi tres exstant paraphrases: Onkelosi e saec. I. post Ch., Pseudojonathanis probabiliter e saec. VIII. vel IX., et targum hierosolymitanum imperfectum e tempore seriori; prophetarum (librorum hist. et proph.) Jonathanis Ben Usiel e saec. I. aut II.; unum hagiographorum ab ignotis auctoribus confectum; Danielis, Esrae et Nehemiae nullum *).

4. *Versio Peschito, cujus origo licet certo determinari nequeat, s. Ephraemo Syro tamen* (+ ann. 378. p. Ch.) *antiquior, verosimiliter Judaeo-Christianis Syris sub finem saec. II. p. Ch. debetur, potius eruditionis reflectentis, quam traditionis vivae opus habetur; praeterea etiam versionis graecae, rarius chaldaicae usum esse factum, eruditi suspicantur.*

5. *Versio latina s. Hieronymi, quae nititur traditione ab eruditis Judaeis palaestinensibus accepta, nec non examine usuque translationis Alexandrinae et reliquarum trium tum temporis exstantium versionum Aquilae, Symmachi et Theodotionis **).*

6. *Antiquissima versionum arabicarum immediatarum, de quibus solis hic sermo esse potest, confecta a Saadia Gaon, primo grammatico hebraico, qui mortuus est anno Christi 942. Complectitur Pentateuchum, Isaiam et Jobum, et praeter traditionem antiquiorem continet plura proprio marte excogitata, saepius quoque artificiosa et contorta.*

De usu et auctoritate harum versionum sequentes regulae observandae sunt:

a) Usum loquendi hebraicum e versionibus antiquis cogniturus ante omnia has ipsas probe intelligas, necesse est. Huic autem labori difficultates tum criticae, tum exegeticae obstant. Difficultates

α) criticae ex imperfecto textus harum versionum statu promanant. Omnium maxime textus versionis Alexandrinae corruptus ad nos pervenit, ita ut subsidiis nobis servatis vix unquam originariae puritati restitui posse videatur, ad quam tamen codex Vaticanus proxime accedere censetur ***). Sed et reliquae versiones, in polyglottis Londinensibus contentae, crisi, et in specie repetita manuscriptorum collatione indigent. *Difficultates*

---

*) Targumim inveniuntur in Bibliis rabbinicis Bombergii et Bustorffii, et una cum versione latina in polyglottis. Cfr. Winer: De Oncelo ejusque paraphrasi chald. Lips. 1820; de Jonathanis in pentateuchum paraphrasi chald. Spec. I. Erlangen 1823. 4.

**) Versio Samaritana Pentateuchi, saec. III. christiano antiquior, orta est ex textu hebraico samaritanis characteribus scripto, quo utebatur secta judaica. In hac autem versione tum ἀκρίβεια Judaeorum palaestinensium, tum studium criticum in conservando textu originali desideratur, et magnis difficultatibus obnoxia est, praecipue quia desunt alia monumenta Samaritana, quae nos usum loquendi hujus dialecti edocerent. Cfr. Winer: De versionis Pentateuchi samaritanae indole dissertatio critico-exegetica. Lips. 1817.

***) Exemplar hoc exhibetur in editione Sixtina Romae 1587, quam inter alios denuo recognitam, accuratissime expressam una cum versione latina Carafae Cardinalis recudendam curavit J. N. Jager. Parisiis 1839—44. 2 voll. in 8. mai

β) exegeticae ex insufficiente subsidiorum exstantium conditione enascuntur; nam quod attinet

αα) versionem Septuaginta, subsidia, quae lexicis suppeditantur, formam valde imperfectam prae se ferunt; etenim lexicographi *), quas notiones expressionibus suis non raro obscuris interpres graecus subjecerit, obiter tantum indicant; naturalem significationum enumerationem plane negligunt; quibus vocabulis hebraicis singula graeca substituta sint, e concordantiis determinant; quomodo permotus sit versor ad hunc vel illum interpretandi modum expposituri conjecturis indulgent, et non raro consensum extorsuri vocabulo graeco significationem hebraicam et vice versa perperam obtrudunt. Subsidia ad loca difficiliora intelligenda praeter scholiastas et glossatores, quorum nonnulli inprimis versionem Septuaginta respiciunt, ut s. Cyrillus Alex. († 444.), sunt praesertim exegetae et catenarum auctores ecclesiae graecae, ut Eusebius Caes. († 340.), s. Chrysostomus († 404.), Theodoretus († 457.), Procopius Gazaeus (circa 520.), et ex Latinis s. Hieronymus († 420.).

ββ) Ad intelligendas versiones chaldaicas Buxtorfii lexicon pauciora exoptanda relinquit.

γγ) Cognitio versionis syriacae, et in specie difficiliorum ejus locorum haud levem jam philologis syro-arabicis saec. IX. paravit laborem, et jam inde colligi potest, nostris lexicis **) ex illorum operibus idque non sat accurate haustis, nec non latinae illius versioni, quam Gabriel Sionita et Abraham Ecchellensis, Syri Parisiis tum degentes, confecerunt, et quae in polyglottis exstat, plenam fidem non esse habendam.

δδ) Versio arabica Saadiae interdum stylo genio linguae arabicae minus congruente et hebraizante obscuratur.

b) Ut rectus versionis cujusdam fiat usus, characterem ejus bene cognoscere studeas, ne arbitraria, respectum auctoris ad seriora temporis adjuncta et alia minus recta interpretationes probas habeas.

e) Versionis Septuaginta ad usum loquendi N. T. in specie, in quantum hebraizat, rite cognoscendum duplex commodum probe respicias, quatenus voces partim graecas, partim hebraicas illustrat. Nam α) si certum est, his vel illis vocabulis graecis in N. T. non graecas, sed hebraicas significationes subjectas esse, versio Alexan-

---

*) Abrahami Trommii Concordantiae graecae versionis vulgo dictae 70 interpretum. Amstelodami et Traj. ad Rhenum 1718. 2 voll in fol. (Opus hoc continet etiam voces vers. Aquilae, Symmachi et Theodotionis juxta hexapla ed. Montfaucon.) J Chr. Bielii Novus thesaurus philologicus seu Lexicon in LXX et alios interpretes et scriptores apocryphos V. T. ed. Mutzenbecher. Hagae Comitum 1779. 3 voll. Novus thesaurus philologico-criticus seu Lexicon in LXX etc., post Bielium et alios viros doctos edidit et congessit J. F. Schleussner. 1820. 5 voll. 8.

**) Joann. Bapt. Ferrarii (e soc. Jesu) Nomenclator Syriacus. Romae 1622. 4.; Th. a Novaria thesaurus arabico-syro-latinus. Romae 1636. 8. Relate ad N. T. plenius est: Caroli Schaaf Lexicon syriacum concordantiale. Lugd. Bat. 1709. 4.

drina ope concordantiae indicat V. T. loca, ubi vocabula hebraica inveniuntur, quae graecis illis respondent lucemque affundunt. Sic v. g. verbo ῥήγνυμι, quod Graecis est frango, rumpo, lacero, Mr. 9, 18. Luc. 9, 42. tribuere significationem hebraicam: prosterno, humo allido, nemo verebitur, qui ex versione Sept. didicerit, auctores ejus vocem illam substituisse hebr. רטש, quod Isaiae 13, 18. et alias denotat: prosterno, humo allido *). Vice versa β) ubi in N. T. hebraica occurrunt, aut ubi textus hebraicus ad sensum loci cujusdam N. T. inveniendum vel plenius cognoscendum consuli debet, Septuaginta significationes hebraicas vocum et formularum obscuriorum pandit; nam haud raro quae in quodam loco ad verbum expressa sunt, in alio maxime perspicue et egregie redduntur.

d) Quum in versionibus traditio exegetica sit deposita, auctoritatem earum qua testium usus loquendi eo graviorem habeas, quo antiquiores sunt, et vice versa. Consensus omnium traditionem constantem ac certam contestatur; in dissensu ex fide, ex integro charactere versionum, nec non ex autorum consilio et aliis fontibus ac subsidiis dijudicandum est, cuinam praerogativa debeatur.

e) A versionibus nihil exspectes, nisi significationes vocabulis in singulis locis convenientes. et sensum dictorum saepe aliis verbis expressum. Versiones nunquam praestare possunt, neque pro indole sua praestare debent, ut omnes significationes cujusdam vocis uno eodemque in loco, aut etymologiam exhibeant. Excipiendus tamen est Aquila, qui, ut et etymologiam repraesentaret, summopere adlaboravit, uti docent fragmenta versionis ejus, quae ad nos pervenerunt.

§. 48.

B. In scriptoribus antiquis.

Ex hisce praecipue commemorari merentur Josephus Flav. et nonnulli Patres ecclesiae:

1. Josephus Fl., saec. I. florens, licet versionem Alexandrinam secutus sit, saepius tamen ipsum textum originalem contulit, quod loca permulta probant, in quibus a 70 translatoribus discedit. In his jam est locuples usus loquendi hebraici testis; ceteris enim interpretibus, exceptis Alexandrinis, antiquior, dialecto chaldaica utebatur vernacula; sacerdos erat eruditus, et proinde, quae ad ejus usque aetatem de usu loquendi hebraico pervenerant, non poterat non probe scire **).

2. Quae in scriptis Origenis et s. Hieronymi hebraica, a s. Augustino punica, et a s. Ephraemo syriaca explicantur, omnem

*) Cfr. significationes hebr. vocibus graecis subjectas supra §. 39. 2. Conspectum significationum, a Septuaginta vocibus hebraicis in diversis locis tributarum vide in: Conradi Kircher Concordantiae V. T. graecae. Franchof. 1607. 4.; in Indice ad Trommii Concordantias, nec non in Lexico hebraeo annexo Origenis hexaplis ed. a Montfauconio Tom. II. pag. 401 seqq.

**) Operum Josephi Flavii elegantem editionem recentissime curavit Guilelmus Dindorfius. Parisiis 1845—47. 2 voll. 8. maj.

attentionem merentur. Patres, qui ex versionibus hauserunt, nisi de rebus fidei et morum christianorum agatur, prouti versiones mediatae testes usus loquendi hebraici haberi nequeunt.

§. 49.

C. In commentariis et lexicis rabbinorum.

Versiones V. T. ex parte Judaeorum eruditorum subsecuta est grammatica linguae hebraicae tractatio, lexicorum et commentariorum elucubratio, et meritum facti hac in re initii debetur Judaeis arabice loquentibus in Babylonia, Hispania et in litore Africae. *Primus, qui lexicon conficere tentavit, erat Saadia Gaon supra laudatus,* qui 70 vocabula difficiliora congessit, arabice breviter illustravit et cum talmudicis contulit. — *Primum lexicon plenum,* cujus manuscriptum Berolini asservatur, *confecit Menahen ben Saruk initio saec. XI.*, cujus praecipuum meritum in eo consistit, quod congessit duarum, trium ac quatuor literarum radices, et penes se collocavit. Explicationem tamen textus non promovet, sed plerumque e contextu auguratur aut divinandum aliis relinquit. — *Longe hic superatur opere, quod a rabbi Jona a Judaeis dicto, vel Abulwalid ben Gannach juxta nomen ejus arabicum, medico hispano, editum est, et e quo serius florens Kimchi optimas suas explicationes desumsit.* Hoc in lexico commemorata quidem et adhibita est scholarum judaicarum expositio e traditione hausta; attamen auctor eidem non acquiescens Talmudistis et Arabismis justo plus indulsit, quum lingua arabica ejus esset vernacula. *Expositiones Judae ben Karisch, ex iisdem fontibus haustae et in systema redactae, ejusdem fere sunt pretii. Uterque arabice scripsit, hebraice vero rabbi Salomo Parchon* (ante annum 1161. p. Chr.). Judicibus tamen eruditis *omnes prius nominatos longe superat rabbi David Kimchi, qui hanc suam famam apto antecessorum suorum usu, praecipue illorum, qui arabice scripserunt, omnino meretur.*

E commentatoribus judaicis expositioni literali praecipue operam navarunt: Jarchi, Aben Esra, Kimchi, Tanchum Hierosolymitanus. Jarchi sequitur traditionem talmudicam; Aben Esra multo magis independens, a praejudiciis liberior et rectius judicans textum explicat; Kimchi qua grammaticus et compilator peritus eminet; Tanchum Hierosolymitani e saec. XIII. superest manuscriptum Oxoniense commentarii arabici in primos prophetas, i. e. in libros historicos.

Licet vero opera nominata tum lexicalia, tum exegetica non omni careant pretio ad usum loquendi hebraicum determinandum; definiri tamen nequit, quae traditioni scholari, quae propriis auctorum studiis et dialecto arabicae in acceptis sint referenda, ideoque potius subsidiis, quam fontibus adnumeranda sunt.

§. 50.

II. De subsidiis usum loquendi hebraicum cognoscendi.

Ad subsidia haec praeter etymologiam et analogiam pertinent dialecti cognatae et propria lectio librorum V. T.

1. *Ad dialectos linguae hebraicae cognatas nostrum in usum praeprimis referimus chaldaicam, syriacam et arabicam.* Historiam earum, mutuam relationem et opera praecipua in iis exstantia aliunde nota supponentes, hic nonnisi regulas quasdam ad rectum earum usum faciendum adferimus.

a) Coll. §. 30. probe tenendum est, linguam hebraicam non obstante cognatione sua cum dialectis proprium habere usum loquendi, qui raro perfecte et accurate cum illo dialectorum cognatarum congruit, ita ut jam forma, jam significatio vocum varia sit; quare gravem errorem committunt, qui non accuratius pensatis aut plane neglectis peculiaritatibus singularum linguarum ejusdem familiae usum loquendi unius alteri obtrudunt.

b) Linguae arabicae, ad cujus cognitionem plurimis et tutissimis gaudemus mediis, habita ratione ubertatis quidem, non vero ob affinitatis gradum inter subsidia haecce primus debetur locus; nam ad linguam hebraicam dialectus aramaica magis appropinquat; hinc in genere peccant, qui neglecta hacce ad usum loquendi arabicum refugiunt, significationem vocis hebraicae saepe toto coelo divergentem ad arabicam contorquent, et hanc ceu primariam proponunt, aut artificiosis hypothesibus etymologicis indulgent. Quare non tantum rabbini, sed etiam plures interpretes V. T. acatholici errant, qui tum Catholicis arma erepturi, tum opiniones suas praeconceptas aut praedilectas tuituri auxilia linguae arabicae frequenter, et etiam in illis vocabulis hebraicis invocant, quorum significationes ex domesticis usus loquendi fontibus sat clare cognoscuntur, v. g. in voce הָעַלְמָה Is. 7, 14

c) Quum diversitas dialectorum frequenter consistat in literarum permutatione, illas collaturi ante omnia est hasce literas probe nosse, quem in finem ducis instar haberi possunt primi articuli singularum literarum in Gesenii lexico hebraico. *)

d) Magna invenitur inter dialectos analogia in significationibus impropriis, utpote quae vocibus, licet quoad radicem diversis, originarie tamen idem denotantibus, haud raro utrinque eaedem conveniunt. Quare respiciendae sunt voces non tantum quoad formam sibi respondentes, quae saepe ne conferri quidem possunt; sed etiam quoad significationem convenientes, quae subinde clarissimam praebent lucem. Sic v. g. Hebraeus aeque ac Arabs dicit: homunculus, puerulus oculi loco pupillae; percussus, absorptus vino loco vino inebriatus; tegere loco fraudulenter agere; intumescere, ebulire loco petulantem, insolentem esse; fructus facere loco fructus ferre etc.

---

*) Hebr. u chald. Handwörterbuch über das A. T. v. Wilhelm Gesenius. III. Aufl. Leipzig 1828.

2. Propria lectio librorum V. T. hebraicorum, qui plane sufficiunt ad inveniendum usum loquendi omnium vocum frequentius occurrentium, sive in dialectis cognatis legantur, sive non; praeterea ad intelligendas canstructiones ac phrases, quae per diversas voces formantur. Ast quodsi agitur de primigeniis (primitivis) vocum significationibus et de etymologia; si ἅπαξ λεγόμενα aut rarius occurrentia vocabula explicanda sunt, simulque contextus non est sat clarus: interpres hoc subsidio derelictum se videt. *)



De fontibus et subsidiis usum loquendi s. Scripturae cognoscendi, quatenus est graecus, et quidem

§. 51.

I. Communis.

Huc referendi sunt;

1. Versiones antiquae immediatae;

2. Scholiastae et glossatores graeci, qui ex antiquioribus hauserunt, et quorum praecipui sunt:

a) Hesychius, qui saeculo III., aut juxta alios saec. V. p. Ch. Alexandriae floruit, et ex antiquis Graecorum grammaticis, glossis et scriptoribus classicis lexicon composuit. **)

b) Auctor etymologici magni ignotus saec. X. aut initio XI., cujus manuscriptorum, quae valde corrupta sunt, optimum censetur codex Gudianus. ***)

c) Suidas, grammaticus graecus, qui saec. X., XI. aut XII. vivens scripsit lexicon graecum. †)

d) Phavorinus, qui e Camerino in Umbria oriundus anno 1537. mortuus est, et e Suida, Hesychio aliisque scholiastis gruecum composuit lexicon. ††)

---

*) Concordantiae hebr.: Marii a Calasio Concordantiae hebraicae. Romae 1621 4 voll. et Londini 1747—49. fol. Joann Buxtorfii (patris) Concordantiae bibliorum hebraicae. Accesserunt novae concordantiae chaldaicae cum praefatione J. Buxtorfii filii. Basileae 1632. fol. Supplementi instar considerari possunt: Christ. Noldii Concordantiae particularum ebraeo-chaldaicarum, ed. Tympe. Jenae 1834. 4.; et quoad nomina propria: M. Fr. Lankischen Concordantiae Bibliorum germanico-hebraico-graecae. Lips. et Francof. 1696. fol.

**) Editiones praecipuae sunt adornatae a M. Mansuro Venetiis 1514. fol.; ab Alberti et Ruhnken Lugd. Bat 1746—66. 2 voll. fol.; a Schow Lips. 1792. Cfr. Ranke: De lexici Hesychii vera origine et genuina forma. Lips. 1831.

***) Editus est hic codex sub titulo: Etymologicum Gudianum a F. W. Sturz. Lips. 1818. 2 voll. in 4.

†) Editum est Mediolani 1499. in fol. a D. Chalkondyla et saepius; a L. Küster Cantabrigii 1705 3 voll. fol.; a Th. Gaisford Oxonii 1834. 3 voll. in fol.; a Godefr. Bernhardy Halae 1834. seqq.

††) Editum Venetiis 1712. fol.

3. *Scriptores graeci, quorum tamen promiscuus usus non esset aptus; licet nimirum atticae puritatis sectatores non prorsus repudiandi sint, longe tamen postponendi sunt illis, qui seriori aevo scripserunt, eoque magis, quo viciniores fuerunt sive aetati, sive patriae Apostolorum, vel etiam quo simpliciori stylo utuntur.* Ex his praeter Patres et scriptores ecclesiae graecos commendantur: Polybius, qui circa ducentesimum annum ante Christum floruit; Diodorus Siculus, qui Julio Caesari; Arianus, qui Hadriano (117 — 138 p. Ch.) fere coevus fuit, et Herodianus, qui styli simplicitate prae ceteris eminet, et ducentesimo circiter anno p. Ch. vixit. Ad s. Pauli dictionem illustrandam praeprimis commendant Thucididem *).

§. 52.

II. Judaeis peculiaris.

Peculiaritates a Judaeis in graeco loquendi usu praeter hebraismos etc. observatae, sive notiones judaicas spectes vocabulis graecis subjectas, sive privas constructiones respicias ad certas notionum relationes ac modos exprimendos, et procul dubio ex parte saltem e dialecto vulgari repetitas; peculiaritates, inquam, hae *non nisi e scriptoribus domesticis cognosci possunt, quales erant 70 interpretes, Josephus Flav. et Philo, auctores apocryphorum V. et N. T. — In speeie*

1. *Versio Septuaginta non tantum ab exteris Judaeis, sed etiam a Palaestinensibus maximi habita et diligenter lecta, linguae Judaeorum graecae veluti parens erat, cui omnes pro diverso culturae literariae gradu plus minusve adhaeserunt; quare versio haec etiam N. T. auctoribus prototypum quasi usus loquendi graeci exhibuit.*

2. *Josephus Fl. et Philo quoad aetatem sacris N. T. scriptoribus proximi erant; praeterea cum hisce de iisdem saepe materiis verba fecerunt, et usum loquendi hebraicum illustrarunt.* Sic v. g. quid sit κρίσις Mt. 5, 21.; quid ἀρχιερεῖς sibi velint; quid significet vox βασιλικός Joann, 4, 46.; quid denotet ἐφημερία Luc. 1, 5. 8.; quale festum indicetur per ἐγκαίνια Joann. 10, 22.; denique quae sit vis rationis a s. Luca Act. 27, 9. his verbis indicatae: διὰ τὸ τὴν νηστείαν ἤδη παρεληλυθέναι: haec omnia per scriptores laudatos clare edocemur. Ex Josepho enim dicimus, κρίσιν Judaeis eo tempore denotasse magistratum e septem viris compositum, et in quavis urbe provinciali residentem, qui de causis minoribus cognoscebat; summis

*) Cfr. Hauf: Uiber den Gebrauch der griechischen Profanscribenten zur Erläuterung des N. T. Leipzig 1796. — Munthe: Observationes philologicae in ss. N. T. libros ex Diodoro Siculo collectae. Hafn. et Lips. 1755. — Raphelii adnotationes in N. T. ex Xenophonte collectae. Edit. 2. Hamburgi 1720.; ejusdem adnotationes philologicae in N. T. ex Polybio et Arriano collectae. Ibid. 1715. — Kopke: Observationes sacrae in N. F. libros ex auctoribus potissimum graecis et antiqq. 2 tomi. Wratislaviae 1855. — C. L. Bauer: Philologia Thucydideo-Paullina, vel notatio figurarum dictionis Paullinae cum Thucydidea comparatae, in usum exegeseos sacrae vulgatae. 8. 1773.

sacerdotibus illa aetate tum ab Herodibus, tum a procuratoribus romanis frequenter depositis pristinae dignitatis titulum esse relictum; ἐφημερίαν denotasse illam sacerdotum classem, quae per hebdomadem templi ministerio fungebatur; vocem βασιλικός significasse hominem aulicum *). — Philo docet, vocem ἐγκαίνια, quae apud Graecos profanos non legitur, Judaeis usurpatam fuisse de festo dedicationis annuae (τὰ φῶτα apud Jos. Fl.), quod incidit in 25. Cislev (Decembris), quodque Judas Macchabaeus instituit tn memoriam templi Hierosolymitani purgati a sordibus Antiochi Epiphanis, qui illud per triennium profanaverat, ita ut in ara Jehovae diis sacrificaret, idemque facere Judaeos juberet; νηστείαν a Judaeis adhibitam esse de festo expiationis, quod in 10. Tischri (Octobris) incidit; unde Actorum locus supra citatus egregie illustratur; nam tempore illius festi navigatio in mari mediterraneo per turbines fere continuo enascentes valde periculosa redditur **).

3. Apocrypha V. et N. T. graeca, sive a Judaeis, sive a Judaeo-Christianis confecta, magnum habent usum ac momentum eatenus, quatenus *a)* plura eorum ad ipsam aetatem librorum biblicorum graece exstantium attingunt, vel saltem non multo ab ea distant; quatenus *b)* versionis rationem non habent, proindeque periculum non adest, ne contextum justo magis sequentes judices potius, quam testes usus loquendi agant; quatenus denique *c)* incrementa, quae usus loquendi graecus Judaeorum inde ab origine versionis Sept. cepit, ex iis cognosci possunt ***).



De fontibus et subsidiis usus loquendi N. T., quatenus est

§. 53.

Christianus.

Huc pertinent praeter versiones antiquas

1. Patres non tantum graeci, sed et latini, quatenus, si in rebus fidei ac morum Christianorum unanimiter consentiunt, ex viva Apostolorum traditione hausisse censendi sunt, quomodo termini religioni Christianae proprii sint intelligendi.

*) Antiq. 4, 8, 14. et B. J. 2, 20, 5.; Antiq. 15, 3, 1. al. ibid. 7, 15, 7. 17, 10, 3. 6. Bell. jud. 1, 1, 5. Cfr. Tob. Krebsii observationes in N. T. e Flavio Jos. Lips. 1755.

**) Cfr. Christoph. Frid. Loeschner observationes ad N. T. e Philone Alex. Lips. 1777.

***) Codex apocryphorum N. T. editus a Fabricio Hamburgi (altera edit.) 1719; auctarium codicis apocryphorum edit. a Birch, Kopenhagae 1804; Thilo: codex apocryphorum N. T. Lips. 1832 (I. pars).

2. *Scholiastae et glossatores superius §. 51. nominati, utpote qui non tantum usum loquendi graecum in genere, sed et peculiarem N. T. illustrare conati sunt* *).

3. *Ipsi N. T. scriptores sacri, quorum diligens lectio tutissimum praebet subsidium ad rite cognoscendum usum certarum vocum, formarum ac formularum, quae cuivis peculiares sunt, ita ut v. g. quae sint s. Joanni. s. Paulo aut s. Jacobo etc. propria, ex iis ipsis optime cognoscantur. Praeterea ex iisdem simul sumtis usus loquendi tum graecus, tum hellenisticus, tum christianus optime illustratur, quia non tantum quoad patriam et aetatem, sed etiam quod religionem pares sunt, et quia haud raro quae alter obscure et ambigue dicit, alter perspicue, praecise ac definite proponit* **).

§. 54.

Conclusio hujus sectionis.

Ex iis, quae de linguae s. Scripturae indole ac partibus disseruimus, sequitur, eum, qui sacras literas plenius intelligere vult (velle autem omnes saltem theologi debent), non tantum uberiori notitia linguae graecae et latinae instructum esse debere, sed et hebraicae, aramaicae ac rabbinicae, et ad has dialectos accuratius cognoscendas etiam arabicae. Ad assequendam harum linguarum cognitionem commendari merentur respectu linguae

1. *graecae a)* in genere: Ausführliche griechische Sprachlehre von Philipp Karl Buttmann, 2 Aufl. Berlin 1839; dieselbe im Auszuge, 16. Aufl. Berlin 1841; Griechische Sprachlehre von L. M. Eisenschmid, Wien 1825; Ausführliche Grammatik der griechischen Sprache von Dr. Raphael Kühner; desselben Schulgrammatik der griech. Sprache, 2. Aufl. Hannover 1843; Griechisch-deutsches Wörterbuch von Friedrich Wilhelm Riemer, 2 Bände, vierte vermehrte und verbesserte Auflage, Jena 1823. 1825. in 8vo.

b) N. T. in specie: Grammatik des neutestamentlichen Sprachidioms von Dr. Georg Benedikt Winer. Fünfte verbesserte und vermehrte Auflage, Leipzig 1844. — Novum lexicon graeco-latinum in N. T. editum a Fried. Schleussner, II tomis, in 8vo. Editio quarta emendatior et auctior. Lips. 1819. Clavis N T philologica, edita a Christ. Abrahamo Wahl, Lips. 1822 et 1829. — Lexicon manuale

*) Glossas sacras ab illis viris notatas selegit, et peculiari libello complexus est *Ernesti* sub hoc titulo: Suidae et Phavorini glossae sacrae cum spicilegio glossarum sacrarum Hesychii et Etymologici magni, Lipsiae 1781 et 1787. Scholia notatu digniora congesta reperiuntur in sequentibus operibus: N. T. una cum scholiis graecis e graecis scriptoribus tam ecclesiasticis, quam exteris maxima ex parte desumtis, opera et studio Joann. Gregorii, Oxonii 1703 fol., et: N. T. XII tomis distinctum graecum et latinum. Textum denuo recensuit, varias lectiones nunquam antea vulgatas collegit, scholia graeca maximam partem inedita addidit et edidit Christ. Frid. Matthaei Rigae 1788.

**) Hunc in finem adhiberi potest Concordantia graeca ab Erasmo Schmidt edita Vitebergae 1638.

graeco-latinum in libros N. T. auctore Car. Gottl. Bretschneider, editio III. in 4to, Lipsiae 1840. — Clavis N. T. philologica auctore Christ. Gottl. Wilke, 2 tomi, in 8vo, Dresdae et Lipsiae 1841.

2. *hebraicae:* Hebräische Grammatik von Wilhelm Gesenius, 13. Aufl. 1842; ejusdem ausführliches grammat. u. kritisches Lehrgebäude der hebr. Sprache, 2 Thle., Leipzig 1817; ejusdem Geschichte der hebr. Sprache und Schrift, Leipzig 1815. Grammatik der hebr. Sprache des A. T. von Heinrich Ewald, 3. Aufl. Leipzig 1838. J. Bouget: Lexicon hebraicum et chaldaico-biblicum. Romae 1757. 3 voll. in fol. Hebräisches und chaldäisches Handwörterbuch von Wilh. Gesenius, 4. Aufl. in 8vo, latine 1833, germ. 1834. Joannis Simonis Lexicon manuale hebraicum et chald. denuo editum a Dre. Georg. Bened. Winer, editio quarta in 8vo, Lipsiae 1828.

3. *chaldaicae:* Grammatik des bibl. und targum. Chaldäismus von G. B. Winer, Leipzig 1824. Joannis Buxtorf Lexicon chald., talm. et rabbinicum, Basileae 1640 fol.

4. *syriacae:* Grammatica syriaca, edita ab Andr. Gottl. Hoffmann, Halae 1827. Joann. Bapt Ferrarii (e soc. Jesu) Nomenclator syriacus Romae 1622. in 4to; Th. a Novaria thesaurus arabico-syriaco-latinus, in 8vo, Romae 1636. Lexicon heptaglotton hebr., chald., syr., samar., aethiop., arabicum et persicum, editum ab Edmundo Castell, 2 voll. fol. Londini 1669.

5. *arabicae:* Grammaire arabe à l'usage des élèves de l'école spéciale des langues orientales. Par M. le Bon Silvestre de Sacy. Paris 1810., seconde édition corrigée et augmentée 1831. II tom. 8vo; Erpenii grammatica arabica. Accedunt Lockmani sapientis fabulae et selectae quaedam Arabum sententiae. Romae 1829. in 8vo; Grammatica linguae arabicae, edit. ab Oberleitner Viennae 1822.; G. H. E. Ewald: Grammatica critica linguae arabicae. Lips. 1831. 2 voll. in 8vo. Jacobi Golii lexicon arabicum Lugduni Bat. 1655. fol. Lexicon arabico-lat. editum a Georg. Guilielm. Frid. Freytag, 4 voll. in 4to, Halae 1830—1836; ejusdem epitome in 4to, Halae 1837.

6. *Quoad rabbinismos* interpreti usui sunt: Lightfooti Horae hebraicae et talmudicae, Ultraj. 1699, et cura Joann. Benj. Carpzovii, Lips. 1679 et 1684; Schötgenii Horae hebraicae et talmud. in univ. N. T. Dresdae 1733 et 1742, 2 tom.; Joann. Gerhardi Meuschen N. T. ex talmude et antiqq. Ebraeorum illustratum, Lips. 1736 *).

---

*) In usu grammaticarum et lexicorum et in genere librorum, ab Acatholicis profectorum Catholico magna cautione opus esse, vix est, quod moneamus

Sectio II.

De sensu inveniendo ope orationis contextus.

§. 55.

Quid est contextus, et cur interpreti respiciendus?

Per contextum intelligitur partium orationis nexus et mutua relatio.

*Quamvis usus loquendi interpreti ante omnia est investigandus ac respiciendus, quia secus aliorum hermeneuticae subsidiorum rectus fieri non posset usus: sola tamen ejus cognitio ad sensum inveniendum minime sufficit. Etenim usus loquendi docet quidem, quae significationes vocibus, formis et formulis in se spectatis seu in genere conveniant; quas vero e pluribus his significationibus per voces cujuslibet loci revera exprimere intenderit loquens, minime indicat. Quod ut cognoscatur, reliquarum etiam orationis partium ratio habenda est; nam quemadmodum loquens sana mente praeditus unicuique orationis suae partibus nonnisi eam vim tribuit, qua relate ad praecedentia et sequentia aptum, eumque certum neque alium sensum exprimant: ita vice versa interpres, quae singulis orationis membris potestas subjicienda sit, e contextu plerumque intelliget; ea videlicet erit supponenda, quae reliquis dictorum partibus respondet. Pro dictis itaque contextus ab interprete respiciendi necessitas dubia esse nequit *).*

§. 56.

Contextus divisio.

Contextus dividitur:

1. Ratione loci seu distantiae eorum, quae cohaerent, in proximum, remotiorem ac remotissimum; proximus in partibus unius ejusdemque propositionis; remotior in propositionibus ad eandem orationem pertinentibus; remotissimus in locis parallelis locum habet.

2. Respectu modi, quo orationis partes connexae sunt, in logicum, psychologicum, historicum et opticum.

Contextus logicus ibi adest, ubi membra propositionis et orationis ita se ad invicem habent, ut subjectum et praedicatum, ut genus et species, ut partes et totum, ut ratio et consequens, ut responsio et quaestio, ut comparata, correlata, coordinata vel ut opposita.

Psychologicus nexus statuitur, ubi praecedentia ac subsequentia vi legis ita dictae idearum associationis cohaerent.

---

*) In significationibus vocum e contextu determinandis res ita se habet, uti in restituendis e nexu literis in hoc vel illo vocabulo deletis; v. g. Ge icht = Gedicht, Gericht, Gesicht, Gewicht; Ge alt = Gehalt, Gestalt, Gewalt.

Historicus contextus locum habet in factis historicis copulan-
t, estque vel chronologicus, si temporis, vel realis, si internae
nilitudinis, vel topicus, si loci ratio habeatur in illis connectendis.
Opticus denique nexus adesse dicitur, ubi prophetae in oraculis
is eventus propius ac remotius sitos adumbrant, quin intervallum,
od inter illos intercedit, innuant.

§. 57.

le cognoscitur, quae orationis cujusdam partes, quo nexus genere ac specie, et quo gradu cohaereant?

A. Relate ad ambitum nexus: Ejusdem propositionis aut di-
orum singulorum membra ad eundem, et quidem ad proximum
rtinere contextum, jam ex definitione hujus patet. Difficilior autem
t quaestio, quaenam in contextu remotiori posita cohaereant, siqui-
m loquens ipse vel libri auctor id non sat clare indicavit. —
od s. Scripturam in specie attinet, erraret interpres, si indiciis
llacibus plenam haberet fidem. Talia sunt:

1. Nostra s. textus in capita et versus divisio, utpote quae
que ab ipsis auctoribus biblicis descendit, nec sat apte instituta
t; saepe enim disjungit, quae logice aut historice cohaerent, et
n raro conjungit, quae separanda fuissent.

2. Ipsae divisiones illae, quas recentiores s Scripturae edito-
s introduxerunt, et quae aptius quidem, non tamen ita sunt insti-
tae, ut nexus dictorum ubique accurate determinaretur.

3. Inscriptiones, quia tum a librariis non raro perturbatae, tum
recentiori demum manu, et quidem hic ibi saltem sat inepte
nt adjectae.

Contra vero dicta, inprimis logice et historice connexa cogno-
untur:

a) Ex apertis indubiisque orationum exordiis et clausulis, v. g.
r. 4, 2. coll. cum v. 9. Luc. 14, 7. coll. cum v. 11.

b) E particulis et formulis continuationem ejusdem, aut novae
ationis initium indicantibus, v. g. coll. Mr. 7, 1. cum v. 9. v. 14
17.; coll. Mt. 13, 1. 2. cum v. 9. v. 31. v. 33.

c) Ex unitate consilii, facti. loci, temporis et personarum, quae
quentes inducuntur, et ad quas vel de quibus fit sermo; nam
aeyis mutatio in his observata innuit, non eandem amplius con-
tinuari orationem, finitaque esse, quae ad contextum eundem perti-
ant, v. g. I. Cor. 7, 1. seqq. c. 8. c. 9. Mt. 5, 20—48. 6, 1—18.;
ntra autem illa adjuncta diserte notata et constanter servata
re docent, dicta sic connexa ex mente auctoris historice revera
eundem, pertinere sermonem, ita ut contrarium asserere idem
set, ac s. scriptorem aut ignorantiae, aut laesae fidei arguere.
are statuere non licet, Christi orationem montanam Mt. cc. 5. 6.
instructionem Apostolorum Mt. c. 10., increpationem Pharisaeorum
legisperitorum ibid. c. 23., vaticinium de Hierosolymorum exci-
t et mundi interitu ibid. cc. 24. et 25. alienas continere partes,

quae a s. Marco et Luca aliis occasionibus commemorentur; etenim nihil obstitit, quominus partim s. Matthaeus ob peculiarem finem certos Christi sermones plenius describeret, quos s. Marcus et s. Lucas paucis tantum innuerunt, partim eadem praecepta, praecipue ethica coram diversis auditoribus a Christo repetitis vicibus pronuntiarentur, aut Apostolis primâ vice emittendis talia monita jam exhiberentur, quae serioribus demum eorum circumstantiis conveniebant.

B. Ratione generis ac speciei contextus:

1. *Nexus logicus in qualibet propositione, periodo et oratione adest; attendendum tamen, quaenam ejus species quavis vice habeat locum,* num scilicet membra simpliciter tantum connectantur, an comparentur; num in causali, an in antithetico, exceptivo etc nexu posita sint. *Quod plerumque cognoscitur ex particulis conjunctionis; cum tamen in vulgari usu loquendi cujusvis linguae, et, quod N. F. in specie attinet, insuper ex imitatione idiomatis hebraici ejusmodi particulae quandoque vel omittantur, vel non ubique locorum ita positae inveniantur, ut stricta et accurata legum linguae observatio postulat: sola conjunctionum ratio non sufficit, sed ipsorum insuper orationis membrorum natura diligenter examinetur, necesse est, ut cognoscatur, quomodo se ad invicem habeant,* v. g. Mr. 9, 48.

2. *Ut intelligatur, an dicta quaedam nexu psychologico cohaereant, necessarium est scire, quibus rationibus in hominis animo vi legis idearum associationis idea ideam excitare soleat, quod fit sequentibus modis: Cogitatus cogitatum excitat* aut

a) ob internae cujusdam similitudinis vel contrarietatis rationem, quae inter illos intercedit, v. g. Joann. 2, 13—16. coll. v. 17; Mr. 9, 37. 38 (graec.); aut

b) prouti vel temporis vel loci, personae vel rei recordatio aut mentio eos menti admovet, v. g. Joann. 5, 24. 25. Mt. 14, 1. 2. coll. cum v. 3. seqq. Joann. 1, 52. coll. v. 48; aut denique

c) pro eo, ac olim conjuncti erant, vel frequentius sibi successerant, v. g. Mr. 8, 29—32. Joann. 9, 1. 2. Mt. 24, 3.

Quorum ut rectus fieri possit usus, necessarium est simul interpreti scire, quae loquentis fuerint vitae adjuncta, quae cogitandi sentiendique ratio, de quibus sect. III. fiet sermo.

3. *Utrum in partibus historicis narrationes singulae nexu historico-chronologico, historico-reali, an historico-topico cohaereant, cognoscitur:*

α) Ex formulis sat claris, quarum ope narrationes factorum conjunguntur, ita ut apertum sit, rationem temporis haberi in illis connectendis, aut secus, v. g. Mt. 22, 23.

β) E scriptoribus coaevis, si adsunt, seu e locis parallelis, quae in casu dubio consulere licet, v. g. coll. Luc. 5, 12. cum Mt. 8, 1. seqq., coll. Luc. 8, 22. et Mt. 8, 23. cum Mr. 4, 35.

γ) E consilio generali, quod auctori in conscribendo libro obversabatur, v. g. s. Matthaeo.

4. *Tandem ut perspiciatur, num quaedam nexu optico conjuncta sint, si desunt indicia tum in ipsa oratione, tum in locis parallelis, in traditione, nonnisi cauta orationis partium dijudicatio,*

historicis notitiis lucis instar utens, et tam ad consilium loquentis, quam ad ejus dicendi rationem jam aliunde cognitam respiciens interpreti prodesse poterit.

C. Respectu gradus contextus: In oratione saepe alia principalia sunt, i. e. ita comparata, sine quibus cogitatus loquentis primarius non exprimeretur, *alia vero incisorum aut parenthesium instar addi solent ad hanc vel illam sententiae primariae partem aut illustrandam, aut firmandam, aut amplificandam.*

Quae jam vero in nexu principali posita sint, ex rei naturà, seu ex logica orationis integritate intelligitur; quae autem incisorum aut parenthesium instar se habeant, plerumque cognoscitur ex grammatica dictorum ratione, si vel

a) apodosis non immediate, sed interjectis aut uno, aut pluribus membris excipiat protasin, v. g. Rom. 1, 1—7., ubi interjectis quinque versibus cogitatus principalis partes disjunguntur; vel si

b) constructio a coepto modo deflectat, quo in casu ea, quae inter constructionis ejusmodi abruptae partem priorem, et inter ejus reassumtionem posita sunt, incisi instar sunt spectanda, v. g. Luc. 17, 28—30., Joann. 6, 22—24., I. Joann. 1, 1—3.; vel si

c) pronomina relativa adsunt, quae tamen ob rationes logicas non ad vocabula proxime praegressa, sed ad remotiora referri debent, v. g. I. Cor. 1, 8. coll. cum v. 4.; *vel denique si*

d) appositiones occurrunt, quas non ad proxime praecedentia, sed ad remotius sita pertinere, eaedem rationes logicae docent, v. g. Rom. 2, 16. coll. c. v. 12.

In narrationibus historicis ea, quae in chronologico nexu posita sunt, aeque non semper eodem nexus hujus gradu cohaerent, sed adest nexus chronologicus mox arctior, mox latior. Quod ut dignoscatur, attendendum ad formulas, quarum ope narrationes junguntur. Nam

α) si formulae adsunt, quae perspicue ac certo docent, inter duo facta, quae in narratione semet excipiunt, temporis intervallum vel longius, vel brevissimum intercessisse, nexus chronologici gradus accurate determinatur; ubi enim hoc locum habet, contextus adest chronologicus strictior; ubi illud invenitur, nexus latior; v. g. Mt. 17, 1. et parall.; Jo. 1, 35. 2, 1. 4, 43.; Luc. 2, 40. 42. 51. et 3, 1.

β) Ubi nonnisi vagae, indefinitae et obscurae temporis notationes reperiuntur, plerumque ex parallelis coaevorum scriptorum narrationibus, et nonnunquam, ut in Evangelio s. Joannis, e generali auctoris consilio dijudicandum est, utrum narrata cum praecedentibus in nexu chronologico arctiori, an in latiori tantum posita sint; v. g. Mr. 12, 18. coll. cum Mat. 22, 23.; Mt. 21, 12. coll. cum Mr. 11, 11—15.; Mt. 4, 12. coll. cum Jo. 1, 35—4, 54.; Jo. 4, 54. coll. cum Luc. 4, 16—44. Mt. 4, 13—25. Mr. 1, 14—20.

Praemissis hisce quaestionibus jam ostendemus:

Quid doceat nexus orationis

A. logicus, et quidem

§. 58.

1. proximus.

Primum, ad quod interpreti in usu contextus probe attendendum, sunt singulae propositiones, sive solitariae sint, sive orationis amplioris partes constituant. Propositiones vero et ipsae suis membris constant, quae ad certum sensum exprimendum congruunt, proindeque in ea relatione mutua posita sunt, ut se invicem necessario illustrent. Sunt vero membra haec: subjectum, praedicatum una cum copula sive latente sive expressa, et appositiones. Hinc ante omnia

1. conferatur subjectum cum praedicato, eaque significatio unius sive propria, sive tropica a loquente intenta censeatur, quae cum notione altero membro clare expressa consentit; etenim dubitari nequit, quin loquens mente sanus subjecto eam tribuerit vim, quam praedicato convenire scivit, et vice versa; v. g. Mt. 5, 13. *ὑμεῖς ἐστε τὸ ἅλας τῆς γῆς*; v. 14. *ὑμεῖς ἐστε τὸ φῶς τοῦ κόσμου.*

Subjecti vocabulum praeterea docet, num adsit propositio universalis, particularis an singularis; praedicatum vero indicat, num sententia dubie concepta sit, an assertorie, an plane necessitatem sive subjectivam (moralem), *sive objectivam* (physicam) *involvat.*

2. Ubi praeter subjectum et praedicatum insuper aliae dicti partes occurrunt, ut casus obliqui, adjectiva, adverbia et quae eorum vice funguntur: inde felicius adhuc cognosci potest, quaenam termino cuivis in propositione tali significatio subjicienda, et quibus limitibus singularum vocum ac totius sententiae potestas constringenda sit; nam ejusmodi appositionum non alius est finis, nisi ut hanc vel illam notionem accuratius determinent. Si itaque

a) casus obliquos adpositos respiciamus, πλήρωμα Coloss. 2, 9. qualem plenitudinem significet, indicat additus genitivus τῆς θεότητος; Mt. 5, 3. ubi sermo est de πτωχοῖς, non intelligi paupertatem externam, sed quemdam animi statum, docet adnexus dativus τῷ πνεύματι. Verba s. Pauli Rom. 1, 3. de Christo prolata: γενομένου ἐκ σπέρματος Δαυΐδ ad humanam Christi naturam restringenda esse, manifestat adpositum κατὰ σάρκα. — Similem usum praestant

b) adjectiva aut participia, ubi adjuncta inveniunter. Sic v. g. Joann. 1, 18. vocem υἱός (scil. θεοῦ) non vulgari, sed sublimiori, proprio significatu accipiendam esse, docet additum μονογενής. Vocabulum τελωνῶν Luc. 5, 29. non publicanos, sed portitores designare, monemur addito ὄχλος πολύς. Mt. 13, 52. per γραμματεύς non judaicum legisperitum, sed doctorem christianum significari, ostendit addita formula: μαθητευθεὶς τῇ βασιλείᾳ τῶν οὐρανῶν. I. Tim 4, 8. notionem substantivi γυμνασία adjectivum σωματική ad certam et determinatam exercitationum speciem restringit. — Idem valet

c) de adverbiis, quae praedicato adjungi solent. Sic in effato Christi Joann. 6, 56. „Caro mea vere est cibus, et sanguis meus

vere est potus", adverbium ἀληθῶς repetitum ostendit, fuisse Domino consilium declarandi, carnem suam suumque sanguinem reapse, sensu proprio cibi potusque instar manducari et bibi; Luc. 15, 13. adv. ἀσώτως conjunctum cum participio ζῶν hujus significatum accurate determinat.

Quod de adjectivis et adverbiis dictum est, valet etiam

d) de vocibus ac formulis, quae illorum loco poni solent, v. g. Luc. 1, 48. ἐπέβλεψεν ἐπὶ τὴν ταπείνωσιν τῆς δούλης αὐτοῦ; Act. 12, 7. ἐν τάχει (celeriter); Rom. 1, 4. ἐν δυνάμει (potenter).

Quid vero sit subjectum, quid praedicatum, et quo adpositiones pertineant, communiter cognoscitur ex ordine vocum et e causis grammaticis; subjectum videlicet ordinarie praeponitur, praedicatum sequitur, et partes, quae logice ad invicem pertinent, etiam penes se collocatae esse solent; quare interpretatio, quae rationem sequitur contrariam, plerumque falsa est, dura ac contorta, v. g. si verba Mt. 5, 3. reddantur: Beati spiritu sunt pauperes; sic enim τῷ πνεύματι referretur ad remotius μακάριοι.

Verum quandoque vel apud classicos scriptores praedicatum praemittitur subjecto, si nempe in voce praedicati maxima vis dicti sita, vel ea notio est, in quam audientium et legentium attentionem praeprimis dirigi vult loquens. Idem eo magis fit apud Orientales, praesertim in gnomis et in illa propositionum congerie, in qua sequens membrum ab ultimo vocabulo membri praecedentis inchoatur; v. g. Joann. 1, 1. ἐν ἀρχῇ ἦν ὁ λόγος, καὶ ὁ λόγος ἦν πρὸς τὸν θεόν, καὶ θεὸς ἦν ὁ λόγος.

Neque regula, subjectum semper gaudere, praedicatum autem carere articulo, prorsus vera est; nam prout vel subjectum, vel praedicatum vel utrumque definitum est aut non, vel subjectum, vel praedicatum vel utrumque articulo aut gaudet aut caret. V. g. Joann. 7, 49. ὁ ὄχλος οὗτος . . . ἐπικατάρατοί εἰσι, quia de certa et determinata turba sermo est; Mt. 6, 22. ὁ λύχνος τοῦ σώματός ἐστιν ὁ ὀφθαλμός; Mr. 6, 3. οὐχ οὗτός ἐστιν ὁ τέκτων; Joann. 4, 42. οὗτός ἐστιν ὁ σωτὴρ τοῦ κόσμου, ὁ χριστός; Mt. 20, 16. πολλοὶ εἰσι κλητοὶ, ὀλίγοι δὲ ἐκλεκτοί *).

Ubi res ita se habet, ipsa logica dictorum indoles et mutua relatio expendenda, et quid eis congruum sit, judicandum erit. Si contextus remotior simul accedit, et unum idemque subjectum per plura membra dominatur, comparatione eorum institutâ omne dubium evanescit. Sic v. g. dubitari nequit, Joannis 1, 1. vocem λόγος etiam in ultimo, et Mt. 5, 13. formulam τὸ ἅλας in tertio membro esse subjectum. Neque incertum erit, Joann. 4, 24. πνεῦμα esse praedicatum, ὁ θεός vero subjectum, cum in contextu praecedentium et subsequentium non πνεῦμα, sed θεός sit subjectum, de quo fit sermo. — Quod de subjecto grammatico cognoscendo, etiam de rhetorico valet. Sic v. g. quia Mt. 16, 17. 18. (tu es Petrus), et v. 19. (tibi dabo) Petrus subjectum est, de quo et ad quem verba

*) Cfr. Wineri Grammat. p. 106.

fiunt, idem statuendum est de sententia intermedia: Et super hanc petram aedificabo ecclesiam meam. Cfr. Mt. 12, 9. (αὐτῶν) cum v. 2—7. et v. 10.

Quae commoda interpreti praestet contextus logicus

§. 59.

II. remotior.

Si quaeratur, quaenam voci cuidam potestas, qui propositioni sensus sit tribuendus, per contextum proximum non omne semper removetur dubium; nam vel una eademque sententia pro diversitate nexus, in quo est posita, diversum saepe sibi vindicat sensum. Hinc in oratione cohaerente accedat necesse est ratio contextus remotioris, vi cujus propositiones et periodi conferuntur cum praecedentibus et sequentibus orationis partibus. *Contextus jam logicus remotior docet:*

1. Quaenam e pluribus vocis, formae aut formulae significationibus sit praeferenda. Si nimirum dicta ita se habent, ut praedicata, personae cuidam aut rei ceu subjecto per orationis decursum tributa; ut species ejusdem generis, ut partes ejusdem totius, ut ratio et consequens, ut quaestio et responsio, ut comparata, coordinata, correlata et opposita: vocibus non est tribuenda significatio, qua illa nexus logici tolleretur relatio; sique e pluribus significationibus vocabulo cuidam competentibus omnes, unâ solâ exceptâ, nexum hunc logicum turbarent, illa sola a sanae mentis auctore spectata erit habenda. Sic v. g. Mt. 5, 3. vocem πτωχοὶ non denotare homines opibus carentes, qui ob hunc solum facultatum defectum beati praedicarentur, cognoscitur e contextu quoque remotiori; in sequentibus enim membris logice cum hocce cohaerentibus commemoratur varia animi dispositio, ob quam diversas hominum classes beatas praedicat Christus; ut ergo etiam hic talis animi dispositionis adsit species, quae congruit cum reliquis speciebus ejusdem generis: τῷ πνεύματι cum οἱ πτωχοὶ conjungendum est, ita ut intelligantur homines, qui ope principiorum christianorum animum suum ab amore ac desiderio bonorum terrestrium liberarunt, ita ut tum possessione, tum inopiâ ad altiores fines assequendos utantur. Rom. 14, 23. verba: „Omne, quod non est ex fide, peccatum est,“ in se spectata denotare possent: Quidcunque ab homine non christiano peragitur, utut bonum videatur, peccatum est, et ex hoc loco revera nonnulli demonstrare voluerunt, virtutes gentilium nihil esse, nisi splendida vitia; ast si illa sententia in nexu cum praecedentibus consideretur, clare patet, πίστιν denotare non religionis christianae professionem, sed persuasionem moralem, conscientiam licet erroneam; nam propositio haec cum praecedente jungenda ad praegressa se habet, ut ratio ad consequens. Ibidem 5, 12. ultimam sententiam: ἐφ' ᾧ πάντες ἥμαρτον, etiamsi formula ἐφ' ᾧ reddatur per propterea, quod = διότι, non de peccatis personalibus,

sed de originali labe intelligendam esse cum auctore Vulgatae vertente: In quo (Adamo) omnes peccaverunt: postulat *α)* v. 14., ubi Apostolus rationem illius dicti reddere pergens mortem ceu poenam etiam in eos regnasse asserit, qui non ad instar Adami culpam personalem contraxerant, quod ergo, quia s. Paulus poenam nunquam separat a culpa, peccatum originale supponit; praeterea idem exposcit *β)* parallelismus inter primum et alterum Adamum (Christum) a v. 15—19. propositus, qui clare ostendit, ex mente Apostoli peccatum Adami primi ob nexum per carnalem generationem cum eo contractum in omnes homines transire, quemadmodum per initam communionem cum altero Adamo redemtio ab eo effecta omnibus contingit. Mt. 6, 1. δικαιοσύνην denotare exercitium bonorum operum, pietatis studium, inde colligitur, quod versus hic ad sequentia se habet, ut genus ad species, coll. vv. 2. 5. 16. Cfr. Jo. 1, 1. (ὁ λόγος) cum seqq. usque ad v. 18; Mt. 4, 9. (προςκυνήσῃς) cum v. 10; Jo. 3, 14. (ὑψωθῆναι); 4, 23. cum v. 20. 21; Mt. 28, 19. (καὶ τοῦ ἁγίου πνεύματος).

Huc praecipue pertinent vocabula polysema *) *et dicta oxymora, quae absurda et repugnantia esse videntur, revera autem sensum profundiorem continent* **). Sic ψυχή Mt. 10, 39. Luc. 9, 24. et Jo. 12, 25. ob contextum remotiorem bis significat vitam terrenam, bis vitam aeternam hoc sensu: Qui tempore periculorum servandae vitea suae terrenae majorem adhibuerit curam, quam religionis meae professioni, servatâ vitâ terrenâ vitam perdet aeternam; qui vero religionis meae professionem ipsius vitae suae terrenae conservationi praetulerit, vita potietur aeterna. Luc. vero 17, 33.: Quicunque tempore adventus mei monitorum meorum immemor, et ideo animo a me averso ductus supellectili conquirendo vitam suam terrenam servare quaesierit, vitam perdet aeternam; et quicunque tum temporis mihi vere addictus et in me solum sperans vitae hujus necessaria non curaverit, ab hac vita immediate transibit ad aeternam.

E nexus logici ratione

2. *definienda est particularum potestas. Licet enim particularum graecarum aeque ac hebraicarum usus non adeo vagus sit, prouti grammatici et interpretes passim clamitarunt, ut v. g. pro mero arbitrio particula καὶ cujusvis conjunctionis vices teneat, ut γὰρ pro οὖν aut δὲ etc. saepius posita sit: particulae tamen, praecipue conjunctionis, pro diversitate contextus diversam induunt potestatem.* Sic particula καὶ

a) in oratione historica est simplex copula, etiam ibi, ubi nos, facta nonnisi connexuri, saltem uteremur conjunctionibus tum, deinde, porro etc. Praeterea autem

---

*) V. g. Graecorum: βίος βίου δεόμενος οὐκ ἔστι βίος; Latinorum: Amici! dum vivimus, vivamus; Germanorum: vergeben = die schwerste Tugend, das grösste Verbrechen, die grösste Unart; item sich versprechen et alia.

**) V. g. Graecorum: ἀβίωτος βίος; ἐχθρῶν ἄδωρα δῶρα apud Sophocl.; ἄνανδρος ἀνὴρ τῆς Μαρίας (Joseph) s. Epiph.; insepulta sepultura ap. Cic. Philipp. 1, 5. Cfr. Neutestamentliche Rhetorik von Wilke, pag. 352. 353. 429.

b) ad genium linguae hebraicae ut praefixum ו adhibetur a N. T. auctoribus ibi quoque, ubi logica dependentiae relatio habet locum, quo in casu varius est vocis hujusce usus. *Sic ope particulae* καὶ (et, etiam, quod intensum est Latinorum vel, Germanorum sogar) *connectuntur*

α) sententiae, quarum una alteram explanat seu illustrat (καὶ èxegeticum = et quidem, quippe); v. g. Gal. 2, 20. „In fide vivo Filii Dei, qui dilexit me, et quidem (καὶ) tradidit semet ipsum pro me"; I. Cor. 3, 16. „Nescitisne, vos templum Dei esse, nempe (καὶ) Spiritum s. habitare in vobis?" — Aut conjunguntur

β) propositiones, quarum una alteri est opposita, quod tamen nonnisi in narratione historicâ alioquin clarâ fieri potest, uti Act. 10, 28. I. Thess. 2, 18., quibus in locis Vulgata καὶ quoad sensum recte quidem reddit per *sed,* verti autem etiam posset per intensam hujus particulae vim: *et tamen;* aut

γ) per καὶ *sententiae comparantur,* ut Marci 9, 48. Cfr. Jobi 5, 7.

Sic quoque particula γὰρ *non ubique locorum stricte causalis est, sed*

a) inservit nonnunquam inducendis explicationibus (nimirum) *et parenthesibus,* uti Mt. 1, 18. 24, 38. Mr. 5, 42. 16, 4. I. Cor. 16, 5. Eph. 6, 1.;

b) adhibetur in interrogationibus ac responsis vividioribus atque intensivis, uti Latinorum nam; v. g. Mt. 27, 23. Mr. 15, 14. Luc. 23, 22. Act 8, 31.;

c) saepius occurrit, ubi propositio intermedia est omissa; v. g. Act. 21, 13.: „Quid facitis flentes et affligentes cor meum? (Non est, quod mea causa fleatis;) nam etc. I. Cor. 4, 8. 9.: „Et utinam regnetis, ut et nos vobiscum regnemus (supplendum: „Est, quod hoc exoptem); nam Deus nobis Apostolis ultimum locum destinasse videtur. Mt. 2, 2. 22, 28. Act. 4, 27.

Quod de diversa conjunctionum potestate, de variis quoque praepositionum significationibus valet. Quaenam autem particulae cujusdam significatio a loquente spectata sit certo in loco, inveniet interpres subtili judicio praeditus, si ad antecedentia et subsequentia probe adtendens, eademque severo examini subjiciens cognoverit, quomodo dicta se ad invicem habeant, et quaenam illa sit particulae vis, qua admissâ auctor non inconsequens sistitur; nam quemvis loquentem cogitandi leges observasse, merito supponitur. — Nexus logici ratio docet

3. *quaenam e pluribus similitudinibus in tropico dicti cujusdam usu certo in loco sit spectata.* Sic v. g. propter contextum logicum vocabulum *lac* in I. Cor. 3, 2. Hebr. 5, 12. est imago primorum doctrinae christianae elementorum; I. Petri 2, 2. imago puritatis doctrinae christianae; *fermentum* est imago vis penetrantis *bonae* Mt. 13, 33. et loc. parall., *malae* vero Mt. 16, 6. coll. cum v. 11. seqq. I. Cor. 5, 6. Gal. 5, 9. Cfr. I. Thess. 5, 6. 10. (vigilare et dormire).

Huc inprimis referendae sunt sententiae proverbiales, utpote quae variis rebus applicari possunt, et pro diversitate contextus diversum induunt sensum. V. g. effatum in N. T. saepius occurrens: „Non est discipulus super magistrum, et servus super dominum,“ significare potest vel: Discipulus magistro suo non est praestantior scientia ac virtute; vel: Discipuli sors non est melior sorte magistri, servi sors non melior sorte domini sui; vel: Quidquid non dedecet magistrum aut dominum, eo minus dedecet discipulum aut servum. Vi contextus logici prior sensus locum habet Luc. 6, 40., quia in praecedentibus de coecorum coeco duce, seu de ignaro ignarorum magistro et de utrorumque interitu est sermo; alter Mt. 10, 24. Jo. 15, 20. quoniam in contextu discipulorum sors depingitur; tertius Joann. 13, 16. quod in praegressis et sequentibus de humilitatis exemplo, a magistro ac Domino discipulis legatisque dato verba fiunt. Sententia: „Qui habet, dabitur ei, qui vero non habet, et quod habet, auferetur ab eo,“ Mt. 13, 12. denotat: Qui animum ad doctrinas de vera et incognita indole regni Dei percipiendas sensu religioso et fide in me firmâ bene dispositum habet, ut vos Apostoli, hujus scientia proprio dicendi genere a me adhibito magis magisque augebitur; qui autem ad abscondita illa et sublimiora animum sensu coelesti et fide in me constanti non habet aptatum, uti reliqua turba, apertâ ac propriâ dicendi ratione a me observatâ ob praejudicia sua non tantum haec, sed etiam illa, quae jam prius audierat admiseratque, certo repudiaret. Cfr. v. seq. — Mt. 25, 29. Luc. 19, 26.: Qui bonis sibi concessis, gratiis ac beneficiis acceptis recte ac conscientiose utitur, ei plura concedentur, insignibusque praemiis ornabitur; qui vero illa qualiacunque non recte adhibet, ei etiam haec adimentur, et maximam sibi causabit miseriam. Mr. 4, 25.: Qui sedulum et continuatum in doctrinam meam rite intelligendam impendit studium, hujus scientia majores semper faciet progressus; qui autem fervorem istum negligit, illius exigua quoque, quam nactus erat, minuetur cognitio.

Dictum: „Qua mensurâ mensi fueritis, eâdem remetietur vobis,“ ob contextum denotat Mr. 4, 24.: Quo diligentiores in perspiciendâ doctrinâ meâ fueritis, eo major cognitionis ad munus docendi necessariae mensura vobis continget, et vice versa; seu: pro gradu diligentiae, ad intelligendam doctrinam meam adhibitae, cognitionis ad munus docendi necessariae vobis continget mensura; Mt. vero 7, 2. et Luc. 6, 38.: Par pari vobis referetur a Deo, futuro vestro judice ac remuneratore. Cfr. Mt. 19, 30. et 20, 16. cum Luc. 13 33. — *Eodem modo nexus logici ratio manifestat* ,

4. quibus limitibus vocum, formularum et propositionum vis sit constringenda; num dicta absolute, an relative sint intelligenda; ita nimirum eorum potestas est limitanda aut extendenda, ut praecedentibus et sequentibus conveniant. Sic v. g. Act. 9, 32. formula διὰ πάντων restringenda est ad solam Palaestinam tum ob v. 31, tum ob ea, quae cap. 10., praecipue v. 28. leguntur. Verbum ἔχομεν II. Petri 1, 19. ad solos Apostolos restringendum esse, docet v. 16. 18. Verba Christi Joann. 7, 8.: „Ego non ascendam“ non esse abso-

lute, sed comparative intelligenda, ostendit v. 10., nec non v. 3. et 4. I. Cor. 9, 19. 22. vim vocis πᾶς docet v. 20.

Tandem ex orationis serie cognoscuntur

5. *quae loquens audienti vel legenti supplenda reliquit. Homines namque non omnes cogitatus aut cogitatuum partes semper et ubique exprimere solent; sed quia aut vivaciori animo praediti sunt, aut aliis motivis ducuntur, omissis notionibus aut sententiis mediis ad remotiora feruntur. Quae vero sic suppressa, et ad plenam sensus cognitionem necessaria sunt, saepe ex ipso contextu cognoscuntur, cum vel ceu necessariae praemissae supponantur, vel ex oppositis intelligantur.* V. g. Rom. 15, 3. legimus: „Christus non sibi placuit (non suum honorem, suam gloriam quaesivit), sed (supplendum: honoris divini studio flagravit), sicut scriptum est (Psalm. 69, 10.): „Improperia improperantium tibi ceciderunt super me." Luc. 13, 9.: „Et siquidem fecerit fructum (suppl. bene est, in loco suo maneat); sin autem, in futurum succides eam." Cfr. Jo. 3, 3. cum v. 2. Rom. 12, 6. seqq. (Hom. Il. I. 135. 136).

§. 60.

B. Nexus psychologici, historici et optici ratio quid prosit interpreti?

1. *Nexus psychologicus saepius docet:*

a) *Quaenam sit ratio dicti et ipsius dicendi modi, qua cognitâ interpretatio non raro demum plenâ luce gaudet.* Sic v. g. cur Jesus Mt. 24, 32. similitudine usus sit a ficu petitâ, intelligitur, si attendas, eum qua doctorem popularem imagines a rebus obviis mutuari solitum esse, et illo tempore in monte Olivarum sedisse, qui ficis non minus, quam olivis consitus erat. — Jesus coll. Jo. 7, 37. ultimo die festi tabernaculorum stans clamabat: „Si quis sitit, veniat ad me et bibat," i. e. quicunque perfectiorem desiderat cognitionem, melioremque cupit agere vitam, in me Messiam credat, meam amplectatur disciplinam, et omnibus ejus satisfiet desideriis. Solebat vero hoc festo a sacerdote aqua e fonte Siloë hausta effundi in atrio templi, aliis sacerdotibus cantantibus verba messiana Isaiae 12, 3.: „Laeti aquam haurietis e fontibus salutis (Salvatoris)." Ritus itaque iste symbolicus erat ratio, cur Jesus, se Messiam esse significaturus, illis verbis et non aliis uteretur. — Cfr. Jo. 1, 52. cum v. 48. et Gen. 28, 10—15.; Mr. 8, 29—32.; 9, 37. 38.; 10, 28.; Mt. 24, 3. cum v. 2.; Jo. 9, 1. 2. I. Cor. 5, 7.

b) *Cur monita, quae ad varias temporum circumstantias pertinent, quandoque immediate conjungantur, et quare Apostoli hic, ibi ad V. T. certaque ejus effata respexerint; fit enim utrumque, quat ob idearum associationem, in specie propter similitudinis aut contrarietatis rationem recordatio unius alterius quoque in mente loquentis excitavit memoriam, aut quoniam mentio alterius descriptioni prioris addita majorem in animis audientium ciet effectum.* Sic v. g. Christus Mt. c. 10. a v. 16. cum praeceptis, quae Apostolis necessaria erant, quum prima vice bini emitterentur, plura eorum

conjungit, quae iisdem facienda aut patienda sint, quando ad praedicandum Evangelium in totum terrarum orbem ablegati fuerint, ut jam nunc ad destinationem suam ac sortem futuram attenti redderentur. Cfr. Jo. 2, 13—16. cum v. 17.

c) Quaenam interpretatio loci cujusdam sit praeferenda, ea nimirum, quae praeter alia cognitae loquentis idearum associationi unice respondet. V. g. Jo. 3, 14. verbum ὑψωθῆναι non de ascensione Christi in coelum, sed de exaltatione ejus in cruce intelligendum esse, inde etiam patet, quia v. 15. dicitur: „Ut omnis, qui credit in eum, non pereat, sed habeat vitam aeternam"; jam vero alias in N. T. salus, quae hominibus per fidem contingit, non ascensioni Christi in coelum, sed morti ejus in cruce tribui solet.

2. *Si in partibus historicis attentus fuerit interpres ad nexus historici speciem et gradum, quo narrationes singulae conjunctae sunt,* utrum videlicet adsit chronologicus, realis an topicus, et si prior locum habet, num sit arctior, an latior: *hac ratione*

a) cognoscet, quo ordine dicta, res gestae et eventus sibi successerint, et accuratiorem inde componere poterit historiam. V. g. s. Lucas Act. 12, 1—24. Petri liberationem e carcere et Agrippae regis mortem immediate conjungit, ita ut uterque eventus eodem anno quarto Claudii (44. p. Ch.) locum habuisse videatur. Attamen s. Lucas in scriptis suis majoris effectus causa e contrarietate oriundi nexum realem prae ceteris observare solet; hinc ut in Evangelio narrationi de Joannis B. activitate 3, 1—18. statim addit v. 19. 20. brevem relationem de ejusdem sorte, quo magis illucescat antithesis inter agendi rationem variarum hominum classium, qui praedicatione Joannis moti poenitentiam egerunt, et Antipae regis, qui objurgatione illius tactus criminibus crimen addidit; inter probitatem Baptistae et tristia ejus fata: ita Act. l. c. Petri liberationem e carcere et Agrippae mortem immediate conjungit, quo clarius sibi opponatur servile regis studium aurae popularis apud Judaeos, et superba sui ipsius apotheosis, verbis irridentium adulatorum excitata; immanis tyranni injustitia et foeda ejus mors. Quodsi vero res ita se habet, i. e. si, ut 3, 19. 20. in Evang. Lucae, ita Act. 12, 20—23. dicta embolii seu digressionis instar consideranda sunt: s. Petrus, ut antiqui tradunt, anno secundo Claudii (42. p. Ch.) Romam venire potuit *). Cfr. Jo. 7, 1. cum v. 10.

b) Non vexabitur vanis dubiis de antilogiis, quae inter diversos referentes locum habere videntur, quibus obnoxius esset ignorans, alium scriptorum certis in locis ordinem et nexum chronologicum arctiorem, alium latiorem, alium plane realem aut topicum in narrationibus suis esse secutum. Cfr. v. g. Mt. 21, 1. seqq. et loc. parall. cum Jo. 12, 1 seqq.; Mt. 21, 12. cum Mr. 11, 11—15.; Mt. 21, 18. seqq. cum Mr. 11, 12—20.

---

*) Cfr. Commentar über den Brief Pauli an die Römer von Dr. Adalb. Maier, recensirt von Dr. Schwarz in der Tübing. Theol. Quartalschrift 1848. I. Heft S. 133. 134.

3. Qui denique prophetarum oracula interpretaturus memor est, vates sacros optico nexu eventuum futurorum delineationes conjungere solitos esse, non perperam statuet, eas adumbrationes propheticas, quae conjunguntur, hanc ipsam ob causam pertinere etiam ad objecta tempore quoque sibi vicina, cum vi nexus optici (prospectus prophetici) *conjungi utique possint, quae sicut spatio, ita et tempore ab invicem valde remota sunt.*

§. 61.

Regulae in usu contextus exegetico observandae.

Ut commodis, quae contextus orationis suppeditat, potiatur interpres, rectus illius fiat usus, simul vero et omnis caveatur abusus, necesse est. Quem in finem praeter regulas generales §. 9. propositas sequentes observentur

I. Canones positivi:

Ad sensum loquentis cognoscendum exprimendumque

1. Contextum a) singulis orationis partibus proprium, b) ubique locorum et c) pro omni sua vi respicias atque expendas; hinc errares, si α) notionem vocis aut formulae ex aliis locis cognitam, vel sensum propositioni in certo contextu inhaerentem ad ea etiam transferres loca, ubi vox, formula aut propositio eadem in longe alio nexu posita est; si β) abruptis s. Scripturae effatis uti velles ad hanc vel illam sententiam probandam; si γ) vim contextus imminueres. Contra primum impingunt v. g. qui verbum ὑψωθῆναι, quod Act. 2, 33. 5, 31. de exaltatione Christi ad dexteram Patris legitur, etiam Jo. 3, 14. eâdem significatione accicipiunt; item qui vocem γενεά Mt. 24, 34. de aevo Jesu seu de hominum Jesu coaevorum aetate explicant, quia alias hoc significatu adhibetur; contra alterum non tantum peccarunt plures haereticorum, sed teste experientia adhucdum peccant levioris animi aut inscii homines, qui ad nefaria sua placita probanda provocant ad effata sacra a contextu suo avulsa; v. g. „Non est bonum, hominem esse solum“ Genes. 2, 18.; „Omnia mihi licent“ I. Cor. 6, 12. 10, 23.; hoc modo e verbis Psalm. 41, 1.: „Non est Deus,“ vel atheismus probari posset, si non attendatur ad praecedentia: „Dixit insipiens in corde suo“; quoad tertium hallucinantur, qui Joann. 7, 17. in formula secunda: ἀπ' ἐμαυτοῦ praepositionem ἀπό quidem de causa efficiente seu de fonte, in priori vero ἐκ τοῦ θεοῦ, quae alteri respondet, et in antithesi cum illa posita est, praepositionem ἐκ de objecto intelligunt ac reddunt: Ex meditatione de Deo. Philipp. 2, 6. 7. Mt. 25, 46.

2. Si integrum librum interpretari desideras, tuum esse scito:

a) seriem propositionum cohaerentium, quae totum efficiunt, cognoscere, et talem sectionum totius instar tractare, quod quidem efficere facilius est in libris historicis, difficilius vero in scriptis didacticis;

b) ideam pincipalem ejusmodi sectionis investigare;

c) omnium, quae cogitatum principalem circumdant, destinationem et rationem determinare; destinata vero sunt ad cogitatum primarium vel *α) praeparandum seu introducendum;* vel *β) obfirmandum et demonstrandum;* vel *γ) similitudinibus, imaginibus, exemplis etc. illustrandum;* vel denique *δ) contra adversariorum objectiones, contra dubia et exceptiones muniendum.* Si plures aut pauciores ejusmodi sectiones majoris vel minoris ambitus sese excipientes denuo efficiunt totum, tuum est

*d) ex ideis primariis singularum sectionum cogitatum principalem totius libri indagare, et relationem reliquarum idearum ad primariam determinare *).*

II. Cautelae:

In usu contextus exegetico caveas:

1. Ne per artificium sive criticum, sive hermeneuticum extorqueas nexum, ubi nullus aut non talis adest, qualem tibi imaginaris. Artificium criticum tum locum haberet, si interpres lectioni textus exstanti aliam, e mera conjectura critica repetitam ideo substitueret, quo planiorem sibi redderet nexum et sensum. Sic v. g. Act. 15, 20. 29. loco τῆς πορνείας nonnulli legi voluerunt τῆς χοιρείας (a carne suilla); Mt. 19, 24. loco κάμηλος — κάμιλος (rudens, funis nauticus). *Artificium hermeneuticum consistit in sectandis significationibus ac structuris rarioribus, vel in respectibus quaesitis, vel in docta auctoribus sacris supposità subtilitate,* v. g. in particula ἵνα loco infinitivi **). *Vitiosum esse illud, inde patet, quod, ubi textum sacrum mutationem, qua nexus turbatur, subiisse fundata adest suspicio, sat amplo gaudemus apparatu critico, cujus ope textus orginariae puritati restitui potest; quare nexus, e mera conjectura critica emergens, non potest non esse suspectus; reprobandum esse hocce, inde elucet, quia nobis res est cum scriptoribus maximam partem illiteratis, qui populari dicendi ratione usi plana et obvia secuti sunt, et haud raro, nexus interni incuriosi, singulis orationum fragmentis colligendis acquieverunt, vel diversi generis materias tractarunt, in quibus ergo approbanda erit interpretatio illa, quae facilitate sua et simplicitate sese commendat.*

2. Ne sine necessitate aut plane invito textu quidpiam addere aut supplere tibi indulgeas; nam qui profanâ manu reverentiam sacris literis debitam hac ratione laedit, non sacrum textum interpretatur, sed alium textum sibi efformat. Quare merito reprobantur s. Scripturae perversiones ab iis factae, qui miraculorum in ss. libris et mysteriorum impatientes in textu, licet eo renitente, pro lubitu

---

*) Hoc nonnisi repetità attentàque libri lectione effici posse, alioquin clarum est. Quem in finem adhibeatur versio probe confecta, aut textus originalis editio, in qua divisio in capita et versus non in textu ipso, sed in margine notatur.

**) Cfr. Winer Grammat. pag. 309. n. 9.

alia addunt, alia vero eorum, quae revera adsunt, plane negligunt, ut tandem prodeat factum pure ordinarium, vel doctrina mere humana. — Neque in locis dogmaticis absque ratione sufficiente sententiae alio modo separentur aut conjungantur, quam ab antiquis factum est; nam Patres antiqui, vel ab Apostolis, vel ab immediatis eorum discipulis edocti certe scire debebant, qua ratione in locis saltem gravioribus sacri libri, absque distinctionis signis editi, sint interpungendi; v. g. Rom. 9, 5. I. Tim. 3, 15. 16.

3. *Ne alium nexum, quam qui revera adest, locum habere statuas; ne confundas varias contextus species; ne, quae in principali nexu posita sunt, secundariorum instar tractes; ergo ne supponas v. g. nexum historicum, ubi psychologicus aut opticus; historico-chronologicum, ubi historico-realis, chronologicum strictiorem, ubi latior adest, et vice versa.* Denique

4. *Ne in favorem contextus ab usu loquendi unquam recedas, etiamsi significatio nexui optime congruens, usui loquendi autem adversa, ipsâ quoque etymologiâ et analogiâ linguae commendaretur;* nam loquentem potius usum loquendi respexisse, quam etymologiam et analogiam linguae, firmissime praesumere licet; v. g. Joann. 8, 46. (ἁμαρτία in sign. mendacii); Mt. 19, 24. (κάμηλος in sign. rudentis).

C. De contextu remotissimo, seu de locis parallelis *).

§. 62.

Quae loca dicuntur parallela, et quomodo dividuntur?

Loca parallela vocantur, quae a se invicem distant quidem, de iisdem tamen rebus agunt. Ex hac definitione jam patet, loca parallela quoad materiam, quae utrinque pertractatur, arcto in nexu esse posita, licet quoad locum, quem occupant, saepius saltem longe distent.

Parallelismus jam vero

1. *ratione fontis est vel ejusdem, vel diversorum auctorum. Si loca parallela ejusdem auctoris sunt, ad se invicem illustranda eo certius conferri possunt, quo minus supponendum est, auctorem aut sibi contradicere, aut dicta sua retractare. Sed diversorum quoque scriptorum loca parallela tum quoad usum loquendi, tum quoad contextum, tum quoad conditionem loquentis comparari possunt ad pleniorem lucem dictis affundendam; nam usus loquendi ejusdem linguae saltem in substantia idem ubique persistere debet, et paucae tantum mutationes respiciendae sunt, quas sive disciplinae et culturae, sive temporis, sive loci diversitas adducit.*

---

*) Nomen parallelismi repetitum est e scholis mathematicorum, ubi adhibetur de lineis, quae in eodem plano aequalibus ubique spatiis a se invicem distantes decurrunt, ita ut se nunquam tangant.

Eodem modo talia in alio auctore curatius scribente inveniantur, necesse est, quae et contextum, et conditionem illustrant illius scriptoris, qui eâdem quidem de re, concisius tamen aut minus accurate verba facit. Quod utrumque de sacris scriptoribus in genere, et de N. T. auctoribus praecipue valet, utpote qui a Spiritu s. recti neque sibi ipsis contradicere, neque retractare possunt; qui porro omnes eodem vixerunt tempore, in eâdem fere regione nati et educati erant, eidem disciplinae se tradiderant, quorum tamen singuli pro peculiari fine eandem rem aliis vel brevius et minus accurate, vel fusius curatiusque haud raro pertractant.

2. *Ratione modi parallelismus est vel solum realis, vel simul verbalis, vel poëticus.*

a) Solum realis est, si diversis in locis eâdem de re aliis, sive pluribus, sive paucioribus agitur verbis;

b) simul verbalis, si utrinque eâdem de re eadem insuper occurrunt verba;

c) parallelismus poëticus seu membrorum (qui cum contextu remotiori coincidit), in copiosis V. et in pluribus N. T. locis obvius, *est illa dicendi ratio, qua propositiones aut periodi sese immediate ita excipiunt, ut ad majorem claritatem majoremque vim et elegantiam efficiendam juxta symmetriae leges eadem cogitatio vel per partium enumerationem, vel ope comparationis semel, vel verbis idem fere significantibus responsorii instar, vel simul per contrarium suum bis pronuntietur.* Parallelismus hic in casu primo analyticus, in altero comparativus, in tertio synonymus, in quarto antitheticus dici potest; hae tamen species variis modis amplificatae et mixtae inveniuntur. V. g. Eccli 45, 6.: „Et dedit illi (Moysi) coram praecepta et legem vitae et disciplinae, docere Jacob testamentum suum, et judicia sua Israël.“ Proverb. 12, 9.: „Melior est pauper et sufficiens sibi, quam gloriosus et indigens pane;“ 10, 26.: „Sicut acetum dentibus et fumus oculis: sic piger his, qui miserunt eum;“ Deut. 32, 2.: „Concrescat (stillet) ut pluvia doctrina mea, fluat ut ros eloquium meum, quasi imber super herbam, et quasi stillae super gramina;“ Ecclis 12, 1. 2. 6. 7.: „Memento creatoris tui in diebus juventutis tuae, antequam veniat tempus afflictionis, et appropinquent anni, de quibus dicas: Non mihi placent; antequam tenebrescat sol, et lumen, et luna, et stellae, et revertantur nubes post pluviam; — — antequam rumpatur funiculus argenteus, et recurrat vitta aurea, et conteratur hydria super fontem, et confringatur rota super cisternam, et revertatur pulvis in terram suam, et spiritus redeat ad Deum, qui dedit illum.“ Psalm. 148, 5.: „Ipse dixit et facta sunt, ipse mandavit et creata sunt;“ Psalm. 17, 28.: „Quoniam tu populum humilem salvum facis, oculos vero superborum humiliabis;“ ibid. v. 15.: „Misit sagittas suas et dissipavit eos, fulgura multiplicavit et conturbavit eos.“ Luc. 1, 52.: „Deposuit potentes de sede et exaltavit humiles;“ v. 53.: „Esurientes implevit bonis, et divites dimisit inanes;“ Jo. 1, 3.: „Omnia per ipsum facta sunt, et sine ipso factum est nihil, quod factum est.“

Sic jam nemo haesitabit, v. g. effatum Christi Mt. 19, 24.: „Facilius est camelum per foramen acus transire, quam divitem intrare in regnum coelorum," ad eos restringere divites, qui coll. Mr. 10, 24. omnem confidentiam suam in pecuniis collocant. Cfr. Mt. 20, 28. (ἀντὶ πολλῶν) Hebr. 9, 28. (πολλῶν) cum 18, 11. I. Tim. 2, 4. 6. II. Cor. 5, 14. 15. I. Jo, 2, 2.; Mt. 26, 28. et Mr. 14, 24 (περὶ πολλῶν) cum Luc. 22, 20. et I. Cor. 11, 24. 25. (ὑπὲρ ὑμῶν); Luc. 6, 20. 21. cum Mt. 5, 3. seqq.; Luc. 14, 26. cum Mt. 10, 37. — Verum non modo singulorum dictorum aut terminorum, sed

4. *plerumque totius quoque rei, i. e. historiae aut doctrinae perfectior magisque perspicua ac solida cognitio e locis parallelis hauritur.* Sic v. g. valde imperfectâ regni judaici et israëlitici cognitione gauderet, qui solos aut Regum, aut Chronicorum libros legisset; nemo plurimos Psalmorum et praecipue oracula prophetica, quae ad eventum veluti adumbrationes carbone factae ad picturam coloribus adornatam sese habere solent, sine admoto historiae lumine plene intelligeret; nemo, nonnisi hunc illumve prophetarum consulens, accuratiorem Messiae imaginem in V. T. delineatam conspiceret. Eodem modo qui nonnisi unum alterumve e quatuor Evangelistis pervolveret, quot ille praeclarissimorum factorum ac dictorum Christi notitiâ careret! Quis porro s. Pauli epistolas absque Actis App. perfecte intelligeret? Idem valet de doctrina Jesu Apostolorumque, quatenus in sacris N. T. libris continetur. Multa e. g. loca conferenda sunt, ut scias, quemnam in finem Christus mortuus sit, et quos salutares effectus mors ejus generi humano attulerit *). Causa horum et omnium hoc §. dictorum in eo est sita, quod auctores biblici, praecipue N. T. non fuerunt scriptores systematici, sed doctores populares, quorum ea est versandi ratio, ut materiam, quam tractant, uno eodemque loco non exhauriant, non ulterius prosequantur, neque alia ex parte spectent, quam postulat proxima orationis occasio, nec studeant terminis ad scholae praecepta exacte compositis, satis confisi, quemlibet dicta sic limitaturum aut extensurum, et in genere ita intellecturum esse, ut sanitas sensus, sermonis occasio et alias sive scripto, sive viva voce tradita postulant, et series orationis admittit. — Loca parallela

5. *aliorum etiam hermeneuticae subsidiorum rectum adjuvant usum,* uti *a) contextus,* v. g. Joann. 1, 9. ἐρχόμενος ad φῶς, non ad ἄνθρωπον referendum esse, conjungendumque cum ἦν, colligitur non tantum e contextu remotiori v. 10., sed confirmatur etiam e locis parallelis Joann. 3, 19. 9, 39. 11, 27. 12, 46. 16, 28. 18, 37., quibus locis verbum ἔρχεσθαι non solum de nativitate, sed et de

---

*) *a)* Ut sacrificium pro nobis offerendo nos Deo reconciliaret, Hebr. 7, 26. 27. 9. 28. 10, 14.; *b)* ut confirmaret suam doctrinam et missionem divinam, Mt. 26, 63. 64. Jo. 18, 37. Mr. 15, 2. I. Tim. 6, 13; *c)* ut nobis perfectum constantiae et patientiae exemplum relinqueret, I. Petr. 2, 21.; *d)* ut per hoc sacrificium solenniter demonstraret, sacrificia V. F. esse abrogata, Hebr. 7, 12. Eph. 2, 13—16.; *e)* ut summam erga genus humanum tum suam, tum Patris charitatem ostenderet, Jo. 3, 16. Rom. 8, 32. I. Jo. 4, 10.

publico Jesu inter homines prodilu adhibetur. Praecipue vero locis parallelis illustrantur contextus historicus et variae ejus species, et hinc inde saltem opticus, coll. §. 57. 58.; *b) occasionis;* v. g. s. Marcus 1, 7. dicit: „Docuit Joannes hunc in modum: Venit fortior me post me, cujus non sum dignus procumbens solvere corrigiam calceamentorum ejus;“ v. 8. sic pergit: „Ego quidem baptizavi vos aqua, ille vero baptizabit vos Spiritu s.“ Ex Jo. 1, 19. discimus, a Judaeis sacerdotum ac levitarum quosdam ablegatos esse ad Joannem interrogaturos, utrum ipse esset Messias, an alius expectandus? et responsum Baptistae legimus Mr. 1, 7. Cum autem legati instarent dicentes: Cur ergo baptizas? reposuit ea, quae s. Marcus 1, 8. refert. Hic Evangelista h. l., ut saepe alias, brevitatis studiosus responsum Joannis B. praetermissis legatorum quaestionibus retulit. Cfr. Luc. 3, 15.; porro Luc. 3, 7. cum Mt. 3, 7.; Mt. 24, 45. seqq. cum Luc. 12, 41.; *c) materiae substratae,* uti coll. Mt. 8, 28. seqq. cum Mr. 5, 2—10. et Luc. 8, 27—31. *d) consilii loquentis,* v. g. coll. Mt. 12, 38. cum Luc. 11, 16. — Denique e locis parallelis nonnunquam etiam determinatur

6. utrum loquens e suâ, an ex aliorum sententiâ dixerit. Si nimirum loquens non obstante tum auditorum, tum occasionis diversitate eandem sententiam constanter profitetur, e suâ persuasione dixisse censendus est, quia non intelligitur, cur auditorio mutato non mutasset sententiam propriae menti adversam. Si autem quis de eâdem re coram diversis auditoribus diverse loquitur, fundata adest supicio, eum vel priori vel altera vice non e sua, sed ex aliorum sententia verba fecisse. Cfr. v. g. Christi loquendi et agendi rationem de et cum daemoniacis.

§. 64.

Quomodo loca parallela inveniantur?

In inveniendis locis parallelis, quorum copiosa interpreti praesto esse debet notitia, maximo subsidio sunt:

1. *Concordantiae biblicae,* i. e. libri, qui s. Scripturae loca exhibent, in quibus voces et formulae eaedem occurrunt, ita ut uno obtutu cognosci et expendi possint *).

2. *Lexica biblica tum verbalia **), tum realia ***).*

3. *Libri, qui doctrinam tum dogmaticam, tum moralem tractant, quique ad dogmata tum theoretica, tum practica comprobanda singula fere utriusque foederis loca, nec non ss. Patrum unanimium et conciliorum generalium effata prosequuntur, et ideo maximo cum fructu ab interprete consuluntur †).* — Nec spernenda sunt, quae

*) Concordantias praecipuas enumeravimus §§. 47. 50. 53.

**) Cfr. §. 49.

***) Inter lexica bibl. realia eminet illud Hetzelii, aliud Gerae a pluribus congestum, item Wineri, cujus tertia editio prodiit Lips. 1847. 48. II. tomi 8.

†) Ob aptum textuum horum biblicorum selectum praecipue commendari merentur: Praelectiones theologicae Joannis Perrone.

4. commentatores biblici hunc in finem suppeditant. — Ast cum nominata subsidia partim non cuique et semper praesto, partim, ut alia opera humana, non omnibus numeris adeo absoluta sint, ut posteriorum curis nullum amplius reliquissent laborem: ab interprete adjungenda est

5. propria ss. librorum lectio, quam vocant cursoriam. Lectio vero haec *a)* eum in finem instituatur, ut argumentum non tantum singulorum librorum, sed etiam singulorum locorum interpres sibi familiare reddat; *b)* ita decurrat, ut interpres non quavis difficultate expedienda detineatur, sed eas ipsas tantum detegere conetur, quas, ne oblivioni denuo tradantur, chartae mandet, videatque, num forte inveniat loca, quae hujusmodi difficultatibus lucem affundant, id quod ob maximam librorum biblicorum affinitatem frequenter contingit.

§. 65.

Cautelae in locorum parallelorum usu adhibendae.

In usu locorum parallelorum maxime cavendum est:

1. Ne loca parallela habeantur, quae talia non sunt. Probe nimirum distinguenda sunt a locis parallelis similia, quae non obstante plurium adjunctorum similitudine, aut assertionum congruitate in pluribus tamen partibus specifice differunt, et proin aequiparata non possunt non efficere, ut falsa enascatur interpretatio, vel diversi scriptores sibi repugnare videantur. Sic v. g. probe distinguenda est unctio Jesu a muliere peracta, quae erat in civitate peccatrix coll. Luc. 7, 37. seqq., ab unctione Mariae, sororis Lazari, quae Jo. 12, 1—8. refertur, cum non modo diversitas temporis ac loci, sed etiam personarum ac plurium adjunctorum essentialium adsit. Idem valet de parabola Mt. 25, 14—30. et Luc. 19, 12—27. Quod in specie vocabulorum ac formularum, porro proverbiorum collationem attinet, in hac non tantum formae vocum ac constructionis, sed etiam contextus ratio habenda est, videndumque, num haec omnia eadem sint, nec ne; etenim quaevis essentialis disparitas hac in re obtinens loci paralleli notionem tollit. Erraret ergo, qui v. g. vocem πίστις Rom. 3, 28. idem significare crederet, quod Jac. 2, 14. seqq.; vel qui vocabulum ζύμη Mt. 13, 33. 16, 8. I. Cor. 5, 6. et Gal. 5, 9., aut proverbium: Non est discipulus super magistrum Luc. 6, 40. Mt. 10, 24. Jo. 15, 20. et 13, 16. idem denotare putaret, cum diversissimus sit in his locis contextus.

2. Ne locis parallelis plus tribuatur, quam quod eis revera inest. Hanc cautelam negligunt, qui cuidam loco cetera sic subordinant, ut hisce nullum alium sensum inesse statuant, quam qui jam priori illo, baseos instar posito continetur. Sic v. g. in diversis locis, quae de via ad salutem aeternam ducente agunt, jam fides postulatur, jam obedientia mandatis Christi praestanda urgetur, jam satisfactio Christi vicaria et gratia divina necessaria dicitur: id solum sequitur, haec omnia ad vitam aeternam consequendam esse necessaria, ss. scriptores autem pro varia occasione et pro consilio suo

iverso jam hanc, jam illam conditionem commemorasse, quin reliaas excluderent, aut sibi contradicerent, coll. §. 63. nro. 4. Si vero ociniani loca, quae de reliquis conditionibus agunt, vi torquent ad a s. Scripturae effata, quae obedientiam, mandatis Christi praestim, consequendae felicitatis aeternae viam declarant, manifeste cis parallelis justo plus tribuunt, et violenta hacce s. Scripturae actatione contra naturam styli popularis peccant.

3. *Ne locum clariorem ex obscuriori explicare coneris*, quod leo ex ipsa rei natura patet, ut monitum hac de re superfluum ret, nisi saepius jam contigisset, et vel hodie adhuc contingeret, locus hermeneutice clarior ex opinionibus praeconceptis obscurior ibeatur. Hermeneutice vero clarus est locus, qui ad usum loquendi, ationis nexum et loquentis conditionem exactus nonnisi unum adittit sensum *).

4. *Ne locus parallelus alterius scriptoris sacri praeferatur 'i ejusdem auctoris, nisi hic fors clarior est;* nam nemo non sui sius optimus est interpres.

§. 66.

De locis pugnantibus.

Ubi loca de eadem re agentia sibi non sat respondere videnr, ante omnia sedulo inquirendum, num vera adsit pugna, an ntum adparens. Vera autem nonnisi tum adest pugna, si divers in locis a) revera contraria dicuntur, b) de eâdem re, et quidem eâdem ex parte spectatâ. Ubi autem vel α) contraria non sunt, ae de eâdem re, eâdem ex parte spectata dicuntur; vel si β) ntraria sunt, ad diversas, non vero ad unam eandemque rem rtinent; vel denique ubi γ) de eâdem quidem re, attamen e divers partibus spectatâ contraria asseruntur, apparens tantum est igna. Sic si Mariae Magdalenae Jo. 20, 11—17. longe alia, quam teris mulieribus Mt. 28, 5—10. in adparitione Jesu redivivi conisse leguntur, haec enantiophania nonnisi apparens est, quia non eâdem, sed de diversis rebus diversa asseruntur. Eodem modo m s. Paulus dicit, fide, non operibus hominem justificari, s. Jabus autem fidem sine operibus mortuam esse asserit: tantum aprens est pugna; quivis enim eorum per fidem et opera longe aliud id intelligit, s. Paulus nimirum per fidem Christianismum aut inlem ei similem, per opera judaicum legalitatis studium; s. Jacos vero per fidem merum intellectus assensum, doctrinae christiae praestitum, et per opera vitam, praeceptis christianis conformem *Tale jam severum de pugnae qualitate examen omnino stulat:*

a) Aequitas, imo justitia, scriptoribus, praecipue antiquis, bita; fieri namque facile potest, ut interpreti loca diversorum

---

*) Cfr. v. g. Gen. 2, 17. cum 3, 3. et Dr. Pabst: Adam und Christus pag. 45. seqq.

scriptorum vel ejusdem quoque auctoris adpareant vere pugnantia, quae tamen omnibus rite perpensis revera sibi non repugnare inveniuntur; injuriâ igitur afficeret hoc in casu interpres scriptores quoscunque, si severiori examine locorum ejusmodi neglecto statim, veram adesse antilogiam, pronuntiaret, et hac ratione alterutrum vel utrumque scriptorem aut ignorantiae aut laesae fidei argueret; imo sedulam ejusmodi indagationem interpreti injungit

b) ipse quoque interpretationis finis; certe enim ne sensum quidem hujus alteriusve loci assecutus esse dici posset, si enantioses apparentes aut penitus negligeret, aut verarum pugnarum instar spectaret.

Ubi autem omnibus rite perpensis vera deprehenditur pugna, ad interpretem qua talem res haec in libris profanis proprie non attinet; ejus enim est intelligere et indicare, quid loquens cogitaverit senseritque, minime autem, verane sint, an falsa loquentis dicta, examinare ac definire, quis inter duos vel plures sibi contradicentes sit potior habendus. — Verum in ss. literis interpres catholicus, utpote de inspiratione illarum persuasus, nullam veram concedit pugnam, et si talis deprehenditur inter scriptorem sacrum ac profanum, ex qua parte stet veritas, dubius nequaquam haerebit. Quare si de pugnis in s. Scriptura est sermo, distinguendum, num tales statuantur inter ipsos sacros scriptores, an inter sacrum ac profanum auctorem. Hinc quaeritur

§. 67.

Quid sit interpretis s. Scripturae respectu pugnarum.

Ratione habita pugnarum

A. apparentium inter ss. auctores: Quum interpres catholicus veram inter ss. scriptores concedere nequeat contradictionem, ejus est respectu adparentium in s. Scriptura pugnarum, detegere et obstruere fontes, unde pugnae oritur species. Sunt vero fontes hi vel mendum textus, vel vitium interpretationis, vel erroneum interpretis in locorum comparatione judicium. Hinc interpres

1. sollicite indaget in integritatem textus, et ubi corruptionis fundata adest suspicio, eundem pristinae puritati suae restituere conetur. Sufficiens vero corrupti textus fundamentum non modo tum habetur, si luculenta testimonia adsunt, quae textum alicujus arguant vitii, i. e. si varii codices, versiones variae, Patres diversi lectiones exhibent diversas; sed etiam, si ex internis argumentis criticis ejusmodi quid assumere cogimur, sique tales rationes reperiuntur, e quibus omnis varietatis et corruptionis patet origo. Praecipue in numeris, in quibus describendis librarii, similitudine literarum numeralium seducti, et facillime et saepissime errarunt, non anxie verebitur interpres errores concedere, et sic locum affectum liberare a pugna. — Sic ex magna discrepantia, quae in Genesi in determinandis vitae annis patriarcharum inter textum hebr., versionem Sept., samaritanam et Josephum Fl. invenitur, abunde patet, diversas

lectiones variantes jam antiquis temporibus exstitisse. Eâdem sententiâ admissâ etiam dissensiones quaedam inter Chronicorum, Samuelis et Regum libros feliciter tolluntur, aut saltem detegitur, unum alterumve locum esse vitiatum, quod vitium, etiamsi ob adminiculorum defectum emendari amplius non possit, saltem, veram non adesse pugnam, ostendit. Sic v. g. I. Reg. 4, 26. Salomo habuisse diciter 40.000 praesepiorum pro equis vehiculorum suorum, et II. Chron. 9, 25. 4000. Alterutra igitur harum lectionum aperte est mendosa; verosimiliter litera מ = 40 cum ד = 4 a librario permutata est. I. Reg. 6, 1. in versione Septuaginta 440, in codicibus autem hebraicis exstantibus et in reliquis translationibus antiquis 480 anni elapsi esse leguntur ab exitu ex Aegypto usque ad templi Salomonis aedificationem; ast neutram harum lectionum veram, sed utramque potius ex conjectura ortam esse, docet jam diversitas in utroque textu, nec non error manifestus; nam juxta temporis computum in libro Judicum obvium judices soli ultra 500 annorum spatium expleverunt; porro Act. 13, 20. (text. gr.) s. Paulus post Palaestinae occupationem usque ad Samuelem prophetam annos circiter 450 numerat, quocum et Jos. Flavius consentit, qui Ant. 8, 3, 1. a tempore exitus ex Aegypto usque ad templum extructum 592 annorum numerum determinat. — Si vero textus corruptionis argui nequit, videat interpres:

2. *An non ipse in interpretatione unius vel alterius vel ultriusque erraverit loci. Errasset vero a) terminos loquentis vel ad angustiorem, quam oportebat, potestatem restringendo, vel latiori, quam licebat, significatu accipiendo; b) nexum dictorum falsum constituendo; c) si, quae comparative aut hypothetice prolata sunt, absolute dicta spectasset; d) si ea, quae quis ex aliorum effatus est sententiâ, ceu e propria loquentis persuasione ennunciata repraesentasset*, et hujus generis alia. Cfr. v. g. ad *a)* Jo. 1, 33. 34. cum Mt. 3, 14.; Mt. 14, 37. et Mr. 6, 51. cum Jo. 6, 21 (ἤθελον λαβεῖν); Gal. 1, 12. cum Hebr. 2, 3.; ad *b)* Luc. 5, 12. cum Mt. 8, 1. 2.; Mt. 9, 9. seqq. cum Mr. 2, 13. seqq. et Luc. 5, 27. seqq.; ad *c)* Mt. 19, 24. cum Mr. 10, 24.; Luc. 14, 26. cum Mt. 10, 37.; ad *d)* Jo. 1, 21. cum Mt. 11, 9. Probe denique attendat

3. *An non orta sit antilogia ex erroneo judicio suo, in collatione diversorum locorum adhibito.* Ejusmodi errorem in judicio committeret:

a) Si contraria declararet, quae tamen revera talia non sunt, quo praecipue pertinet:

α) silentium unius scriptoris, et positiva narratio alterius, quae saltem contraria esse non debent, veluti dum s. Matthaeus de Magorum adventu, de fuga Josephi cum Jesu et Maria in Aegyptum; de infanticidio bethlehemitico et aliis, s. Paulus Gal. 1, 17. de itinere suo Damasco in Arabiam facto, II. Cor. 11, 27. de trino suo naufragio narrat, s. Lucas vero silet;

β) discrepantia in modo narrandi, quae sola nunquam diversitas in re ipsa habenda est, e qua observatione neglectâ innumerae pugnae inter ss. scriptores praetensae ortum habuerunt. Quotiescun-

que v. g. hic istud, alter aliud nomen ejusdem personae usurpat (Mt. 9, 9. Mr. 2, 14. Luc. 5, 27.); quoties alter ab hoc, alter ab alio temporis termino progreditur (Mt. 17, 1. et Mr. 9, 1. coll. cum Luc. 9, 28.; Mr. 15, 34. coll. cum Jo. 19, 14.; Luc. 4, 25. et Jac. 5, 17. coll. cum I. Reg. 17, 1. 18, 1.); Mt. 26, 17. Mr. 14, 12. et Luc. 22, 7. coll. cum Jo. 13, 1. 18, 28. 19, 14. 31.); alter certis ac definitis, alter vero rotundis numeris utitur (Gen. 15, 13. et Act. 7, 6. coll. cum Exod. 12, 40.); alter breviter et minus accurate, fusius curatiusque alter rem pertractat (Mt. 8, 5—13. coll. cum Luc. 7, 1—10.; Mt. 26, 8. 9. et Mr. 14, 4. 5. coll. Jo. 12, 4—6.); alter ipsa loquentis verba, alter nonnisi sensum eorum adfert (Mt. 26, 26. 28. et Mr. 14, 22. 24. coll. cum Luc. 22, 19. 20. et I. Cor. 11, 23—25.); alter hunc, alter alium factorum ordinem servat (Mt. 26, 1. 6. seqq. et Mr. 14, 1. 3. seqq. coll. cum Jo. 12, 1. seqq.); alius quaedam adjuncta historica vel ad facti essentiam minus necessaria, aut lectoribus aliunde cognita omittit, quae alius commemorat (Mt. 9. 20—23. coll. cum Mr. 5, 25—30. et. Luc. 8, 43—49.; Mt. 27, 16. 57. coll. cum Mr. 15, 7. 43. et Luc. 23, 25. 50. 51.): toties fere de pugna conclamabatur, cum tamen omnes hae varietates circa modum narrandi versantes de una eâdemque re absque omni pugna locum habere possint.

b) Si diversa dicta aut facta confunderet, quae si dissentiunt, mirum non est, quia secus non forent diversa; e. g. sanatio a Jesu effecta coll. Mt. 8, 5, seqq. et Jo. 4, 46. seqq.; templi purgatio a s. Joanne 2, 13. seqq. et a s. Mt. 21, 12 seqq. et in loc. parall. narrata.

c) Si perperam supponeret, diversis in locis, ubi de eadem re sermo est, rem hanc eâdem quoque ex parte esse spectatam; potest enim res e diversis respici partibus, ita ut de eâ, unâ ex parte spectatâ, aliquid recte asseratur, quod de eâdem, alterâ ex parte consideratâ, vel negare, vel plane cum contrario permutare licet, quin vera adsit pugna. Sic de conversione s. Pauli legimus Act. 9, 7. „Viri autem, qui comitabantur cum eo, *stabant* stupefacti, *audientes* quidem *vocem*, neminem autem videntes;“ 22, 9. „Et qui mecum erant, lumen quidem viderunt, *vocem autem non audierunt ejus*, qui loquebatur mecum;“ et 26, 14. „*Omnesque nos cum cecidissemus in terram, audivi vocem* loquentem mihi hebraicâ linguâ.“ Si in primo loco comites Sauli stetisse, in tertio autem simul cum eo in terram cecidisse leguntur, vera pugna non adest; nam in hoc loco respicitur ad initium phaenomeni coelestis, quo omnes lumine extraordinario perculsi in terram prociderunt; in illo autem ratio habetur temporis, quo Christus loquebatur ad Saulum humi adhuc prostratum, dum comites ejus primo terrore excusso jam stabant. Praeterea 9, 7. per vocem, quam audivisse dicuntur comites, intelligendus est sonitus similis illi, de quo Act. 2, 2. legimus; per vocem autem, quam 22, 9. et 26, 14. non audivisse traduntur, intelligenda sunt verba articulata Christi ad Saulum directa, quae in praecedentibus referuntur. Ita etiam Luc. 22, 20 et I. Cor. 11, 24. 25. Christus respiciendo ad incruentum N. F. sacrificium, quod in ultima coena

instituit, et primâ vice pro solis praesentibus i. e. Apostolis obtulit, recte dixit: τὸ ὑπὲρ ὑμῶν ἐκχυνόμενον, illius autem repetitionem pro aliis quoque futuram speciatim praecepit verbis a ss. Luca et Paulo adnotatis: „Hoc facite in meam commemorationem"; ast s. Matthaeus 26, 28. et s. Marcus 14, 24. nonnisi sensum verborum Christi adferentes, et tum primam tum repetendam illius sacrificii celebrationem respicientes, bene sistunt Dominum dicentem: τὸ περὶ πολλῶν ἐκχυνόμενον. Cfr. Jo. 3, 17. cum 9, 39. — *Quod in specie Christum attinet, alia s. Scripturae loca ei divinam naturam aperte vindicant; alia solum Patrem Deum esse edicunt; alia Christo talia tribuunt, quae Deo non convenire videntur. Ad hasce pugnas apparentes removendas sequentia principia probe tenenda sunt:*

α) *Christus non solum Deus est ab aeterno* (Jo. 1, 1. seqq.), *sed et homo factus in plenitudine temporis* (Jo. 1, 14. Gal. 4, 4.), *et „sicut anima rationalis et caro unus est homo: ita Deus et homo unus est Christus"* (Symb. Athan); *ex intima igitur utriusque naturae in una persona conjunctione fit, ut de eo mox divina, mox humana praedicata enuntientur.* Sic v. g. Filius hominis Davidis tum filius, tum dominus est coll. Mt. 22, 41. seqq.; porro Christus dicere potuit Jo. 8, 58.: „Antequam Abraham fieret, ego sum"; ibid 10, 30.: „Ego et Pater unum sumus"; 14, 9.: „Qui videt me, videt et Patrem"; nam aeterna et temporalia, visibilia et invisibilia in eo hypostatice erant unita. Praeterea idem, qui dixit Jo. 2, 19.: „Destruite templum hoc, et in tribus diebus excitabo illud"; 5, 26.: „Sicut Pater habet vitam in semet ipso, sic dedit et Filio habere vitam in semet ipso"; 17, 5.: „Et nunc clarifica me tu, Pater, apud temet ipsum claritate, quam habui, priusquam mundus esset, apud te"; idem, inquam, recte professus est Mr. 13, 32.: „De die autem illa vel hora nemo scit, neque angeli in coelo, neque Filius, nisi Pater"; etenim licet Christus qua homo consideratus inde ab evigilante sui ipsius conscientia (Selbstbewusstsein) nullo vitae suae momento nescire posset, se cum λόγῳ ab origine conceptionis et inseparabiliter unitum esse: tamen scientia ejus cum omniscientia τοῦ λόγου non erat identica; sed ea tantum divinitus sibi communicata sciebat, quae hominibus ad salutem scitu necessaria erant revelanda coll. Jo. 12, 49. 50 *).

β) *Pater non semper commemoratur in relatione ad Filium, sed etiam Deus Triunus Pater appellatur relate aut ad gentilium idola, aut ad creaturas quascunque, quo in casu Deus exclusive dici potest ac debet Pater, quia sermo est de divina essentia, de unitate Dei, non de persona Patris,* v. g. Mr. 13, 32. Jo. 17, 3. I. Cor. 8, 6. Eph. 4, 6.

γ) *Cum vi generationis aeternae Filii ex Patre hic principium aeternum sit illius: Christus suam non tantum voluntatis conformitatem, sed etiam essentiae unitatem cum Patre significaturus omnia sua ad Patrem refert* coll. Joann. 5, 19. seqq. 17, 10.; hinc ut Mt.

---

*) Cfr. Dr. Ant. Günther: Vorschule zur spec. Theologie. II. verm. Aufl. Wien 1848. 2. Thl. pag. 291. seqq.

20, 23. innueret, in praemiorum distributione propensioni suae humanae, ut petentes sperabant, non esse locum, sed a benigna Dei justissimi dispositione omnia et hoc respectu dependere, recte edixit: „Sedere ad dexteram meam vel sinistram non est meum dare (vobis), sed quibus paratum est a Patre meo."

Quodsi observatis hisce regulis omnis pugnarum, quae in medium proferuntur, e ss. literis evanescit caterva, tantum abest, ut disciplina nostra partium studii suspecta reddatur, quum, quae ceu vitiosa notavimus, veri nominis vitia esse, negari nequeat; ut potius illas vel in odium ss. literarum, vel ad commendandas ingeniosas hypotheses, inprimis ad impugnandam ss. librorum authentiam et axiopistiam, et recentissimâ aetate, ad mythologorum somnia stabilienda ab adversariis congestas esse, haud temere asseratur *).

Respectu pugnarum

B) qualiumcunque sacrum inter et profanum auctorem interpreti eodem modo procedendum; nam et hic antilogia, quae v. in corruptione textus, v. in vitio interpretationis, v. in erroneo interpretis loca conferentis judicio residet, perperam ipsis auctoribus obtruderetur (v. g. Act. 5, 36. 37. coll. cum Jos. Flav. Ant. 20, 5, 1. et 18, 1. 1.); *quae vero manet enantiosis, quin sive textus, sive interpretatio, sive judicium interpretis vitii argui possit, vera est pugna, cujus tamen causa tribuenda est scriptori profano, qui et falli et fallere potuit, hinc, utcunque sit eruditus ac circumspectus, nequaquam expers est omnis omnino erroris, idque eo minus,* si, ut v. g. Tacitus, *in Judaeos et Christianos inimico fertur animo, ideoque in pugna cum auctore sacro, si talis unquam detegeretur, huic victoriae palma cedat, aportet.* Sic v. g, dum Josephus Fl. Ant. 18, 5. 2. dicit, Joannem B. homines docuisse, Deo ita acceptum fore baptismum, quum eo non ad expiationem criminum uterentur, sed ad corporis munditiem, utpote mentibus jam per justitiam purificatis: omnino repugnat Evangelistis narrantibus, Joannem poenitentiam et baptismum poenitentiae in remissionem peccatorum praedicasse Mt. 3, 1. Mr. 1, 4. Luc. 3, 3.; ast Josephum non in eo nexu positum cum Joanne, ut Apostoli et Evangelistae, errare potuisse et revera errasse, prudens quisque facile concedet.

*) Memoratu digna sunt loca jam superius sub litera *c)* laudata Act. 9, 7. 22, 9. et 26, 14., quibus addi potest Act. 9, 30. coll. cum 22, 17—21. Licet loca haec de iisdem rebus agentia in pluribus adjunctis non consentire videantur, tamen, cum ejusdem sint auctoris sacri, nemo prudens ea vere sibi repugnantia esse contendit, siquidem s. Lucam scriptorem adeo ineptum declarare. ut prius a se dictorum prorsus oblitus esset, nimis absurda foret criminatio (hinc Tantalus a labris sitiens fugientia captat flumina). Quodsi vero loca haec diversis deberentur auctoribus, de pugnis solvi nesciis jam diu plenis buccinis conclamassent, qui antilogias in ss. litteris ex professo captant, neque manifestissimis, quae ipsis sacris libris insunt, indiciis sapere discunt. — „Eine Kritik, die sich daran erlabt, allenthalben Widersprüche zu finden, muss sich selbst in Widersprüchen verwickeln und verzehren, nach dem jus talionis, das auch auf diesem Gebiete jederzeit seinem Amte der Rache wachsam vorsteht." Theodos. Harnach in op. Jesus der Christ, pag. 2. nota.

Sectio III.

De sensu inveniendo per conditionem loquentis.

§. 68.

Persona loquentis interpreti nota sit, oportet, et unde haec cognoscatur?

Juxta supremum hermeneuticae principium praeter usum loquendi et orationis contextum etiam conditio loquentis tam interna, quam externa interpreti est respicienda, quia inde demum plena dependet sensus cognitio, uti per decursum hujus sectionis patebit. Ut vero conditionis hujus debita haberi possit cognitio et ratio, scire necessarium est:

*1. Quisnam sit loquens? Hac in re generatim sequens regula tenenda est: Loquentem ipsum auctorem libri tamdiu habeas, quamdiu contrarium non certo constat *). — Auctorem vero libri non esse loquentem, indubium est:*

a) Si ille ipse diserte alium loquentem inducit, prouti hoc in sacris libris, et praecipue in Evangeliis saepissime fieri solet. Quod ubi locum habet, interpretis est probe attendere, ubinam auctor ipse finitis verbis alienis filum orationis reassumat, quod facile cognoscitur, si oratio aliena claram habet clausulam, aut si sequentia apertum initium orationis vel narrationis novae prae se ferunt. Ubi vero talia indicia desunt, natura dictorum sedulo examinanda est, et ex eâdem dijudicandum, num ad alienam adhuc orationem adjicienda sint, an vero ipsi auctori ceu loquenti tribuenda. V. g. Mt. 1, 22. 23. 3, 3. Jo. 1, 15. seq.

b) Si auctor, quae prius allata erant, refutat, ubi ex ipsa hac refutatione antea dictorum colligere licet, eadem dubitationem vel objectionem, ab alio vel alius nomine motam, esse habenda, v. g. Rom. 6, 1. 15. 7, 7. 13. al.

2. Num loquens e suâ, an ex alterius sententiâ dixerit; fit enim nonnunquam, ut loquens, sive sit auctor ipse, sive alius, non e sua, sed ex alius vel aliorum persuasione aut nomine verba faciat, quo in casu proprie sententia ejus adest, cujus nomine v. e cujus persuasione loquens disserit, et proinde dictorum sensus non ad conditionem loquentis, sed illius exigendus est, cujus nomine fit sermo, v. g. Mt. 11, 2. 3. Hinc solidae regulae junctim proponendae sunt, secundum quas certo cognoscitur, ubi quis e sua, ubi ex aliorum sententia verba faciat, quod eo magis necessarium invenitur, quum non desint, qui statuant, auctores ss. librorum N. T. et Christum ipsum non tantum, quod doctori probo licet, imo et magistro sapienti necessarium est, paedagogice, moraliter, aesthetice et negative dogmatice; sed etiam, quod impium foret, positive dogmatice aliorum erroribus semet accommodasse, i. e. saepe ex aliorum falsâ senten-

---

*) Qui jam sint singulorum librorum tum V. tum N. T. auctores, introductio docet.

tiâ locutos, et proinde dictis suis non propriam ac veram doctrinam, sed aliorum commenta professos esse probasseque. Cfr. §. 120.

§. 69.

Ubi quis e sua, ubi ex aliorum sententia loqui censendus est?

Utrum quis e sua sententia dixerit, cognoscitur ex dictorum indole et ex dicendi modo. Loquens e sua, et non ex aliorum sententiâ dicere censendus est:

A. Ratione habita dictorum indolis:

1. Si sententia, quam in medium profert, a principiis alias sat clare ab eo manifestatis non tantum non dissentit, sed eis apprime conformis est; seu factâ ad libros sacros N. T. applicatione: *Si sententia, quam Christus ipse aut scriptor sacer pandit, a doctrinarum reliquarum clare propositarum summâ non solum non abludit, sed potius cum ea ex asse convenit;* nam quemvis hominem sana mente praeditum sibi constantem esse, nisi rationes sufficientes contrarium doceant, praesumi potest; Christum vero et auctores sacros sibi consequentes fuisse, evidentissimis ex rationibus statui debet.

2. Si sententia ipsa nova, et non solum novis additamentis ornata, aut in novam formam redacta est; etenim qui nova in medium profert, non potest alterius sententiam profiteri, quia secus illa non essent nova.

3. Si sententia ita comparata est, ut ipse ejus auctor aut propugnator probe cognoscat, se eâdem sibi et causae suae non tantum aliorum animos non devincturum, sed potius maximae hominum partis indignationem et odium paraturum esse; vel si talis est, e qua loquens non solum nulla commoda terrena sibi emanatura, sed potius molestias gravissimas sibi et suis oritura esse, certo praevideat; nam nonnisi firmissimae persuasioni tanta vis inesse solet, ut posthabitis omnibus terrenis sententiam quamdam constanter quis probet, et qui contrarium assereret, eum ostendere, necesse esset, ejusmodi hominem aut zelo fanatico abreptum, aut pertinaciae ac superbiae ardore obcoecatum, aut sanis sensibus destitutum sententiam quamdam probasse propriae persuasioni adversam.

B. Respectu dicendi modi: Si loquens probus atque ingenuus, qualis quilibet tamdiu censendus est, donec malus et fallax probetur,

a) materiam quamdam ex professo tractat, i. e. variis ex partibus spectatam praebet seu perlustrat, argumentis demonstrat, jurejurando aut graviori saltem asseveratione confirmat, atque ab objectionibus vindicat; nam nemo vir cordatus ac probus alienos errores hac ratione tueri ac defendere potest. Omnia itaque Jesu et Apostolorum dicta, in quibus hac ratione versantur, e propria ipsorum persuasione prolata erunt habenda.

b) Si sponte suâ, nullâ externâ occasione provocatus, non tamen per transennam quasi, sed ex professo sententiam quamdam profert; nam de placito alieno, cui assentire non potest, vir probus

necessitate nulla urgente vel silet, vel eo consilio mentionem facit, ut illud refutet aut saltem improbet.

c) Si profert sententiam non sponte quidem suâ, attamen ab ejusmodi hominibus interrogatus, quorum non minus ac sua maximi interest vera cognoscere, quia veritatis dissimulatione errori longe lateque grassanti eique nocivo aperiri portam, persuasissimum habet (Applicatio ad Jesum, Apostolos et alios homines).

d) Si de eadem re saepius disserens, et quidem coram diversi generis auditoribus sententiam suam nunquam mutat, neque nutum quemdam praebet, quo indicaret, sibi meliorem inesse persuasionem; etenim praesumere licet, loquentem, qui forte una alterave vice coram certo auditorio veram sententiam suam edicere prohibebatur, eandem auditorio mutato libere eloqui potuisse et revera elocutum esse.

Contra vero si ejusmodi principia ac praemissae a loquente clare propositae exstant, quibuscum certa sententiá conciliari nequit; si sententia ipsa ab aliis jam erat prolata aut ita comparta est, ut omnium assensum se laturum esse auctor praevidere possit; si quis tantum veluti per transennam sententiam quamdam profert; si in refutando versatur, aut κατ' ἄνθρωπον seu ex concessis disputat, quo in casu alterius persuasione, utut falsa, niti licet; si loquens dicta sua pro diversa auditorum et lectorum cogitandi sentiendique ratione in substantia variat, et quae sunt similia: loquens saltem *non debuit* e sua sententia verba proferre, et qui contrarium assereret, demonstrare id primum deberet.

Caput I.

De conditione loquentis externa.

§. 70.

Quid sit conditio loquentis externa, et quae commoda ejus cognitio interpreti praestet.

Per conditionem loquentis externam omnia intelliguntur, quae quidem extra animum loquentis sita, cum ejus cogitationibus vero animique sensis ac motibus oratione manifestatis in tali nexu posita sunt, ut haec ipsa sine illorum notitia aut plane non, aut saltem non plene ac perfecte cognosci possint. — Huc jam pertinent:

1. Aetas, patria et lingua loquentis.

Haecce interpreti nota esse debere, inde patet, quia secus multis aliis hermeneuticae adminiculis, ad sensum inveniendum maxime necessariis, plane destitueretur. Nam si ignoraret

a) Aetatem, qua loquens vel viva voce, vel scripto cogitata sensaque sua manifestavit, careret

α) perfectâ linguae, qua loquens usus est, cognitione, quia mutationum, per decursum temporis factarum, rationem habere non

posset, et proinde aetati loquentis facile tribueret ea, quae ad aliud pertinent aevum. Etsi enim linguae per plura saecula in substantia eaedem manere possunt et revera manent, in accidentalibus tamen mutationes subire solent diversas, nequaquam negligendas; *destitueretur*

β) certâ conditionis biblicarum tum rerum, tum personarum notitiâ, quam tamen interpreti necessariam esse, serius demonstrabimus; nam quaelibet aetas circa talia sibi peculiaria habere solet.

b) Patriam loquentis seu regionem, in qua educatus est et vixit, interpreti notam esse oportet iisdem fere ex causis; nam quaevis regio respectu tam linguae, quam rerum ac personarum quaedam propria habet. — *Denique cognitum esse debere interpreti*

c) qua lingua usus sit loquens, inde patescit, quia secus versionem pro originali habere posset, et ita certitudine illâ destitueretur, quam textus originalis prae versione praebet, cum, ut verbis s. Hieronymi utamur, „multo purior manare credenda sit fontis unda, quam rivi“ *).

2. *Fata factaque loquentis. Non raro loquens ad fata factaque sua ita alludit, ut neque cur hoc et non alio modo, neque quid dicat, facile intelligi possit, nisi illa plene sint cognita.* Sic v. g. non facile intelliget quis sensum verborum s. Pauli ad Gal. 1, 1., ubi se Apostolum per Christum vocatum appellat, nisi ei cognita fuerint, quae Saulo evenisse narrantur Act. 9, 1—16. Neque, cur Apostolus hic eodem loco adeo sollicitus sit de auctoritate sua apostolica tuenda, absque difficultate perspiciet, cui ignotum est, auctoritatem hanc ejus per judaizantes Christianos apud Galatas esse diminutam. Cfr. II. Petri 1, 17. 18. cum Mt. 17, 1—13.

3. *Gestus et pronuntiationis tonus. Uterque cum orationis sensu ita cohaeret, ut, experientiâ quotidianâ testante, illo cognito plerumque evanescat obscuritas tollaturque ambiguitas, et in specie intelligatur, proprie an topice, serio an ironice, severius an mitius dicta accipienda sint, num in affectu et in quali animi dispositione dixerit loquens.* Si v. g. ponamus, Jesum, dum diceret Joann. 2, 19. „Destruite templum hoc“ etc., digito monstrasse in corpus suum; cum responderet Pilato 19, 11.: „Non haberes potestatem adversum me ullam, nisi tibi datum esset desuper,“ oculos elevasse in coelum; item eum suavi tono protulisse verba Jo. 2, 4. „Quid mihi et tibi, mulier?“ nemini dubium erit, priora verba tropice de morte ejus et resurrectione intelligenda, vocem ἄνωθεν in altero loco de coelo seu Deo adhibitam, dictum vero tertium ab omni immodestia aut inurbanitate alienum esse.

4. *Indoles rerum biblicarum. Quum homines in s. Scriptura loquentes de aetatis ac patriae suae rebus saepius obiter tantum sermonem faciant, vel ad eas alludant, vel ab iis imagines aut dicendi occasionem repetant: ad ejusmodi loca rite intelligenda, inprimis ad dicendi modum rationemque perspiciendam, uberiorem rerum istarum requiri cognitionem, dubium esse nequit, idque eo*

---

*) Adv. Helvidium.

minus, quia in ss. libris mentio fit rerum, quae apud nos aut plane non, aut alio modo existunt. Sic v. g. cui structura aedificiorum orientalium, et in specie Hebraeorum non aliunde cognita est, parum proficiet in explicandis locis Psalm. 128, 6. 7. Mt. 10, 28. 24, 17. Mr. 2, 4. Similiter qui ignorat, quaenam et quales res intelligantur per *κρίσιν*, *συνέδριον* et *γέενναν*, per *ἐγκαίνια* et *τὴν νηστείαν*, neque sensum, nec vim capiet locorum Mt. 5, 22. Jo. 10, 22. 23. Act. 27, 9. Cfr. Mt. 10, 15. Mr. 2, 26. 13, 1. Luc. 11, 29. Jo. 2, 20. Act. 25, 10—12. (Caesarem appello).

5. *Conditio tam interna, quam externa personarum, ad quas et de quibus fit sermo. Huc vero inprimis referenda sunt cogitandi sentiendique ratio, praejudicia, character moralis, mores ac consuetudines, fata factaque illarum personarum. De hisce idem et iisdem ex causis valet, quod de rebus biblicis observavimus; nam etiam quoad conditionem tam internam, quam externam personarum diversae aetates, regiones diversae imo et diversi homines multum ab invicem differunt; praeterea loquentes in ss. literis ejusmodi personarum adjuncta non raro tantum attingunt, vel obiter commemorant, vel ab illis occasionem et motiva dicendi ipsiusque loquendi modi desumunt.* Sic v. g. verba Act. 24, 25.: „Disputante autem Paulo de justitia et castitate et de judicio futuro tremefactus Felix respondit: Quod nunc attinet, vade, tempore autem opportuno accersam te," non intelliget interpres, neque sciet, cur Apostolus de his ipsis virtutibus nominatis locutus sit, nisi ex historia cognitum habuerit characterem Felicis, vitiis praecipue talibus dediti, qui virtutibus laudatis adversantur. Rationem eorum, quae Mt. 2, 22. de Josepho narrantur, reddere non poterit, qui characterem Archelai ignorat. Vim verborum Lucae 1, 17. non perspiceret, cui ignotum esset, qualis, quo spiritu et qua virtute praeditus fuerit Elias. Ratio plurium, quae in ultima coena fecisse legitur Christus Mt. 26, 26—30. et in locis parall., ignota foret, si modus Judaeorum coenam paschalem celebrandi nos lateret. Idem etiam de historia passionis Domini et de pluribus aliis valet.

§. 71.

De fontibus, e quibus conditionis externae loquentis haurienda sit cognitio.

Cognoscuntur

1. *Aetas, patria et lingua loquentis ex introductione in ss. utriusque Foederis libros.*

2. *Fata factaque loquentis:*

a) ex aperta eorum descriptione in ss. libris obviâ, qualis v. g. in Evangeliis et in Act. App. respectu Jesu et Apostolorum invenitur;

b) e fide digna antiquorum scriptorum relatione, v. g. ratione habitâ populi judaici e Josepho Flavio, intuitu Apostolorum e Patribus et scriptoribus eccl. antiquis; denique

c) per ipsum lectoris ss. literarum sanum et subtile judicium, cujus ope v. g. ex I. et II. s. Pauli ad Corinthios et illâ ad Galatas epistola haud difficulter cognoscet, in utraque ecclesia fuisse homines, qui auctoritati Apostoli detraherent.

3. *Gestus et pronuntiationis tonus:*

α) ex ipsorum ss. scriptorum manifestatione, veluti, quod gestum attinet, Mt. 12, 49. 26, 65. 27, 29. Luc. 4, 16. 20. 5, 8. Act. 13, 16.; quoad pronuntiationis tonum: Mt. 27, 46. Jo. 19, 15.;

β) e contextu. Sic v. g. ob sequentia recte statuitur, Joannem B. manu in Jesum extensâ protulisse verba Jo. 1, 36. „Ecce agnus Dei,“ et Christum ibid. 2, 19. dicentem: „Destruite templum hoc“ digito monstrasse in corpus suum; ibid. 19, 11. Pilato respondentem: „Non haberes potestatem adversum me ullam, nisi tibi datum esset desuper,“ oculos in coelum elevasse; suavi tono dixisse ad matrem Jo. 2, 4. „Quid mihi et tibi mulier?“ Cfr. 1, 37. 2, 21. 22. 19, 12. 2, 5. Attamen probe cavendum, ne hac in re sine ratione sufficiente quid statuatur; nam sicuti haec solidis ex rationibus supposita ad verum sensum inveniendum interpretem ducunt, ita temere praesumta eum a vero sensu necessario abducunt. Sic v. g. erraret, qui Is. 7, 14. supponeret, prophetam in praesentem quamdam puellam digito monstrasse, cum diceret: „Ecce virgo concipiet“ etc.;

γ) e charactere morali loquentis, v. g. Jo. 2, 4.;

δ) e rationibus psychologicis, e quibus v. g. statuere licet, Jesum elevatis in coelum oculis orasse.

4. *Indoles rerum biblicarum cognoscitur ex archaeologia *).*

5. *Conditio personarum biblicarum ex iisdem fontibus determinatur, e quibus conditio loquentis hauritur, et quos suo loco indicabimus.*

Caput II.

De conditione loquentis interna.

§. 72.

Quid est interna loquentis conditio?

Per conditionem loquentis internam omnia intelliguntur, quae in ipso animo loquentis sita adeo in orationem ejus influunt, ut ex illis pendeat dictorum ratio et perfectionis gradus, nec non dicendi modus.

Ex hac definitione jam patet, notitiam ac rationem horum interpreti necessariam esse, quia secus sensum nunquam assequi, nunquam

---

*) Cfr.: Zur Bibel. Naturhistorische, anthropologische und medicinische Fragmente von J. B. Friedreich. II Theile. Nürnberg 1848.

scire posset, quare haec dixerit loquens, quomodo intelligi voluerit, et cur hoc, neque alio modo verba fecerit.

Huc vero referimus: Consilium loquentis, dein animi ejus affectionem et characterem, denique culturam spiritualem.

I. De consilio loquentis.

§. 73.

Quid et quotuplex est consilium loquentis, et cur interpreti respiciendum?

1. *Consilium in genere dicitur id, quod quis prudens agendo assequi vult. Id ipsum, ad quod assequendum aliquid adest, dicitur hujus destinatio, scopus, finis.*

Consilium loquentis igitur est id, quod loquens oratione sua efficere desiderat. Sic v. g. consilium Christi in parabola de filio prodigo Luc. 15, 11. seqq. est ostendere summam Patris coelestis benignitatem, qua peccatorem culpae suae vividâ agnitione, sincero dolore, firmo proposito, ingenuâ confessione et promtâ satisfactione serio poenitentem denuo suscipit et gratiae donis ornat, neque injuriam inferre, neque indignationis, sed potius gaudii causam suppeditare iis, qui nunquam gravioribus peccatis sese ab illo abalienarunt; in parabola de Samaritano misericorde Luc. 10, 30. seqq. efficere, ut, quis sit proximus noster, auditores edoceantur; ad has enim sententias exprimendas omnia et singula collineant dicta.

2. *In bibliis sacris consilium commune omnibus, et peculiare singulis scriptoribus distingui potest.*

a) Consilium commune V. T. auctorum est, facta, instituta praevia ac decreta divina ad educandum et salvandum populum electum, et ad redemtionem totius generis humani, tum in protoparentibus, tum propriâ culpâ lapsi per illum praeparandam multifariam multisque modis revelata (Hebr. 1, 1.) *enarrare; N. T. scriptorum vero, quomodo Deus per Filium suum illa exsecutus sit decreta, pro re natâ et datâ occasione adumbrare.* — Licet vero quivis tum V., tum N. T. auctorum ad communem illum scopum ass quendum suam conferat partem, *singuli tamen*

b) peculiarem quoque prosequuntur finem. Peculiare hocce ss. scriptorum consilium est vel generale, quod integro libro, vel speciale, quod cuivis libri parti seu loco praepositum est. Utrumque denuo est vel didacticum, vel pure historicum, vel historico-dogmaticum, vel poëticum;

α) didacticum, si auctor vel loquens ad cognitionem veritatum, doctrinarum, praeceptorum una cum vel sine argumentis ac motivis informare;

β) pure historicum, si eventuum praeteritorum indolem ac ordinem describere;

γ) historico-dogmaticum, si ope historiae certam sententiam demonstrare; denique

δ) poëticum, si pia sua sensa manifestare, aliosque ad talia rapere vult.

3. Cum consilium loquentis sit id, quod loquens dictis suis efficere vult, ad hoc ipsum omnia orationis membra spectent, necesse est; secus enim statui deberet, loquentem vel absque prudente consilio aliquid dixisse, vel consilii sui per orationis decursum esse oblitum, quod utrumque a quovis prudente est alienum. Quodsi vero omnes orationis partes ad consilium loquentis congruunt, cognito hocce multiplex et vaga vocum ac sententiarum in se consideratarum vis accuratius determinatur; quia vero nonnisi vocabulorum potestate et sententiarum vi rite determinata interpres ad sensus cognitionem eniti potest: consilii loquentis ab eo respiciendi necessitas in oculos incurrit. Haecce vero necessitas non tantum de generali, sed etiam de speciali consilio valet; etenim scopus generalis totius libri a consilio loquentis in singulis partibus plerumque longius distat, quam ut sensus harum ex illo accurate determinetur; contra vero a proximo seu speciali consilio sensus singulorum locorum immediate dependet. Quae observatio praecipue in libris biblicis non est negligenda, cum partim in iisdem varii variis consiliis ducti loquantur, partim sint inter illos, qui diversissimi generis comprehendunt materias, propter solam formae unitatem conjunctas, v. g. proverbia, psalmi.

§. 74.

Quaenam commoda interpreti offert ratio consilii loquentis?

Ratio consilii interpretem docet:

A. si sola ejus notio spectetur: Quaenam interpretatio sit rejicienda, illa nimirum, qua admissa loquens agensve imprudens aut sano consilio destitutus cogitari deberet. Quare v. g. in actione Ezechielis c. 12. descripta sensus immediatus est rejiciendus, et mediatus seu symbolicus tenendus, quia secus prophetam insaniâ correptum aliquid fecisse, imo ipsum Deum absque sano consilio quidquam praecepisse impie statuere cogeremur; quis enim sana mente praeditus vasa sua et supellectile in plateam deportet, domus suae parietem perfodiat, ut, licet januâ patente, per foramen factum egrediatur? quis faciem velabit, ne quid videat, ut l. c. Ezechiel facit, et ab ipso Deo facere jubetur? — Eodem modo Jesus, dum coll. Mr. 11, 13. seq. esuriens ad ficum conspectam, etsi bene sciebat, se nihil fructus in ea inventurum esse, nihilominus accessit, et cum nihil nisi folia inveniret, arbori maledixit, certe actione hac tota aliud quid innuere voluit, quam quod verba immediate sumta edicunt; secus enim absque prudente consilio aliquid fecisse esset dicendus.

B. Si consilium determinatum consideretur:

1. Consilium commune omnibus sacris scriptoribus docet, quaenam in ss. literis non sint quaerenda; nam si illud, quod §. praeced. laudavimus, tum V., tum N. T. auctoribus fuit consilium, frustra quaereretur:

a) completum doctrinae christianae systema;

b) physicorum, astronomicorum aut geographicorum aenigmatum solutio; etenim de hisce rebus auctores biblici nonnisi per transennam quasi obiter, et, ut intelligantur, ita verba faciunt, prouti illa aetate de istis homines communiter cogitarunt. Cfr. Josuae 10, 13. cum Ecclesiastici 46, 5.

2. *Consilium peculiare,* et quidem

a) tum generale, tum speciale manifestat, utrum in singulis auctoris aut loquentis dictis propria, an tropica dicendi ratio supponenda sit; nam qui consilium aut didacticum, aut historicum, aut historico-dogmaticum habet, in docendo versatur, docentem vero, nisi rationes graviores contrarium suadent, perspicuitatis praecipue studiosum esse oportet, quam proprio potius, quam tropico dicendi genere assequitur, et si forte tales adhibeat tropos, qui ob frequentissimum ac communem usum termini proprii jam fere induerunt naturam, abstinere saltem debet ab omnibus tropis difficilioribus et in genere iis, qui a sermone communi multum abludunt. Inde jam eorum damnatur interpretandi ratio, qui v. g. Mt. 26, 26. 28. 28, 19. Jo. 20, 22. 23. tropice exponunt, cum Jesus in secundo et tertio loco in docendo ac praecipiendo, in primo autem vel in testando versetur. — *In auctore autem vel loquente. qui consilium habet poëticum, tropi frequentiores et etiam insolentiores praesumi possunt.*

b) Solum generale pandit, cur auctor hunc et non alium narrationum singularum observaverit nexum; nam qui mere historicum sibi proponit scopum, eventuum narrationes serie chronologica aut strictiori aut latiori adferre intendit, ut s. Joannes in Evangelio suo; qui vero historico-dogmaticum consilium prosequitur, facta saepius non tam ratione habita temporis, quo evenerunt, quam potius internae similitudinis eo ordine conjungit, qui ad sententiae primariae partes demonstrandas idoneus apparet, v. g. s. Matthaeus et s. Lucas.

c) Solum speciale docet:

α) quae orationis partes sint essentiales, quae vero ad merum spectent ornatum. Nam loquens non semper nude aliquid edicere, sed etiam, si figurato dicendi genere utitur, plene ornateque proponere solet; qui igitur ea, quae solius ornatus causa addita sunt, cum illis confunderet, quae ad ipsam sententiam necessario pertinent, interpretationes ineptas absurdasque in medium proferret. Quid vero ad illa, quid ad haec referendum sit, e cognito loquentis consilio patefit; ea nimirum essentialia sunt, sine quibus loquens scopum suum non assequeretur; illa autem ad merum ornatum referenda, quae salvo consilio abesse possunt. Si v. g. scimus, Jesu in proponenda de filio prodigo parabola fuisse consilium superius indicatum, singularum simul narrationis partium non ignoramus momentum. Jam vero eadem sententia prodiret, si Jesus simpliciter sic parabolam proposuisset: Homini cuidam duo erant filii, quorum natu minor accepta a Patre debita bonorum parte in terram profectus peregrinam adeo luxuriose vixit, ut brevi summa laboraret inopia,

essetque miserrimus. Hac tandem miseria afflictus in se reversus cogitabat: Quot mercenarii patris mei alimentis abundant, dum ego hic pereo fame. Revertar igitur ad illum dicamque: Pater! peccavi in te, et non sum dignus, qui amplius tuus sim filius, tractes me ceu mercenarium tuum. Quod et statim fecit. Pater vero, cum eum videret serio poenitentem, ipsum gaudio magno denuo recepit in filium etc. — Haec igitur in parabola ista sunt essentialia, omnia reliqua vero, quae salvâ sententiâ primariâ abesse possunt, inserviunt solum vel ad miseriam filii a patre absentis, vel ad ejusdem reversi conditionem felicem, vel ad laetitiam patris summam describendam. Ineptum itaque esset quaerere, quid per porcos et siliquas, per patris amplexum et osculum, per servos, vestem, annulum, calceos et vitulum saginatum sit intelligendum.

β) Quibus limitibus constringenda, aut quousque extendenda sit aliqua notio v. sententia; nam si consilium loquentis est id, quod loquens oratione sua efficere vult, et ad quod omnia orationis congruunt membra: notiones et sententiae eo usque sunt extendendae aut restringendae, ut consilio loquentis respondeant. Hinc sequens observandus est canon: Notionem vel sententiam ne ultra consilii terminos extendas, vel infra eos restringas. Sic v. g. s. Matthaeus pericopa 1, 18. seq. habuit consilium docendi, Jesum absque viri interventu per Spiritum s. esse conceptum, et a virgine illibata natum, quo cognito patet, v. 25. dictis inesse non posse sensum: Abstinuit Josephus a thori consuetudine usque ad partum Mariae, dein vero non amplius abstinuit; nam pro peculiari suo fine s. Matthaeo docuisse sufficiebat, quid ante partum Mariae non evenerit: quid vero postea factum sit vel non, minime curavit. Idem valet de notione vocis πρωτότοκος l. c.; etenim pro singulari s. Matthaei consilio non relate ad alios Mariae filios posteriores Jesus primogenitus dicitur, sed ita restringenda est notio, ut innuat, neminem antea ex eadem matre esse natum, Mariam itaque virginem peperisse Jesum. Qui igitur e loco illo colligeret, Mariam post nativitatem Jesu Josepho alios peperisse liberos, vim dictorum ultra consilii terminos extenderet. Luc. 10, 4. I. Jo. 2, 20.

§. 75.

Unde cognoscatur loquentis consilium.

Consilium loquentis cognoscitur:

1. Ex manifestatione ejus sive directâ, sive indirectâ, ab ipso auctore vel loquente factâ.

a) Directe auctor, quale sibi librum conscribendi obversatum fuerit consilium, declarat, si hoc disertis indicat verbis vel ad initium libri, ut s. Luc. 1, 3. 4. et hic ibi psalmista; *vel ad finem operis*, uti s. Jo. 20, 31. I. ep. 5, 13. s. Petrus I. ep. 5, 12.; *vel in media oratione*, uti s. Paulus Rom. 3, 28. coll. cum 1, 17. Quod ubi fit, declarationi ejusmodi, nisi authentia ejus suspecta sit, prout in nonnullis Psalmorum inscriptionibus, plena habenda est fides; quivis enim sui ipsius optimus est interpres.

b) Indirecte auctor consilium suum reserat:

α) Pluribus ejusdem generis adnotationibus pragmaticis, quae ad eundem scopum tendunt; hae enim vel prorsus abessent, vel saltim magis variarent, nisi certa quaedam sententia per integrum librum auctori ob oculos versata, ei ad eam singulae operis partes essent relatae. In hacce persuasione confirmamur, quod, ubicunque praeter ejusmodi observationes diserta consilii auctoris declaratio occurrit, accuratissimus hanc inter et illas invenitur consensus. Sic v. g. in Evangelio s. Joannis observationes 1, 50. 2, 11. 23. 3, 2. 6, 69. 70. 7, 31. 12, 16. 42, 20, 8. 28. 29. ad eundem scopum tendunt, quem auctor ipse 20, 31. directe declarat. — Scopum librorum Regum et Chronicorum esse docere, in regno Juda et Israël omnia evenisse e norma theocratica, inde colligitur, quia ad finem historiae cujusvis regis, prout regnum vel secunda vel adversa fata erat perpessum, sedulo observatur, regem aut juxta, aut contra Jehovae praecepta sese gessisse. S. Matthaeum demonstrare voluisse, Jesum esse Messiam per prophetas promissum, inde intelligitur, quod quacunque occasione data adnotat, haec facta esse, ut impleretur scriptura, ipsa dein allegat V. T. oracula, e quibus perspiceretur, characteres messianos per prophetas praedictos ad unum omnes convenire Jesu, nec quidquam eorum, quae ipsi contigêre, ab imagine Messiae in V. T. delineata esse alienum. Cfr. Mt. 1, 22. 2, 5. 15. 17. 3, 3. 4, 14. 8, 17. 12, 17. 13, 35. 21, 4. 26, 56. 27, 9.

β) Materiâ substratâ, qualis dicuntur singula orationis continuae dicta, quatenus ad exprimendam primariam quamdam sententiam congruunt. Inde loquentis consilium cognosci posse, facile intelligitur; nam id ipsum, ad quod exprimendum singulae orationis partes collineant, est loquentis consilium. Hinc recte tenemns, v. g. s. Joannem 2, 1. seqq. habuisse consilium describendi miraculum; etenim cuncta ad hanc sententiam designandam conferunt, et ad eam relata opportune ac suo loco sunt dicta; quodsi vero, ut nonnulli volunt, Evangelistae non fuisset consilium, nisi singularis Jesu humanitatis specimen exhibendi, quaedam deesse deberent. Sic plura a concione Christi montanâ Mt. 5, 6, 7, abessent, alia vero permulta, uti ea, quae Mt. c. 10. leguntur, eidem essent inserta, si Jesus sermonem istum initiatorium Apostolorum suorum haberi voluisset. S. Joanni in Evang. concribendo fuisse consilium ostendendi, Jesum esse Messiam, Dei Filium (20, 31.) sensu proprio, docent omnia, quae de ipso praedicat, uti Incarnatio Verbi, quod in principio erat, quod erat apud Deum, quod erat Deus, per quod omnia facta sunt nullo excepto ente, quod existentiae initium habet, etc. coll. v. 14. cum v. 1—3.; omniscientia 1, 48. 49. 2, 24. 25. al.; excelsitas super omnia mundana 3, 31.; operatio activitati Patris aequalis 5, 17.; mortuorum resuscitatio et de iis judicandi potestas 5, 28. 29.; missio Spiritus s. a. c. 14—16. et alia.

γ) Fide dignâ aliorum relatione; nam fieri solet, ut vel auctor ipse, vel personae variis in locis verba facientes diversis rationibus motae consilium suum occultent, aliis tamen manifestent, qui mutatis rerum circumstantiis illud revelare non dubitant. Ejusmodi

jam contestatio ab illis descendens, qui auctoris loquentisve consilium probe cognitum habuerunt, nec non sincere pandere voluerunt, plenâ fide est digna, imo ipsius scriptoris aut loquentis testimonio aequiparanda. Quodsi vero, relationem talem e sola libri lectione, proprio judicio adhibito, ortam esse, fundata adest suspicio: illi soli, nisi internorum argumentorum accedat suffragium, vix unquam acquiescere licet, uti in plurium psalmorum et oraculorum propheticorum inscriptionibus, quippe quae saepius indicant scopum ab argumento illorum prorsus diversum, aut historicis auctoris adjunctis plane adversum. Contra vero Evangelistae, quotiescunque Jesu et aliorum, quos loquentes inducant, manifestant consilia, omnem fidem merentur non tantum ideo, quod scriptores sunt inspirati, sed et propterea, quia vel a Jesu vel illis hominibus loquentibus, serius ad religionem christianam conversis, immediate aut mediate erant edocti, et quoniam de voluntate eorum sincerâ, vera dicendi, dubio fundato locus esse nequit.

2. *Ex occasione sermonis, per quam intelligimus illa adjuncta, quibus quis ad loquendum vel scribendum, ad hoc vel illud dicendum determinatur. Quum jam homines, ut certum capiant consilium, plerumque peculiaribus circumstantiis moveantur, sive sint dubia, quae removere, sive errores ac vitia, quae corrigere, sive vota, quibus satisfacere, sive moestus et veluti desperabundus animus, quem erigerre, sive in genere certae indigentiae, quibus satisfacere volunt: hisce adjunctis cognitis loquentis etiam consilium patescit.* Sic cui notae sunt tum relationes, quae s. Paulo de Corinthiis erant allatae, tum quaestiones, quas Corinthii ipsi per literas proposuerant Apostolo: singularum partium primae epistolae ad Corinthios finem intelliget. Similiter qui non ingnorat, s. Paulum ad epistolam Hebraeis scribendam eo esse permotum, quod audierat, Judaeos infideles nullum non movere lapidem, ut populares suos Christianos ad defectionem a religione christianâ incitarent, huncque in finem minis ae persecutionibus etiam argumenta adjicere, a religionis mosaicae splendore, et cultus christiani simplicitate petita: tam singularum partium, quam totius epistolae scopum perspiciet. Causa, cur nonnunquam in hoc vel illo psalmo interpretando ejusque scopo determinando dubii haereamus, saepissime solum in ignotis auctoris adjunctis est sita *). — *Cognoscitur autem occasio sermonis:*

a) ex declaratione ipsius loquentis apertâ, v. g. Luc. 1, 1. 2. I. Cor. 1, 11. 5, 1. 7, 1. Act. 15, 24.;

b) ex aliorum, qui interfuerunt, relatione; sic qua occasione Jesus hanc vel illam parabolam, hunc vel illum sermonem protulerit, Evangelistae saepius diserte commemorant;

c) ex accurato dictorum examine, et eorum cum circumstantiis aliunde notis comparatione facta, v. g. cum moribus, placitis, vitiis,

---

*) Quomodo sermonis occasio, quatenus in conditione illorum sita est, ad quos v. de quibus verba fiunt, sensus inventionem immediate adjuvet, §. 70. indicavimus.

indigentiis certae, gentis provinciae, urbis etc., et quibus, ex his dicta congruunt, ea ipsa sermonis occasionem fuisse tenendum.

Consilium loquentis cognoscitur denique

3. *e charactere morali et cultura spirituali loquentis*, collatis ac applicatus regulis §. 9. propositis.

§. 76.

II. De animi loquentis affectione.

Per animi affectionem loquentis (Gemüthstimmung) *intelligimus animi ejus statum aut tranquilliorem, aut motu quodam affectuve vehementiori excitatum eo temporis momento, quo verba facit.* Hancce interpreti respiciendam esse, inde patet, quia docet:

1. *Utrum dicta pro omni suâ vi intelligenda, an certo modo restringenda sint; etenim qui tranquillo est animo, verba sua rite perpendere; qui vero vehementiori affectu abripitur, rem justo plus vel augere vel imminuere, ac proin hyperbolice loqui solet. Quam primum itaque constat, loquentem vehementiori quodam incaluisse affectu, haud leve adest indicium, dicta non ad latum unguem esse premenda, sed tamquam hyperbolam plerumque mitiganda;* v. g. Hebr. 5, 12. coll. cum 6, 9.

2. *Quaenam sit ratio dictorum*, v. g. Jobi 3, 3—23. coll. cum v. 24—26.; Jerem. 20, 14—18. coll. cum v. 7—10.; Mt. 17, 4. coll. cum Luc. 9, 33.; Rom. 9, 3. coll. cum v. 1. 2.

3. *Quae sit verborum abruptorum in quibusdam locis potestas*, v. g. Jo. 20, 16. 28.

Quae vero fuerit animi dispositio loquentis cognoscitur:

a) Ex aperta ss. scriptorum annotatione; sic v. g. Jo. 11, 33. 35. Jesus, cum Mariam et Judaeos plorantes videret, vehementer animo commotus fuisse, dein et ipse lacrymas fudisse narratur; Mt. 14, 26. legimus, discipulos timore turbatos fuisse, cum Jesum supra mare ambulantem viderent. Mr. 3, 5. Act. 14, 14. Huc etiam pertinent omnia loca, ubi spectatores Christi opera, aut doctrinam, aut sese gerendi rationem admirati esse dicuntur.

b) E gestu et pronuntiationis tono; nam arctissimus hujus rei cum affectu nexus semper adest in loquente, ita ut, si unum cognitum est, alterum latere interpretem non facile possit, v. g. Luc. 19, 42—44. coll. cum v. 41.

c) E charactere morali loquentis coll. §. seq.

d) Ex orationis forma, v. g. ex abrupto dicendi genere, e diminutivis, figuris repetitionis et exclamationis. Denique

e) e rationibus psychologicis docentibus, quaenam res vehementius, et quomodo hominis animum afficere soleant. Cum natura hominum in substantia eadem sit, cognitio affectuum ardua non erit interpreti, qui se penitus transformaverit in animum et locum loquentis, ejusque personam ipse quasi induerit.

§. 77.

III. De charactere loquentis.

Character est praedominans mentis et voluntatis directio animique affectio, vel e nativâ animae facultatum temperie, vel e principiis acquisitis, vel ex utrisque orta, qua quis ad certum cogitandi, sentiendi agendique modum variis in circumstantiis determinatur. Praedominans ille habitus e naturali animae facultatum temperamento ortus character psychologicus, secus moralis vocatur, qui aut bonus est aut malus, in specie ingenuus (edel), mitis, sincerus, aut suum commodum computans (eigennützig), durus, versutus et praeclusus (verschlossen); firmus aut vacillans (instabilis) etc., prout legi morali vel sensualitatis dictamini, in primis virtutibus sui abnegationis, benignitatis et sinceritatis, vel vitiis oppositis, idque vel constanter respondet, vel secus.

Inde jam patefit, characterem hominis in genere cum dictis et factis ejus intimo in nexu positum esse, ita ut his nihil inesse possit, quod illi non respondeat, et eo non determinetur. In specie autem e charactere morali cognoscitur:

1. *Ratio eorum, quae quis dicit aut agit.* Sic v. g. varia phaenomena, quae in vita Petri Ap. ante missionem Spiritus s. animadvertimus, nonnisi ex animi ejus vivacitate, quae cum veritatis amore, rerum coelestium desiderio et animi candore conjuncta characterem ejus constituit, explicari possunt. Quemadmodum enim, qui vividiori illo animi temperamento praeditus est, quovis graviori eventu vehementius excitatur, et variis repente affectibus abripitur: ita et Petrus miraculosâ piscium capturâ ipsi concessâ ad pedes Jesu provolutus dixit: „Exi a me, quia homo peccator sum, Domine" (Luc. 5, 1—8); porro omnium primus saepe sententiam suam protulit (Jo. 6, 68. Mt. 15, 15. 16, 16. 19, 27. al.); statim ac Jesum in mari ambulantem cognovit, ad eum supra undas veniendi votum manifestavit, periculo autem vix observato de vitâ conservandâ dubitavit (Mt. 14, 28. seqq.); praeterea summâ Christi humilitate in stuporem conjectus ab eo sibi pedes lavari recusavit, ast auditâ magistri sententiâ sibi non tantum pedes, sed et manus et caput ablui desideravit; dein licet certissimam persuasionem suam de Christi dignitate messiana divinaque repetitis vicibus professus esset Jo. 6, 68. Mt. 16, 16.; licet serius iteratum fecisset promissum, fore, ut cum magistro potius moreretur, quam ut eum desereret aut abnegaret (Mt. 26, 33. Luc. 22, 33. Jo. 13, 37), imo Jesum defendendi studio ductus Malcho, pontificis servo, aurem gladio abscinderet: tamen brevi posthac tempore, cum periculum sibi imminere crederet, addito etiam jurejurando, se Jesum nosse, negavit, ast solo magistri aspectu tactus, foras egressus amare flevit (Luc. 22, 62.). — Causa odii, quo Pharisaei ac legisperiti in Christum, summum gentis suae benefactorem, exardescebant, nonnisi tum intelligitur, si scimus, illud hominum genus pietatis speciem ac famam, nec non aestimationem et favorem populi studiosissime quaesivisse. Cum vero Jesus

et doctrinâ suâ, et insigni humanitate ac factis miraculosis gentis amorem et admirationem sibi conciliasset, imo datis occasionibus pietatem illorum simulatam severe reprehenderet damnaretque: ex ista animi eorum directione summa invidia et odium internecinum in eis ortum est, quo ducti nullum non moverunt lapidem, ut vel calumniis eum proscinderent, vel captiosis quaestionibus ex ore ejus aliquid elicerent, quod ei odium turbae pararet, vel petitionibus eo redigerent, ut aestimatio ejus in populo imminueretur. — Similiter ratio agendi modi a Pilato in Christi damnatione ad mortem observati illustratur, si scimus, hunc procuratorem naturali recti sensu, quo Romani in genere eminebant, non destitutum quidem, attamen animi firmitate carentem propriorum commodorum studio ita addictum fuisse, ut eidem justitiae administrationem adtemperaret. Illo recti sensu ductus causam Jesu, quem innocentem, et ob solam Judaeorum invidiam sibi traditum esse sciebat (Mr. 15, 10.), variis modis tueri adnisus est; constantiae impos et salutis propriae stimulis actus contra meliorem persuasionem sententiam capitis tulit. Cum nimirum Judaei sat callide demum clamassent: „Si hunc dimittis, non es amicus Caesaris“ etc. (Jo. 19, 12.): Pilatus, plurium injuste factorum sibi conscius, timebat, ne illi, Jesum, quem regiam dignitatem ambire fingebant, a procuratore poenâ conveniente non esse affectum, ad Tiberium Caesarem maxime suspiciosum referrent, sicque severioris indagationis in ipsius agendi et Judaeam administrandi rationem, imperatoris jussu suscipiendae auctores essent. Quare Pilatus, ut tum periculum proprium evitaret, tum conscientiae voci quodammodo saltem satisfaceret, Jesum voluntati Judaeorum tradidit, simul vero Christi innocentiam verbis et facto symbolico publice contestatus est.

2. *Affectus loquentis; pro diverso enim hominum charactere morali diversi etiam excitari solent eâdem de re, iisdem in circumstantiis animi motus.* Sic v. g. homo benigni humanique animi laetitiae affectu movetur, dum alios prospera sorte fruentes videt; eaedem vero circumstantiae in homine malevolo, inhumano invidiam et indignationem excitant. Praecipue vero

3. *affectus, quo loquentem incaluisse constat, indoles moralis determinatur; nam affectus immoralis dici nequit, cujus fons est Dei et proximi charitas, qui itaque contra vitia potius, quam contra homines tendit, aut ex oestro poëtico magis, quam ex corde procedit,* v. g. imprecationes in Psalmis *).

§. 78.

IV. De cultura spirituali loquentis.

Per culturam spiritualem loquentis intelligimus omnem ejus cogitandi et sentiendi rationem, nec non cogitata sensaque sua exprimendi modum. Illa cogitandi sentiendique ratio de rebus,

---

*) Cfr. A. H. Niemeyer: Characteristik der Bibel. Neue Originalauflage. Halle 1831. 5 Bde. 8vo.

quae Deum hominisque ad eum relationem et officia attinent, cultura religioso-ethica vocatur. — Ad culturam spiritualem itaque pertinent:

1. Notitiae respectu tum reliogoso-morali, tum quocunque alio, sive verae sive erroneae; principia primaria, quatenus vel dictis vel factis sat claris manifestantur, opiniones praeconceptae et praejudicia, paucis: complexus cognitionum, quibus loquens pollet, earumque perfectionis gradus.

2. Varii cogitata sensaque sua exprimendi modi, seu varia, quibus loquens utitur, dicendi genera.

Quare cultura spiritualis loquentis sponte sua in duas dilabitur partes, quatenus nimirum influit in orationis materiam et formam.

De culturâ spirituali loquentis, quatenus influit

§. 79.

A) In orationis materiam.

Per orationis materiam intelliguntur ipsae notiones et sententiae a loquente manifestatae. Hae jam quoad perfectionis gradum in omnibus loquentibus non sunt eaedem, licet iisdem vocibus utantur; nam in quovis homine certus ac certo modo determinatus adest culturae gradus, in quo cognitionum ejus ratio est sita, e quo perfectionis earum modulus determinatur, et qui in notiones quoque ac sententias sermone manifestatas necessario influit; etenim loquens dictis suis notiones nec spectare potest sublimiores, ac quae culturae ejus mensurae conveniunt, neque iisdem subjicere solet tenuiores, nisi eum non e sua, sed ex aliorum sententia dixisse, certis atque omni exceptione majoribus indiciis constet. Ad notionum itaque et sententiarum perfectionem determinandam interpreti ratio habenda est culturae loquentis. Quod in interpretatione s. Scripturae praecipue valet; nam in ss. literis permulti, in diversissimo culturae gradu positi loquentes sistuntur; qui itaque diversi culturae gradus, quo singuli loquentes gaudent, debitam non haberet rationem, interpretationes in medium proferret saepe perversas; loquenti namque notiones tribueret tales, quae non huic, sed alteri conveniunt; frequenter notionibus perfectioribus substitueret tenuiores, domesticis peregrinas, divinis humanas et vice versa, paucis: dictis vim subjiceret talem, qualem verbis suis manifestare nec voluit, nec potuit loquens.

Respectu vero ad culturam loquentis habito in specie

1. Vocum, formularum ac sententiarum, quae in se spectatae sunt vagae, ambiguae et ideo obscuriores, potestas determinatur. Sic v. g. formulae: βασιλεία τοῦ θεοῦ — τῶν οὐρανῶν — τοῦ χριστοῦ in genere denotant regnum a Messia fundandum; qualis vero notio, num perfectior, an tenuior quovis loco intelligenda sit, nonnisi ratione habitâ culturae religioso-ethicae loquentis patescit; nam omnes Judaei regnum terrenum quidem exspectarunt a Messia fundandum, attamen

rudiores tale, cujus cives cunctis gentibus devictis soli Abrahami posteri futuri, et omnis generis voluptatibus sensuum frui essent; sapientiores vero, vitae pravitatem popularium suorum dolentes, simul morum emendationem, verae pietatis restitutionem et peccatorum populi expiationem praestolabantur; Christus denique talia de se, de adventus sui fine, de regni a se fundandi indole, de civium ejus conditione pluribus in locis docuit, e quibus patet, eum per formulas illas intellexisse institutum spirituale, in quo omnes homines adhibitis mediis spiritualibus ad perfectionem moralem et animae felicitatem, jam hisce in terris e fide, spe et charitate manantem, in vita vero post mortem futura visione, fruitione ac purissima dilectione perficiendam, tuto perducerentur. Inde jam illustrantur loca Mt. 3, 3. 4, 17. Jo. 3, 3. Luc. 17, 20. Mt. 20, 20. 21. — Sententia s. Pauli I. Tim. 3, 2. Tit. 1, 6. „episcopum oportere unius uxoris virum esse," in se spectata ambigua est; denotare enim potest: episcopum oportere aut *a)* non esse bigamum (duas uxores simul habentem); aut *b)* unam uxorem habere, ita ut coelebs episcopatu indignus censeatur; aut *c)* continentem esse, ita ut coelebs vivat, vel semel tantum matrimonio junctus fuerit vel sit. Prior sententia, utpote moribus illius temporis tum judaicis, tum ethnicis contraria, est rejicienda *); quodsi vero praeter contextum logicum **) ad statum coelibem tum ipsius Apostoli, tum ejus discipulorum Timothei Titique, praecipue ad principia primaria s. Pauli hac de re in I. Cor. 7, 7. 25. 26. 32—40. manifestata respiciamus: altera interpretatio damnanda reperitur, tertia autem unice vera tenenda. Idem etiam valet de pluribus aliis vocibus, formulis et sententiis.

2. *Ratio dictorum et factorum perspicitur.* Sic v. g. cur Mt. 22, 15. seqq. Pharisaei Jesu insidias structuri quaestione proponenda: num liceat Caesari censum dare, nec ne? discipulis suis associarint Herodianos, latere non potest, si cognitum est, Pharisaeos juxta principia sua theocratica libertatis populi judaici fuisse defensores, Herodianorum autem, i. e. hominum, qui ex partibus Herodis Antipae stabant, maximi interfuisse, Romanorum, quorum quippe favori Herodes regnum suum in acceptis referebat, imperium et jura in Judaeos Palaestinenses ab omnibus agnosci. Hinc, ne Jesus ullo modo effugeret, sed ut potius, si affirmative responderet, libertatis

---

*) Cfr. Erklärung der Pastoralbriefe v. Dr. Mack.

**) *α)* In contextu logico remotiori vv. 2. 3. 4. virtutes enumerantur, quibus gaudere oportet episcopum, ut sit irreprehensibilis, et το: *μιάς γυναικὸς ἄνδρα εἶναι* ad reliquos terminos se habet, ut species ad genus (*ἀνεπίληπτον εἶναι*); ergo etiam illa verba virtutem quamdam designare debent; jam vero uxoratum esse nullibi in ss. literis inter attributa viri irreprehensibilis recensetur, potius coelibatus inter media praecipua, regnum coelorum tum in se, tum in aliis promovendi commendatur Mt. 19, 12. I. Cor. II. cc. *β)* v. 4. inter qualitates episcopi commemoratur τὸ: *τέκνα ἔχειν ἐν ὑποταγῇ λ.*; secunda interpretatione admissa sequeretur, eum etiam, qui, licet uxoratus esset, liberos tamen non haberet, episcopatu non esse dignum, quod certe absurdum est. Quod autem de hoc dicto, etiam de illo: *μιάς γυν. ἄνδρα* valet.

populi theocratici inimicus: si vero negative quaestionem solveret, jurium romanorum adversarius diffamari et accusari posset, Pharisaei discipulis suis socios ad finem suum malevolum, ut sperabant, certo assequendum aptiores eligere non poterant, quam Herodianos. — Cur coll. Jo. 1, 21. Judaeorum legati ex Joanne quaesierint: „Elias es tu? propheta es tu?" v. 15. „Quid ergo baptizas, si non es Christus, neque Elias, neque propheta?" facile intelligitur, si scimus, Judaeorum animis altissime insitam fuisse persuasionem, ante Messiae adventum has in terras rediturum esse Eliam et alium ex antiquis prophetis, v. g. Jeremiam coll. Mt. 16, 14. Mr. 9, 10., et Pharisaeos nonnisi Messiae ejusque praecursori aut prophetae jus circa sacra adscripsisse. Cfr. Job. 3, 3. seqq. Jerem. 20, 14. seqq. Mt. 19. 3. 22, 36. Mr. 9, 10. Jo. 3, 4. 9. 8, 3—5. 9, 1. 2. Act. 1, 6. 14, 10—12 al.

3. *Definitur, num dicta quaedam, praecipue gnomica, praecepta absolute, an cum restrictione, relative et conditionate intelligenda sint; in dubio nimirum praeter contextum, sermonis occasionem et finem respiciendum est ad principia loquentis, dictis factisve alias sat clare manifestata, et quod hisce congruit, seu analogiae doctrinae biblicae respondet, verum erit habendum.* Sic v. g. praeceptum Christi Mt. 5, 34.: „Ego vero dico vobis, non jurare omnino," non esse absolutum, ita ut jusjurandum nullo in casu licitum foret, praeter contextum (v. 35. 36.), occasionem sermonis (perversa legisperitorum interpretandi ratio) et Jesu consilium (docendi, quid in vita quotidiana hoc respectu viri probi et Dei voluntas sit), docent principia Christi et Pauli Ap., quatenus ex indubia eorum agendi ratione seu exemplo clare cognoscuntur coll. Mt. 26, 63. 64. Rom. 1, 9. Philipp. 1, 8. I. Thess. 2, 5. 10. II. Cor. 11, 11. 31. Gal. 1, 20. I. Tim. 5, 21. 1. Cor. 15, 31.. II. Cor. 1, 23., praecipue Rom. 9. 1. II. Cor. 2, 17. 11, 10. Eph. 4, 17. I. Thess. 5, 27. Porro praecepta Mt. 5, 39—41.: „Ego autem dico vobis non resistere malo, sed si quis te percusserit in dexteram maxillam tuam, praebe illi et alteram, et ei, qui tecum vult judicio contendere et tunicam tuam tollere, dimitte et pallium" etc.: non absolute intelligi posse, et non omnibus in circumstantiis esse observanda, inde patet, quod partim eidem semper satisfacientes saepius laederemus praeceptum maximum: „Diliges Dominum Deum tuum super omnia, et proximum tuum sicut te ipsum" (Mr. 12. 30. 31.); partim contrarium docet exemplum Christi coll. Joann. 18, 23. et s. Pauli coll. Act. 23, 2—4.; partim ne magistratibus quidem et praepositis liceret punire homicidas, latrones, fures, immorigeros etc., contra apertam doctrinam et agendi rationem Apostolorum coll. Rom. 13, 1. seqq. I. Petr. 2, 13. 14. Act. 17, 35—40. 22, 23—29. 25, 9—11. al.*) Quare relate ad occasionem et Jesu consilium sensus est: Tantum abest, ut ex sententia legisperitorum juri talionis satisfaciens voluntati divinae respondeas; ut potius praestet ad plures ac majores

*) Cfr. philologisch-theologische Auslegung der Bergpredigt Christi nach Matthäus, von A. Tholuck, II. Ausgabe pag. 163—165. 182. 183.

molestias perferendas esse paratum, quam vindictae privatae dare locum. — Si porro praecipit Jesus Mt. 5, 42.: „Qui petit a te, da ei, et volenti mutuari a te ne evertaris," hoc non absolute intelligi, et omnibus in circumstantiis observari voluit, v. g. si infans cultrum, si furibundus gladium, desperabundus venenum, ebrietati deditus stipem etc. poposcerit; sed restrictionem docet tum contextus, occasio sermonis et Jesu consilium*), tum sensus communis, tum praeceptum maximum. Cfr. Luc. 14, 26. cum Mt. 15, 3. seqq. et Jo. 19, 26—28. Coloss. 2, 20. cum Act. 4, 19.

De fontibus, e quibus haurienda est conditionis personarum aetatis biblicae cognitio.

§. 80.

Divisio.

Hermeneuticae non est, personarum biblicarum, i. e. earum, quae in ss. literis loquentes agentesve sistuntur, aut quae, ut aliquid diceretur vel ageretur, occasionem praebuerunt, conditionem internam describere; attamen *fontes indicandi sunt, e quibus cognitio haec hauriatur, et qui pro triplici specie hominum biblicorum commode in tres classes dividi possunt, nimirum in christianos, judaicos et ethnicos.*

§. 64.

א De fontibus christianis

a) orthodoxis.

Ad hos pertinent:

1. Libri sacri N. T., quatenus agitur

a) de cogitandi sentiendique ratione vere christiana et apostolica, quod uberiori demonstratione non indiget, ita ut valeat regula: *Nulla sententia vere christiana habenda est, quae claris horum librorum effatis aperte repugnat;*

b) de charactere Jesu et Apostolorum. Cum vero ss. N. T. libri non eo fine conscripti sint, ut integram doctrinae christianae summam modo omnibus claro complecterentur: ad plenam magisque perspicuam christianae cogitandi sentiendique rationis notitiam assequendam adjungenda sunt

*) Quemadmodum Mt. 5, 39. seqq. non de justa sui defensione et de juribus praepositorum, sed de vindicta privata: ita et 5, 42. nonnisi de discrimine amicum inter et inimicum non respiciendo, si beneficia clargiaris, onn vero de aliis conditionibus est sermo, quibus determinatur dignitas aut indignitas aliorum ad beneficia tua percipienda, aut quibus definitur, num precibus eorum annuere liceat, nec ne.

2. *Scripta ss. Patrum, utpote qui vel immediati vel saltem mediati Apostolorum discipuli erant, quique doctrinam Christi et Apostolorum viva voce acceptam in scriptis suis consignarunt, neque de minus recta ejus cognitione, nec de fide laesa in illa proponenda suspecti esse possunt, ubi unanimiter consentiunt, quippe qui consensus cum ignorantia aut laesa fide subsistere nequit.*

Verum enimvero ad rectum tum s. Scipturae, tum ipsorum ss. Patrum usum hac in re faciendum *in rebus fidei et morum christianorum*

3. *nunquam non interpreti ducis et normae directricis instar respiciendus est sensus ecclesiae catholicae*, ut in prolegomenis ostendimus.

b) heterodoxis.

Quemadmodum Apostolis adversus Judaeorum et gentilium errores certandum, ita etiam contra eos erat pugnandum, qui doctrinas christianas ad principia, quae ante suum ad sacra christiana transitum imbiberant, conformare studebant. Praecipui eorum sunt Gnostici et Ebionitae, quorum priores, philosophiae sic dictae orientali dediti, diversas emanationes statuebant; de corpore humano et nuptiis tenuiter sentiebant, et non tantum V. T. despectui habebant, sed semet ipsos etiam Jesu et Apostolis sapientiores praedicabant, variisque sophismatibus ac fabulis homines deludebant; Ebionitae vero, Judaismo veluti immersi, V. T. libros apostolicis non modo aequiparabant, sed, quibusdam saltem, praeferebant; Jesum merum hominem habebant; crassiorem chiliasmum sectabautur, et immodicâ ritualium veneratione capti tenebantur.

Ignoratis his aliisque eorum sententiis, aut non plene ac perspicue cognitis interpres N. T. dubius haerebit, quotiescunque errores isti respiciuntur. Optime autem haec omnia e scriptis cognoscuntur, quae ab haereticis his ipsis profecta sunt: etsi enim in Patrum quoque libris pleraque harum sectarum placita commemorantur, illa tamen opera ceu fons potior praeferenda sunt, tum quia nemo non sui ipsius optimus est interpres, tum quia Patres nonnunquam pro vehementiori, quo in heterodoxos ferebantur, impetu eorum sententias justo acerbius delineasse videri possent. Quaenam harum sectarum haereticarum scripta ad nos pervenerint, historia eccl. docet*).

---

*) Ad fontes christianos referri etiam solent apocrypha N. T., i. e. scripta, quae vel absque suppositionis consilio exarata Apostolis aut viris apostolicis ab aliis perperam adscribebantur; vel cum suppositionis consilio confecta primis mox saeculis librorum sacrorum praetendebant auctoritatem, ab ecclesia tamen in Canonem non sunt recepta. — Ast si de fide quaeritur, qua gaudeant, haec non potest non esse suspecta, quia aetas plerorumque huc usque non est determinata, unde periculum oritur, ne eorum usu aetati antiquiori recentiores tribuantur sententiae, praecipue vero quod fictione nituntur, quae singulorum tantum commenta exhibet. — Idem et ex iisdem

§. 82.

ב De fontibus judaicis.

Huc referendi sunt:

1. *Sacri V. T. libri. Hosce ad cogitandi sentiendique rationem Judaeorum cognoscendam in genere adhibendos esse, nemo inficias ibit; attamen hoc respectu neque pentateucho, neque reliquis scriptis promiscue uti licet; non illo, quia historia teste Judaei per temporum decursum a decretis mosaicis saepius revera discesserunt, et etiam tempore Jesu literam potius, quam spiritum legis sequebantur, traditionesque suas majoris faciebant, quam praecepta divina; non hisce, quoniam novarum accessionum causa temporis ratio habenda est, ne aevo antiquiori tribuantur recentiora, et in deuterocanonicis insuper patriae discrimen attendendum, quum, etsi versio Alex., in qua deuterocanonici libri continentur, in Palaestina lecta est, palaestinenses tamen Judaei haud omnes Aegyptiorum susceperunt sententias, ut vicissim hi admiserunt peregrinas.*

2. *Versio Septuaginta, utpote cujus auctores in interpretando saepius ita versantur, ut sensum dictorum hebraicorum ad suas vel sui aevi opiniones exprimant.* Sic v. g. Deuter. 32, 8. verba textus hebr.: „Constituit Deus terminos populorum juxta numerum filiorum Israël" reddiderunt: „Constituit (Deus) terminos gentium secundum numerum angelorum Dei"*), hacque ratione suam manifestarunt fidem, singulis tribubus israëliticis peculiarem praeesse angelum tutelarem. Deut. 33, 2. traditionem, ut e locis Gal. 3, 19. Hebr. 2, 2. patet, veram secuti neglectis verbis hebraicis verterunt: „A dexteris ejus angeli cum eo", loco: A dexteris ejus ignis legis (lex ignea, inter fulgura promulgata) cum eo. Ps. 96, 5. voci hebr. אֱלִילִים (vani, vitâ et efficaciâ carentes), juxta seriorem de gentilium idolis cogitandi rationem subjecerunt δαιμόνια, et alia. Porro quaenam oracula prophetica habeant messiana, et quomodo ea intelligant, saepissime clare indicant, v. g. Isaiae 7, 14. 40, 3., id quod christianis apologetis antiquis magna commoda, Judaeis vero adversariis summas difficultates causavit. Unde licet Septuaginta versionis tantum rationem prae se ferat, nihilominus tamen fons cognoscendarum sententiarum judaicarum peculiaris habenda est, et libris N. T. hac quoque ex parte lucem affundit.

3. *Libri sacri N. T.; in his enim non raro Judaei loquentes inducuntur, uti et ipsi Apostoli ante Spiritus s. effusionem; imo*

---

fere causis etiam valet de apocryphis V. T., quatenus de cogitandi sentiendique ratione Judaeorum agitur. Cfr. Klenkeri Untersuchungen über die Apocryphen des N. T., Bretschneideri historisch-dogmatische Auslegung des N. T. §. 22. pag. 163. seqq.; Gieseler in: Historisch-kritischer Versuch über die Entstehung und frühesten Schicksale der schriftlichen Evangelien §. 2.; Schmid, Eichhorn, Hug, Scholz aliique in introductione in N. T., praecipue vero Movers in: Kirchenlexicon, herausgegeben von Wetzer und Welte, Freiburg 1847 I. Th. pag. 325—355. sub articulo: Apocryphen.

*) Ἔστησεν ὅρια ἐθνῶν κατὰ ἀριθμὸν ἀγγέλων Θεοῦ.

iidem etiam postea hic ibi orationem suam similitudinibus, quae a judaicis opinionibus petuntur, illustrant, sententiasque, opiniones ac consuetudines Judaeorum pandunt; quamobrem N. T. libri quoque fontibus judaicis recte adnumerantur, imo, ubi sat perspicui sunt, quoad aetatem biblicam N. T., utpote a testibus coaevis et domesticis profecti, omnibus reliquis praeferendi.

4. *Targumim, quippe quae haud raro ad longissimas digressiones, praecipue religiosi argumenti abripiuntur, ita ut eis non possint non in rem nostram inesse quaedam, quum auctores habeant Judaeos.* Ast cum ne antiquissimum quidem eorum ultra saec. I. aerae christianae ascendat, quo tempore Judaei ratione habita Christianorum plures sententiarum suarum immutaverant, eis sine suffragio aliorum antiquiorum fontium judaicorum plena fides vix est habenda.

5. *Josephus Flavius et Philo. Utrumque Judaeum et Apostolis fere coaevum inter praecipuos pertinere fontes, unde cogitandi sentiendique ratio judaica aetatis apostolicae cognoscatur, atque testem fide dignum referre, nemo dubitabit perpendens, Josephum sacerdotem eruditum, et postremo ducem exercitus Galilaei in bello judaico fuisse, adeoque Palaestinam, locorum situm, conditionem et producta illarum regionum, leges ac ritus sacros, mores et consuetudines popularium suorum probe cognitas habuisse; praeterea non modo Pharisaeorum ac Judaeorum placita ex professo describere, sed et integram gentis judaicae historiam ita exhibere, ut, quomodo Judaei diversos eventus spectaverint, ex ejus narratione pateat; Philonem vero in apologeticis, dogmaticis et moralibus materiis uti nostros versari. — Verum licet haec in genere ita se habeant, valde tamen erraret, qui eis in omnibus singulisque partibus plenam tribueret fidem; praeterquam enim quod Josephus ad Palaestinensium, Philo vero ad Aegyptiorum Judaeorum cogitandi sentiendique rationem cognoscendam magis inservit, priorem suspectum reddit non tantum partium studium, quo ductus qua Pharisaeus omnem sectae suae conditionem benignius, illam vero Sadducaeorum acerbius fors delineavit; sed etiam conatus, quem se adhibiturum esse in poëmio Antiquitatum disertis verbis indicat, cuncta ita describendi, ut a Graecis Romanisque sine omni offensione legi possent. Propositum istud in maximum veritatis detrimentum effectui esse datum, plura loca demonstrant.* Sic v. g. Antiq. 2, 16. 5. transitum Hebraeorum per mare rubrum comparat cum transitu exercitus Alexandri M. per mare pamphilicum *); ibid. 3, 5, 2. post descripta phaenomena, tempore legislationis in monte Sinai conspicua, haec adjungit: „Atque

*) Et ego quidem prout sacris in libris scriptum reperiebam, horum unumquodque memoriae prodidi. Nemo vero narrationem ut incredibilem miretur, si antiqui homines et malitiae expertes in maris scissura viam ad salutem invenerint, sive Dei voluntate sive sponte naturae, quandoquidem heri et nudiustertius iis, qui sub ductu erant Alexandri, Macedoniae regis, cessit pamphilium mare et aliam viam non habentibus illac iter aperuit, quum Deus Persarum imperium evertere decrevisset. Atque hoc omnes testantur, qui Alexandri res gestas scriptis mandarunt. At enim de his quisque, ut libuerit, sentiat.

haec quidem velim lectores accipiant, prout cuique libuerit; mihi vero necesse est ea literis mandare, sicut in sacris literis conscripta habentur;“ de bello jud. 6, 5, 4. praecipuam causam belli judaici fuisse dicit „vaticinium ambiguum in ss. literis repertum, illis circiter temporibus quemdam ex ipsorum regione orbis terrarum imperio potiturum. Id enim illi quidem quasi sibi proprium acceperunt, multique sapientes interpretatione decepti sunt. Significabat nempe oraculum Vespasiani principatum, qui in Judaea declaratus est imperator;“ contra Appionem l. II. ait, sapientiores Graecorum eodem modo, ac Moysem de Deo cogitasse. — Quis jam haec, quae luculentissimis tum V. tum N. T. testimoniis contraria sunt, vere judaica esse sibi persuadeat? Quis credat, Judaeos in genere de rebus commemoratis ita cogitasse, uti Flavium sensisse loca citata probant?

Quod attinet Philonem, hic non modo cum Alexandrinis contra Palaestinenses in allegoricae interpretationis studio consensit; sed etiam ab his ipsis in pluribus materiis discessit; Alexandrinos enim non promiscue negasse daemonum existentiam et corporum resurrectionem, neque adeo pure moralem de Messia tenuisse notionem, qualem Philo fovebat, satis patet e libris deuterocanonicis V. T. maximam partem in Aegypto confectis *).

Ex dictis sequitur, nec Josephum, neque Philonem semper et ubique esse audiendum; illum non, ubi sectae suae aut accommodationis studium ad veritatem laedendam cum determinare poterat; non hunc, ubi suas peculiares sequitur sententias, quod utrumque potissimum ex dissensione a reliquis fontibus, nonnunquam vero ex rei natura aut plane e disertis declarationibus patet, uti in exemplis e Josepho citatis. In ceteris autem rebus, inprimis ubi cum aliis fontibus, in specie cum V. et N. T. consentiunt, testes probatissimi haberi possunt.

6. Talmud, i. e. corpus traditionum judaicarum e duabus partibus constans, nimirum e Mischna et Gemara. Mischna continet doctorum jud. brevi ante et post Christum florentium statuta, explanationes et effata, orta e fusioribus dissertationibus de consuetudinibus populi religiose ordinatis, de relationibus juris et vitae, et collecta atque in ordinem redacta, ut vulgo creditur, circa annum 190. aut 220. p. Ch. Tiberiade per rabbi Judam, quem sanctum vocant. Dividitur in sex ordines (Sedarim), hique in 60 tractatus (Massichthoth). Gemara complectitur additamenta nova explanativa, correctiva, restringentia aut extendentia, quae serius pariter collecta et in ordinem redacta sunt. Pars prima Gemarae (Gem. Hierosolymitana) anno Christi 230. vel 270. vel juxta alios adhuc serius a rabbi Jochanan Ben Elieser Hierosolymis ope duorum rabbinorum collecta est. Pars altera (Gem. Babylonica) potissimum comprehendit praecepta, quae ad Judaeos extra Palaestinam degentes spectant, et composita est per rabbi Joseph sub initium saeculi VI. **)

---

*) Cfr. Stahl in Eichhornii bibliotheca orientali vol. IV. pag. 771. seqq.

**) Cfr. Wolfii biblioth. hebr. part. II. pag. 674. 684. et kathol. Vierteljahrsschrift für Wissenschaft und Kunst, herausg. von den Professoren der kathol. Facultät zu Bonn 1848. I. Heft S. 51. flg.

Quamvis autem hae traditiones maximam partem aetati antiquissimae originem debent vereque judaicae sunt: alias tamen earum ad sententias christianas immutatas esse, alias plane novas accessisse, merito suspicari licet *). Ubi hoc locum habeat, cognoscitur ex dissensu Talmudis a reliquis fontibus judaicis; ubi cum hisce consentit, non est, quod fidei ejusdem opponatur.

*Relate ad singulas Talmudis partes Mischnae propter antiquitatem major competit fides, quam Gemaris; inter has vero Hierosolymitana tum propter aetatem, tum ob patriam babylonicae praevalet **).*

§. 83.

ℷ De fontibus ethnicis.

1. Philosophi et mythologi graeci ac romani; nam gentiles, qui in s. Scriptura aut loquentes agentesve sistuntur, aut in genere respiciuntur, erant partim eruditi, partim illiterati. Illorum sententiae, praecipue religiosae, vix aliunde felicius cognoscuntur, quam e scriptis philosophorum, inter quae eminent Ciceronis libri de natura deorum, de divinatione et de officiis, cum auctor in hisce operibus non suas tantum, sed aliorum quoque celeberrimorum philosophorum sententias exhibeat. Ad vulgi autem rudiorisque plebis opiniones cognoscendas praecipue adhibendae sunt mythologiae, veluti Ovidii metamorphoses; porro comediae, v. g. Terentii et Plauti; scripta poëtarum satyrica, uti Juvenalis; nam in hujusmodi operibus non tam eruditorum, quam potius plebis sententiae, mores ac consuetudines respici solent. — His adjungi merentur

2. *Historici et itineraria. Priorum plures subinde talia referunt, quae gentilium, quorum in ss. literis mentio fit, conditionem externam et indolem internam sat clare illustrant, et in genere ethnicorum cogitandi sentiendique rationem pandunt, ut Tacitus et Suetonius; praeterea plures eorum, praesertim antiquiores, plerumque res et eventus non nude, sed ita describunt, ut simul motiva et consilia agentium, sensa affectionesque patientium cognoscantur.*

Idem valet de itinerariis; licet namque multo recentiora sint, quam ut testes agant aetatis biblicae: tamen, quum Orientales fere ubique sibi aequales esse soleant, non prorsus rejicienda sunt. Quae sint eorum praecipua, archaeologia docet ***).

---

*) Idem valet de Abenesrae, Maymonidis, Abarbanelis aliorumque eruditorum Judaeorum saec. XIII. commentariis in Talmudem, nec non de Cabbala, i. e. opere, quod systema Judaeorum theologicum continet.

**) Cfr. Eisenmenger's neuentdecktes Judenthum. Frankfurt 1700., jussu regis Borussiae denuo impressum Regiomontii 1711., et opera §. 54. 6. citata.

***) Cfr: Das Morgenland von Gustav Klemm. Leipz. 1849.

De cultura spirituali loquentis, quatenus influit B) in orationis formam.

§. 84.

Conspectus.

Quod de culturâ loquentis, quâtenus influit in orationis materiam, interpreti ss. literarum necessario respiciendâ diximus, de eâdem etiam valet, quatenus influit *in orationis formam, per quam intelligimus cogitata sensaque sua vel sermone, vel scripturâ exprimendi, res referendi et in genere loquendi aut scribendi modum,* Nam modus hic (dictio et stylus) est externa manifestatio internae culturae literarae, quae a mediis adhibitis et animae facultatibus ac conditione dependet, et proinde diversis aetatibus et regionibus, in variis hominum classibus, imo in singulis personis varia est, et in auctoribus biblicis aut tenuis, aut alius generis erat, ac in scriptoribus nostri aevi, ad quod si vel plane non, vel justo minus attendit interpres, in errores gravissimos deducatur, necesse est. *In sequentibus itaque agemus:*

I. De indole scribendi rationis biblicae in genere; dein

II. de impropria dicendi ratione in specie, et quidem *1. in singulis, 2. in continuis dictis (a)* allegoriis, *b*) symbolis et typis, *c*) parabolis et fabulis);

III. de gnomis;

IV. de emphasibus, et

V. de locis V. T. in N. F. obviis:

§. 85.

I. De indole scribendi rationis biblicae in genere.

Ad hanc delineandam sequentia sunto:

1. Relationes, quas continent primi Hebraeorum libri, ex ea descendunt aetate, qua genus humanum adhuc erat in statu infantiae, ac proinde in infimo culturae literariae gradu, et licet illa scripta veritates summi momenti ex revelatione haustas referant, modus tamen hasce proponendi saepe non tam respondet earum sublimitati, quam literariae hominum illius aevi culturae; hinc

2. partim ob penuriam linguae, partim quo divina attributa eorumque effectus sensualium hominum captui propius admoveantur, partim denique ad ens supremum, benignissimum omnium bonorum auctorem, Patrem tenerrimae sollicitudinis et objectum summae venerationis ac dilectionis super omnia vividius repraesentandum, perquam frequenter in ss. literis occurrunt de Deo expressiones

a) anthropomorphicae, quatenus ei adscribuntur forma et membra corporis humani: oculi, aures, os, manus, pedes; v. g. „Manus Domini tetigit me“ Jobi 19, 21.; „in manus tuas commendo spiritum meum“ Ps. 31, 6.;

b) anthropopoeiticae, dum Numini adjudicantur humanae agendi rationes: ire, descendere de coelo, ambulare, videre, audire; v. g. Genes. 11, 5. „Descendebat autem Dominus, ut videret civitatem et turrim, quam aedificabant filii Adam;" item

c) anthropopathicae, si enti supremo humanae tribuuntur inclinationes, animi motus, affectus, passiones, ut: tristitia, poenitentia, ira, odium al.; v. g. I. Sam. 15, 35. „Quoniam Dominum poenitebat, quod constituisset eum (Saulum) super Israel," licet eodem capite v. 29. legamus: „Verus Deus Israelitarum non mentitur, neque eum poenitet; nam non est homo, ut poeniteat eum."

3. Orientales sub calidiori coelo degentes, fervidiori ingenio et vividiori imaginatione praediti, delectantur hyperbolis, comparationibus, similitudinibus ac tropis frequentioribus atque insolentioribus, qui nonnunquam mutuantur a rebus, ut nobis videtur, contemtis; v. g. Genes. 49, 14. Issachar vocatur asinus ossis, i. e. robustus; Deuter. 33, 17. Josephi pulchritudo celebratur qua pulchritudo primogeniti tauri, Jerem. 25, 30. Jehova dicitur rugire ex alto, et alia.

*4. Ob vividiorem cogitandi et loquendi rationem, praecipue vero ad sensus animumque magis feriendum Orientales amant repraesentandi modum per actiones symbolicas, quibus eventus futuri ceu facta jam adimpleta ob oculos sistuntur; porro veritates sublimes sub fictionum et parabolarum involucris proponuntur *).*

5. Prophetae ratione habita populi, ad quem loquebantur, sensualis ac corrupti in vividiori et figurato dicendi genere maxime excellunt; hinc hyperbolae, allegoriae, similitudines, comparationes audaciores occurrunt, eaeque tales, quae non solum a nostra loquendi ratione haud raro abhorrent, sed hic ibi etiam liberiores sunt, ita ut nostrum pudoris sensum offendant, ut Ezech. c. 16. et c. 23. Cfr. §. 105.

Tempore Jesu et Apostolorum cultura literaria variis in regionibus florebat quidem, ast N. T. auctores eâ maximam partem carebant, et in scriptis suis, uti ipse Jesus in praedicatione sua, populari dicendi ratione utuntur, quae proprias sequitur regulas a scholae praeceptis saepe diversas. Dictio jam vero popularis esse solet

a) simplex ac penetrans, i. e. aliena a distinctionibus logice determinatis, et clausulis varios casus spectantibus; v. g. Mt. 5, 42: „Qui petit a te, da ei, et volenti mutuari a te ne avertaris:" Coloss. 3, 20.: „Filii, obedite parentibus per omnia;" Mt. 18, 22. "Dimitte fratri tuo non septies, sed usque septuagies septies;"

b) hyperbolica, i. e. ad lectoris vel auditoris attentionem excitandam rem ultra veritatis limites vel augens (auxesis), *vel minuens* (meiosis), *proindeque, quod interpretationem attinet, ita mitiganda, ut partim rei natura* Mt. 3, 5. Mr. 1, 33. Mt. 10, 22. Jo. 21, 25.) *partim contextus* (Jo. 3, 32. coll. c. v. 33.), *loca parallela* (Luc-

---

*) Cfr. Canticum canticorum ex hierographia Orientalium illustratum a Kistemaker

14, 26. eoll. c. Mt. 10, 37.), *principia loquentis primaria alias sive dictis, sive factis manifestata postulant* *). Cfr. I. Reg. 20, 10., ubi Benadad, rex Syriae, Achabo, Israëlis regi, renuntiat: „Haec faciant mihi dii, et haec addant, si suffecerit pulvis Samariae pugillis omnis populi, qui sequitur me," i. e. exercitus, qui me sequitur, copiosissimus est; Amos. 2, 9.: „Ego autem exterminavi Amorrhaeum a facie eorum, cujus altitudo cedrorum est, et fortis ipse quasi quercus," i. e. qui praegrandis et fortissimus est; Num. 13, 34.: „Ibi vidimus monstra quaedam filiorum Enac de genere giganteo, quibus comparati quasi locustae videbamur," i. e. vidimus homines insolitae magnitudinis, quibuscum comparati pusilli videbamur. Huc referenda sunt et ea loca, ubi quis dicitur auctor rei alicujus aut eventus, quem vel solum permisit, vel cujus tantum occasionem praebuit. Sic v. g. legimus Rom. 9, 18. Deum, quem vult, indurare; Jo. 9, 39. Christum in judicium venisse in mundum, ut, qui non vident, videant, et qui vident, coeci fiant (cfr. 3, 17.); Mt. 10, 34. 35. Christum non venisse pacem missurum in terram, sed gladium, separaturum hominem adversus patrem suum, et filiam adversus matrem suam et nurum adversus socrum suam; Mr. 7, 12. Pharisaeos ob traditionem suam non permittere parentibus opem ferre, et similia (cfr. Jos. 11, 29. I. Sam. 2, 25. I. Reg. 12, 15. Is. 6, 10. II. Sam. 12, 8. al.);

c) figurata; nam imago feliciter selecta facile in memoria retinetur, ejusque recordatio frequenter excitatur; praeterea, ut ait s. Augustinus, parva fit cum parvis, et magna cum magnis; intelligitur enim a parvulo, et in animum rudioris delabitur seminis instar, quod sensim progerminat, et abjecto involucro in arborem excrescit; sed etiam cultiori optime respondet; nam ut ad omnem, ita ad totum hominem loquitur, ingenium (Witz), *mentem animumque eodem modo occupans.* Hancce dicendi rationem Judaeis tempore Jesu valde fuisse adamatam, edocemur v. g. e talmudis tract. Sota 9, c. 15., ubi tertiam partem sermonum rabbi Maeiri e מְשָׁלִים constitisse legimus. Jesus itaque eodem dicendi genere utens non tantum morem gentis suae eruditorum sequebatur; sed etiam, quod omnibus respondet, sapienter elegit. Sic multo magis, quam praecepta abstracte proposita feriunt dicta Christi sequentia: „Si oculus tuus dexter te scandalizat, erue eum et projice abs te etc. Mt. 5, 29.; „Si quis te percusserit in dexteram maxillam tuam, praebe illi et alteram" Mt. 5, 59.; „Dimitte mortuos sepelire mortuos suos" Mt. 8, 22. et alia. Huc pertinent

---

*) „Hyperbole est ementiens superjectio. Virtus ejus ex diverso par augendi et minuendi." Quintill. instit. orat. lib. VIII. c. 6.

„Monere satis est, mentiri hyperbolen, nec ita, ut mendacio fallere velit." Idem l. c.

„Sic verba rem, quae indicatur, excedunt, ut voluntas loquentis nec fallentis appareat, qui novit, quousque credatur, a quo ultra, quam credendum est, vel minuitur loquendo aliquid, vel augetur." S. August. comment. in Joann. c. 21. Cfr. Kirchenlexicon von Wetzer und Welte sub voce Hyperbel.

d) expressiones de Deo symbolicae, quae tum ob causas superius numero 2. indicatas, tum ob usum loquendi veteri foedere sacratum in N. T. quoque frequenter leguntur, et quidem

α) anthropomorphicae; v. g. Mt. 18, 10. (facies); Luc. 23, 46. al. (manus); Mt. 26. 64. al. (dextera); Luc. 1, 51. (brachium); 11, 20. (digitus); Mt. 4, 4. (os); 5, 35. (pedes); Jo. 1, 18. (sinus); Luc. 1, 58. (viscera) etc.;

β) anthropopoeiticae, uti Luc. 1, 48. (respicere); 1, 68. 78. 7, 16. (visitare); I. Cor. 2, 21. Hebr. 1, 9. (ungere); Joann. 6, 27. al. (obsignare); Act. 13, 33. al. (gignere Filium); Luc. 1, 54. 72. (recordari): Apoc. 7, 17. (abstergere lacrymas); Act. 10, 38. al. (ungere Spiritu); Mt. 26, 64. al. (sedere ad dexteram Dei); Luc. 10, 20. Philipp. 4, 3. Apoc. 3, 5. al. scribere in libro vitae et alia;

γ) anthropopathicae, ut Luc. 1, 50. al. (misericordia); Rom. 2, 4. 5. al. (patientia, longanimitas, ira) et alia.

Hisce tamen non obstantibus a veritate longe aberraret, qui libris biblicis aestheticum abjudicaret pretium, quod in ingenioso materiae tractandae selectu, in idoneo expressionum et phrasium usu, in dextra orationis dispositione et in apta figurarum varietate consistit, quodque non solum in scriptis et partibus poëticis s. Scripturae, sed etiam in historicis, didacticis ac propheticis plus minusve reperitur. Sic

1. quod attinet materiae tractandae selectum (inventionem classicorum), *ideae, quae ex omnibus libris biblicis eminent, ad illas profanorum auctorum se habent, ut veritas ad fictiones, spiritualia ad sensualia, coelestia ad terrena, aeterna ad temporalia, et si haec vulgaribus lectoris desideriis satisfaciunt, inferioribus stimulis arrident, illa sublimioribus indigentiis respondent, dum mentem vere illustrant, animum ad sensa nobiliora elevant, voluntatem ad malum fugiendum bonumqne faciendum movent.*

2. Relate ad dictionem, haec sublimis invenitur non tantum in scriptis poëticis proprie sic dictis, sed etiam in canticis, sententiis et sermonibus poëticis, qui libris historicis inserti sunt, ut Exod. c. 15., Deut. cc. 32. 33., Judic. c. 5., II. Sam. c. 22. coll. cum Ps. 18., Luc. 1, 46—55. 68—79.; *alia vero scripta ipsâ simplicitate suâ et psychologicâ veritate delectant*, ut liber Ruth, Jonae, Tobiae, porro dialogi et narrationes antiquitatis, v. g. II. Sam. c. 14., Gen. c. 24., in Evangeliis, praecipue in scriptis s. Joannis, in quibus narrationes et doctrinae annulorum instar complexae sese excipiunt, ita ut fere singulae sententiae in praecedentibus lateant, et ex sequentibus pateant.

3. Respectu dispositionis et tractationis praeter libros poëticos ex prosaicis scriptis nominari merentur illa, in quibus idea primaria clare pellucet, ut in Ev. s. Matthaei et s. Joannis, in ep. ad Hebraeos. Ita etiam narratio Exod. c. 7—11. de 10 plagis Aegypti est egregia, quia eminet idea de omnipotentia Dei et renitentiae humanae vanitate. Idem valet de Evangelio infantiae Jesu Christi Luc. cc. 1. et 2., ubi singula symmetrice junguntur ut in praeludio ad sequentem symphoniam praeparandam composito. *In aliis scrip-*

tis ideae non artificiose quidem dispositae sunt, modo tamen naturali et legibus psychologicis respondente procedunt, ut in ep. I. s. Petri et in illa s. Jacobi. Denique

4. intuitu figurarum varietatis, vix tantam reperies in profanorum operibus, quanta in codice sacro invenitur; imo quod illis deest, per integrum V. et N. T. dispersum deprehenditur, nimirum gnomae, i. e. sententiae praegnantes, paucissimis verbis multum comprehendentes, porro parallelismus membrorum multiformis et parabolae, quae praecipue in N. T. inter dicendi modum poëtae sublimem et philosophi abstractum mediâ viâ incedentes, imaginum simplicitate non minus, quam idearum sublimitate excellunt, et perfectissimum popularis docendi rationis Jesu exemplar permanebunt. — Profecto, si Plinius cognitas habuisset libros nostros sacros, a partium studio alienus vix scripsisset ep. 3, 13.: „Invenire praeclare, enuntiare magnifice interdum etiam barbari solent; disponere apte, figurare varie nisi eruditis negatum est."

II. De tropis biblicis

1) in singulis dictis.

§. 86.

α) cognoscendis.

Ad sensum loquentis cognoscendum summi momenti est quaestio, num expressiones singulae proprie an tropice intelligendae sint; nam sive hoc, sive illud perperam statuatur, a veritate longe aberratur. Sic v. g. rabbinici interpretes carnales suis praejudiciis moti, nec non rationalistae recentiores suis principiis negativis ducti vaticiniorum messianorum V. T. literae ubique inhaerent, ideoque corticem pro nucleo habent, et suae prudentiae innixi Christum amittunt; contra autem alii literam plane negligentes tenorem realem, essentiam s. Scripturae in falsi spiritualismi vapores convertunt. Ne vero incertitudini ac fluctuationi sit locus, neve judicium ab obscura interpretis sensione dependeat, juxta solida principia sententia est ferenda.

Generalem hanc tenemus regulam: A propria vocum significatione tamdiu ne recedas, quamdiu contrarium non postulaverit necessitas vel suaserit evidens ratio; nam propriae vocum significationes sunt primitivae, tropicae autem tantum accessoriae; illae, ut ita dicam, jure possessionis ordinarie gaudent, quod his nonnisi rationibus sufficientibus vindicare fas est.

Talis autem necessitas aut evidens ratio adest, si vocibus proprie intellectis

1. in rebus fidei et morum christianorum sensus prodiret a doctrina ecclesiae catholicae abhorrens, v. g. Mt. 5, 29. 30. 18, 8. 9. 19, 12. Apoc. 20, 4. al.; si

2. *in rebus rationis captum non transcendentibus vel α) non conveniret subjectum praedicato, quo in casu aut unum aut alterum tropice intelligendum est;* v. g. dum Amosi 4, 1. vaccae pingues, quae sunt in monte Samariae, egenis calumniam facere et pauperes confringere dicuntur, et audire jubentur; aut dum Mt. 8, 22. legimus: „Dimitte mortuos sepelire mortuos suos;“ vel β) *communi sensui repugnans, absurdus aut insanus emergeret sensus;* v. g. dum prophetae eventus futuros coloribus ex historia desumtis depingunt, ut Is. 11, 15. 16. Zach. 10, 11. Oseae 2, 15.; futuros hostes nominibus populorum jam diu exstinctorum designant, ut per Moab (Isaias), per Edom (idem et Amos), per Magog (Ezechiel) etc. Mt. 5, 6. esurire et sitire justitiam; v. 16. „Luceat lux vestra.“

Hisce tamen regulis solis, licet non exiguam adferant utilitatem, non omnes componuntur lites, praecipue si secunda α) et β) applicetur locis, ubi de objectis spiritualibus, de religionis nostrae mysteriis est sermo; nam in his ipsis judicium de absurdo maximis obnoxium est periculis, quia, quod est supra, etiam contra rationem esse facile videri posset. *Hinc interpres cath.*

a) in rebus fidei et morum christianorum tuto sequatur analogiam biblicam, sensum ecclesiae et ss. Patrum consensum. V. g. quae Zach. c. 9. de adventu Messiae asino vecti, c. 11. de triginta argenteis, Ps. 21. de divisione vestimentorum, de manuum pedumque perforatione, Zach. 12, 10. de perfosso latere, Is. 53, 9. de sepulchro Christi apud divitem etc. leguntur, proprie intelligenda esse, ex N. F. omni cum certitudine edocemur; nam utrinque unus idemque Spiritus s. loquitur, qui opus redemtionis in V. T. praeparavit, in N. F. autem ad finem perducit.

b) in reliquis locis, uti etiam ad vindicandum ecclesiae sensum consulat

aa) contextum coll. §. 58. et 59.

bb) loca parallela coll. §. 63.

cc) loquentis consilium coll §. 74.

dd) gestum et pronuntiationis tonum, et quod cum hisce arcte cohaeret,

ee) animi loquentis affectionem coll. §. 70. et 76.

ff) culturam intellectualem ac moralem, et in specie principia loquentis primaria coll. §. 79.

c) In ejusmodi locis speciatim, ubi subjectum et praedicatum copulatur per verbum esse, seu identicum declaratur, se quentes casus distinguendi, et inde resultantes canones observandi sunt:

1. Si subjectum et praedicatum per substantiva exprimitur, aut

α) subjectum personam, praedicatum vero rem indicat; aut

β) subjectum et praedicatum personas significat; aut

γ) subjectum rem, et praedicatum personam innuit; aut denique

δ) subjectum et praedicatum objecta materialia (res sive animatas sive inanimatas) *denotat.*

In primo casu significatio praedicati impropria est; verbum „esse" in casu altero pro personarum conditione jam proprie, jam improprie, in tertio et quarto semper improprie (significare, imaginem esse) *intelligendum.* V. g. ad α) Mt. 5, 13. ὑμεῖς ἐστε τὸ ἅλας τῆς γῆς; v. 14. ὑμεῖς ἐστε τὸ φῶς τοῦ κόσμου· Jo. 15, 1. ἐγώ εἰμι ἡ ἄμπελος ἡ ἀληθινή = ego in rebus coelestibus, originariis (urbildlich) sum id, cujus his in terris vitis est imago, seu mei (essentiae et efficaciae meae) imago est vitis; v. 5.: „Ego sum vitis, vos palmites estis" = quod in rebus hujus terrae sunt vitis et palmites, idem in rebus altioris ordinis ego sum et vos estis; ad β) Jo. 13, 13. εἰμὶ γάρ (ὁ διδάσκαλος καὶ ὁ κύριος); ibid. 15, 1.: „Pater meus agricola (vinitor) est = idem in asseclis meis Pater, quod vinitor in palmitibus vitis facit; Mt. 13, 39.: „Messores angeli sunt." Jo. 10, 11. 14.; ad γ) Apoc. 1, 20.: „Septem stellae angeli sunt septem ecclesiarum;" Dan. 7, 24.: „Cornua reges sunt;" ad δ) Gen. 41, 26.: „Septem boves . . . . sunt septem anni;" Mt. 13, 38.: „Ager est mundus."

2. *Quodsi subjectum per pronomen demonstrativum vage atque indefinite exprimitur, distinguendum est, num usus loquendi, hominum consensio aut consuetudo et rei destinatio significationem propriam postulet, an eam excludat.* Sic v. g. si quis digito monstrans imaginem aut figuram dicit: Hic est Socrates, ille est Petrus aut Paulus, ob rationes mox commemoratas nemo nescit, verbum esse hic improprie adhibitum denotare i. q. repraesentare, ita ut sensus sit: Imago haec repraesentat Socratem, seu haec est imago Socratis, Petri aut Pauli. Si vero Christus Mt. 26, 26. 28. dicit: τοῦτό ἐστι τὸ σῶμά μου· τοῦτό ἐστι τό αἷμα μου: verbum ἐστί proprie, et pronomen τοῦτο identicum cum praedicato (τὸ σῶμά μου — τὸ αἷμα μου) intelligendum est, quia nemo unquam panem imaginem corporis sui dixit, neque panis ac vinum ad id destinata sunt, ut corpus et sanguinem hominis repraesentent, nec denique τοῦτο ad ἄρτον ob generis diversitatem referri potest. Cfr. contra ad Gal. 4, 24.

§. 87.

β) interpretandis.

Quodsi tropicam quodam in loco adesse dictionem certo constat, interpretis est vim ejus impropriam investigare, quod difficultatibus obnoxium non est, si auctor ipse adjectis terminis propriis troporum significationem indicat, ut v. g. nonnunquam fit in parallelismo membrorum. Ubi autem ejusmodi indicia desunt:

1. *rem, quae tropica voce proprie exprimitur, probe cognoscas,* et quia omnes tropi affinitati, ac plerique similitudini certorum objectorum originem debent,

2. *cum quanam re objectum, tropica voce proxime seu proprie indicatum, in affinitatis, praecipue in similitudinis nexu sit positum, seu tertium comparationis inquiras,* v. g. sal, lux, pastor. Cum autem et similitudinis ratio inter objectum, unde desumtus est

tropus, et res, quae tropo improprie indicantur, haud raro multiplex esse possit:

3. *ad usum loquendi attendas, nec non de rebus, unde desumti sunt tropi, Orientalium cogitandi sentiendique rationem investiges, a nostra haud raro diversam.* Sic tropi biblici ab animantibus quibusdam desumti, et ad nostram cogitandi rationem exacti indecentes ac ridiculi videntur; ast apud antiquos Hebraeos haec animalia magni habebantur, hincque tropi ab hisce repetiti ad orationis lumina pertinebant. Sic dum Genes. 49, 14. Issachar dicitur asinus ossis (robustus), recordandum, asinum apud Orientales magni esse habitum, fuisseque imaginem roboris, patientiae, pacis *). — Quia vero etiam pro usu loquendi significatio impropria varia esse potest,

4. *contextum respicias docentem, quae e pluribus similitudinibus certo in loco sit praeferenda* coll. §. 59.

De impropria dicendi ratione

2) in continuis dictis.

§. 88.

Observationes generales.

Tropi, de quibus in praecedentibus erat sermo, magis minusve locum habent in singulis expressionibus et earum notionibus. Fieri autem solet, ut non tantum integrae sententiae, sed etiam continuae cogitationum series impropriis dicendi modis proponantur, quales in ss. literis occurrunt: *allegoriae, imagines ac similitudines, symbola et typi, parabolae et fabulae.*

Licet jam haec dicendi genera a se invicem differant, ut ex definitionibus eorum patebit, in sequentibus tamen conveniunt, et quidem singula, si

1. *in se considerentur,*

a) *sunt impropria, quae sensum involvunt mediatum, a loquente scilicet expressum mediante imagine, re, actione aut narratione, quae verbis proprie intellectis indicatur;*

b) *saepius quaedam continent, quae non sunt significativa, sed ad merum ornatum, ad rem aut narrationem verosimiliorem redden-*

*) Den Schimpfnamen des Esels, wenn nur mit dem Beisatze des wilden, kann sich ein Mann von Ehre und Geist, der mit morgenländischen Geschichten und Gedichten vertraut, immer als Ehrennamen gefallen lassen; denn abgesehen von dem ausführlichen, dem Esel durch Erasmus von Rotterdam ertheilten Lobe (Laus asini); abgesehen von der berühmten homerischen Vergleichung des Helden Ajax mit dem von Buben aus dem Acker gejagten Esel; abgesehen von den Stellen des Buches Job, in welchen der wilde Esel als das Symbol ungebundener Freiheit der Wüste gepriesen wird (Job 11, 12. 39, 5. 24, 5.): so gilt der wilde Esel den alten Persern als ein Bild königlicher Stärke und unbezwungenen Muthes." Hammer-Purgstall's Leben Khlesl's I. Thl. S. 232.

dam et vivide repraesentandam spectant. Quemadmodum nimirum in tabulis ac picturis symbolicis ipsa integra dumtaxat figura est symbolum rei illudque significat, quod pictor repraesentare voluit, nequaquam vero omnia et singula, quae ad figurae pertinent integritatem: ita et allegoriis, parabolis. symbolis ac typis saepe quaedam addita sunt, quae non ad rem significandam, sed solum ad imaginis perfectionem spectant. Si v. g. in tabula coloribus depingitur matrona velatis oculis stateram in una, gladium in altera manu tenens, tamquam symbolum justitiae: integra figura cum adjunctis principalibus, nimirum statera, gladio, velatis oculis justitiam significat; ast capilli, vestimentorum forma et ornamenta etc. nihil significant, licet ad integritatem figurae necessaria sint, in quibus si quis significationem quaereret, ab ipso pictore merito derideretur. Attamen

c) eo aptius ac felicius adhibita sunt, quo pluribus in partibus imago cum re ipsa convenit; hinc

d) interpretis est, in parabolica praecipue dicendi ratione Christi, divini magistri, jam a priori in singulis partibus significationem supponere, et ab hac nonnisi tum recedere, si vel aa) non sponte se offert, vel bb) hanc illamve partem nonnisi ad ornatum additam esse, certo demonstrari potest.

Omnia praeterea illa dicendi genera, si

2. interpretatio eorum spectetur, in genere easdem sequuntur regulas, quas superius §. 87. de interpretatione troporum agentes proposuimus.

Hisce praemissis jam agemus

De allegoriis, symbolis et typis, parabolis ac fabulis, et quidem

§. 89.

α) Definiendis.

1. Allegoria est veritatis cujusdam repraesentatio per solam imaginem cognitam facta, seu est continuata metaphora, qua cogitata loquentis per plura similia ejusdem rei cognitae proponuntur, quin tamen aperte rei huic assimilentur aut cum ea comparentur, uti fit in similitudinibus ac comparationibus. V. g. Ezech. 17, 22—24. legimus: „Haec dicit Dominns Deus: Et sumam ego de medulla cedri sublimis et ponam; de vertice ramorum ejus tenerum distringam, et plantabo super montem excelsum et eminentem. In monte sublimi Israël plantabo illud, et erumpet in germen, et faciet fructum, et erit in cedrum magnam, et habitabunt sub ea omnes volucres et universum volatile sub umbra frondium ejus nidificabit. Et scient omnia ligna regionis, quia ego Dominus humiliavi lignum sublime, et exaltavi lignum humile, et siccavi lignum viride, et frondere feci lignum aridum. Ego Dominus locutus sum et feci (facio)." — Sub hac imagine describitur futurus Messias ejusque regnum, ita ut per cedrum sublimem, e cujus medullâ particula sumta est, stirps davi-

dica; per teneram frondem de vertice ramorum ejus decerptam, in monte Israëlis excelso plantatam, in germen erumpentem, fructus facientem et in cedrum magnam accrescentem ipse Messias ceu infans tener ex Davidis posteris oriundus, publice inter Judaeos progrediens, et a parvis initiis regnum suum universale fundans; per omnes volucres sub cedro habitantes, et per volatilia sub umbra frondium ejus nidificantia cunctae gentes terrae in regno hoc tranquille degentes et fructus facientes; et denique per ligna regionis omnes reges hujus universi intelligantur, qui cognituri sint, a Deo regnum davidicum, quod prius sublime ac potens erat, esse humiliatum ac subjectum, humiliatum vero et vigoris expers per Messiam exaltatum et ad summam potentiam evectum. (Cfr. Mt. 13, 32). — Psalm. 80, 9—14. haec leguntur: „Vineam de Aegypto transtulisti, ejecisti gentes et plantasti eam. Dux itineris fuisti in conspectu ejus, plantasti radices et implevit terram. Operuit montes umbra ejus, et arbusta ejus cedros Dei. Extendit palmites suos usque ad mare, et usque ad flumen propagines ejus. Ut quid destruxisti maceriam ejus? vindemiant eam omnes, qui praetergrediuntur viam? Exterminavit eam aper de sylva, et singularis ferus depastus est eam.“ Sistitur hac allegoria populus israëliticus a Deo ex Aegypto in Palaestinam deductus, omnibus necessariis instructus, crescens atque invalescens, ast serius singulari Dei munimine privatus, omnibus hostibus expositus, a rege feroce devastatus spoliatusque. — Eodem modo Ezechielis 16, 1—60. sub imagine puellae mox post nativitatem expositae, a Deo autem susceptae, deliciose educatae, splendide ornatae, denique in matrimonium ductae, quae tamen serius evasit adultera et prostituta meretrix, ita ut sororem suam Sodomam impudicitia sua longe superaret, — depingit propheta beneficia in gentem judaicam a Deo inde ab origine ejus, praesertim in Arabia petraea et serius collata, nec non gentis hujus animum ingratum, utpote quae non obstante summa Dei benignitate ac singulari cura in idololatriam magis magisque delapsa, et omnes hac in re limites adeo transgressa est, ut rempublicam Moabitarum et Amonitarum praecelleret. Ita quoque Mt. 3, 12. sub imagine ventilabri, quod est in manu illius venturi, qui aream suam permundaturus, triticum in horreum congregaturus, paleas autem igne inextinguibili combusturus est, repraesentatur potestas et voluntas, quae mox venturo Messiae competit, discretionem hominum universalem suscipiendi, quum rite dispositos et dignos in regnum suum recepturus, perversos vero obstinacesque ex eo rejecturus et poenis aeternis destinaturus sit. — Exempla comparationis et similitudinis sunt: Mt. 3, 16. 10. 16. 17, 20. Luc. 11, 44. 21, 5. I. Cor 3, 10. I. Thess. 5, 2. II. Tim. 2, 17. Jacobi 1, 10.; Mt. 24, 37. 38. Jac. 2, 26.; Mt. 12, 45. 18, 14. 23, 28. Luc. 14, 33. 17, 10. Jo. 3, 8. I. Cor. 9, 14. 14, 12. 15, 42. Gal. 4, 3. Jac. 1, 11. 2, 17. 3, 5. et alia. *Imago obscurior aut dictum adeo paradoxum, ut inde res significata nonnisi peculiari ingenii acumine cognosci possit, aenigma dicitur*, quale legitur Judicum 14, 14. „De comedente exivit cibus, et de forti egressa est dulcedo,“ et cujus solutio exhibetur v. 18. „Quid dulcius melle,

et quid fortius leone?" Aenigma Apostolis videbatur dictum Christi Mt. 15, 11. coll. cum v. 15.

2. *Per symbolum* *) *respectu religioso intelligimus rem, actum aut ritum significativum vel ad facta et eventus pristinos in memoriam revocandos, vel ad veritates religiosas repraesentandas, vel ad eventus futuros delineandos. Hinc symbola triplicis sunt generis:*

a) historica, quibus eventus pristini in memoriam revocantur, v. g. Exod. 12. 1—13. Levit. 23, 4—8. , Deut, 16, 1—8. agnus paschalis et festum paschale; Levit. 23 ,34—43. festum tabernaculorum, et in genere festa Iudaeorum et alia;

b) religiosa, quae sunt quasi monimenta (Denksteine), *quibus veritatum religionis recordatio excitatur*, v. g. circumsio in signum circumcisionis cordis coll. Levit. 16, 4. Deut. 10, 16. 17. Rom. 5, 25 — 29.; duo capri magno expiationis die coll. Levit. 16, 7. seqq.; lamina aurea in fronte summi sacerdotis coll. Exod. 28, 38.; immersio in aquam baptismalem coll. Rom. 6, 3. 4.

c) prophetica, quae sunt actiones significativae eventus futuros ceu facta jam adimpleta repraesentantes; v. g. si jubente Deo Isaias coll. c. 20. nudus et discalceatus incedit; Jeremias coll. c. 13. lumbare lineum ad Euphratem in foramine petrae abscondit, et post longius tempus putrefactum inde tollit; coll. c. 19. laguncułam testeam frangit; coll. c. 27. vincula et catenas ad diversos reges per legatos eorum mittit; si Ezechiel coll. 12. transmigrantis instar vasa sua deportat, parietem domus suae perfodit, ac vespere oculis velatis effertur; si Christus coll. Mt. 21, 18 — 20. ficulneam arefecit **).

---

*) Quod attinet symbolum in genere, probe discernendae sunt symbolicae res, denominationes, repraesentationes, actiones, expressiones et visiones. *a*) Res symbolicae sunt objecta sensualia, quae ex regno aut animali aut vegetali desumta ob proprietates physicas adhibentur ad spirituales designandas, uti v. g. ex animantibus leo, aquila, agnus; ex plantis cedrus, lilium album, rosa, myosotis, color ruber, albus, niger etc. *b*) Nomina symbolica vocantur, quae personae vel rei imponuntur aut ad essentiam ejus et attributa significanda, aut ad eventus praeteritos in memoriam revocandos, aut ad futura indicanda: v. g. Jehova. Adam, Abraham, Israël, Moses, Immanuel, Jesus, Joannes, Petrus etc. *c*) Repraesentationes symbolicae sunt picturae aut statuae arte factae, quibus certa attributa personarum instar exhibentur, v. g. justitia, conscientia, fortitudo, victoria. *d*) Actiones symbolicae sunt tales, quibus animi sensa, affectus, passiones declarantur, v. g. lotio manuum in signum innocentiae. *e*) Expressiones symbolicae sunt denominationes relationum spiritualium per humanas factae, quo praecipue pertinent expressiones anthropomorphicae, anthropopoeiticae et anthropopathicae, de Deo adhibitae; denique *f*) visiones symbolicae sunt phaenomena extraordinaria aut in se, aut ob peculiaria adjuncta, quibus Deus viris a se electis sive vigilibus, sive in somno, sive in extasi vel religionis veritates, vel eventus futuros manifestat; v. g. Act. 10, 10—16. 16, 9. 10. et visiones in Apocalypsi.

**) Ad quaestionem, num omnes actiones symbolicae in prophetarum libris descriptae revera locum habuerint, affirmative respondendum est; etenim 1) contrario semel admisso interpretum arbitrio lata aperitur janua, et omnis historiae certitudo evertitur; 2) in genere rarius tantum leguntur (Sedeciae, falsi prophetae, una I. Reg. 22, 11., in historia Ahiae Silonitae una I. Reg. 11, 29. seqq., Eliae duae II. Reg. 13, 15. seqq., apud Oseam una c. 1—3.: in Isaia una c. 20.); frequentius inveniuntur apud Jeremiam (13, 1—9. 19. 1. seqq. 27, 2. seqq. 32, 7. seqq. 35. 3. seqq. 43, 9. seqq. 51, 59. seqq.)

3. *Typus* **) *est persona, res vel actio symbolica, qua personae facta, fata et instituta N. T. juxta essentiam suam jam ante adimpletionem praesignificantur* (Typi personales et reales). Sic v. g. Jonas propheta tertio die e ventre belluae marinae editus praefigurabat Christum tertio die a mortuis resurgentem; exaltatio serpentis in furca, ut aspicientes in eum a morsibus serpentum sanarentur, adumbrabat exaltationem Christi in cruce salutiferam; Melchisedech, sacerdos Dei altissimi, erat typus Christi, N. T. pontificis.

4. *Per parabolam, ad instar hebr.* מָשָׁל *in ss. literis sensu latiore saepe quodcunque figuratum dicendi genus indicatur, uti similitudo, simile exemplum*, v, g. Mt. 13, 31. 32. 24, 32. 33., *proverbium* I. Sam. 10, 12. Ezech. 18, 2. Luc. 4, 23., *allegoria* Ezech. 17, 1—10. *Strictiori vero sensu parabola* est *narratio vel vera vel ficta, ex eventibus naturae aut vitae quotidianae petita, qua veritas quaedam sublimior repraesentatur. — Parabolarum*

a) aliae veritatem quandam clare ob oculos ponunt, v. g. illa de Samaritano misericorde Luc. 10, 25—37., de filio prodigo Luc. c. 15.;

b) aliae veritatis alicujus acerbitatem obtegunt, quo magis fulmina ejus cognitae feriant, v. g. II. Sam. 12, 1—9. de divite et paupere: Luc. 14, 16—24. de homine lautas epulas parante; Mt. 21, 33—46. de vinitoribus perfidis;

c) aliae explicantur, ut Mt. 13, 1—8. coll. cum v. 18—23.; ibid. v. 24—30. coll. cum v. 37—42.;

d) aliae lectori enucleandae relinquuntur, ut Mt. 22, 1—14. de epulo et veste nuptiali; c. 25. de virginibus paranymphis et talentis concreditis; Luc. 13, 6—9. de ficu fructus non ferente; 16, 1—9. de dispensatore provido; ibid. v. 19—31. de Lazaro mendico; 18, 9—14. de Pharisaeo et portitore orantibus in templo;

c) *in aliis omnes partes sunt significativae*, ut Mt. 21, 33. seqq.; *in aliis vero plura ornatus causa addita sunt*, v. g. Luc. c. 15. de filio prodigo coll. §. 74. *)

---

et Ezechielem (4, 1—17. 5, 1. seqq. 12, 1. seqq. 24, 3. seqq. 15—27. 37, 15—20.), quod docet, actiones tales inter peculiaritates singulorum virorum Dei numerandas esse; 3) ad nonnullas actiones symbolicas aperte adnotatur, homines praesentes fuisse testes, et significationem illarum sciscitatos esse (Ez. 12, 1—7. coll. cum 8—16. 24, 1. seqq. coll. cum v. 19. 37, 20. Jer. 28, 10. coll. cum v. 1. 5.); 4) rationes possibilitati aut probabilitati nonnullarum actionum symbolicarum oppositae vanae cognoscuntur, dummodo *a)* nostras morum et urbanitatis leges aevo antiquo et Orientalium vivendi rationi non obtrudamus; *b)* actiones symbolicas ad ipsum prophetam instruendum destinatas ab illis distinguamus, quae coram testibus perficiendae erant; *c)* difficultates summas, a quibus viri Dei haud adhorrebant, cum impossibilitate non confundamus; denique *d)* interpretationis regulis rite adhibitis textui sacro non aliena inferamus, quod praecipue valet de Is. c. 20., Ezech. c. 4., Oseae c. 1—3.

*) *τύπος* Rom. 5, 14. al.; *παραβολή* Hebr. 9, 9.: *ἀλληγορούμενον* Gal. 4, 24.; *πνευματικόν* I. Cor. 10, 3—11. Apoc. 11, 8.; *ὑπόδειγμα* et *σκία* Hebr. 8, 5.

**) Cfr: Von den Eigenschaften und Vorzügen der Parabeln Jesu in opere: Vorlesungen aus der Pastoraltheologie von J. M. Sailer. I. Band.

5. *Fabula est repraesentatio sententiae alicujus per narrationem fictam, in qua animalia aut res inanimatae loquentes agentesve inducuntur.* Fabulae in V. T. occurrunt Judicum 9, 7—15., ubi arbores regem sibi constituere volunt; II. Reg. 14, 9. et II Chron. 25, 18., ubi carduus ambit filiam cedri.

Discrimen inter haec dicendi genera situm est in indole narrationis, actionis aut rei in se consideratae, et ad subjectum, cui tribuitur, relatae; nimirum factum narratum in fabula est impossibile ac proinde fictum; eventus exhibitus in parabola est tum possibilis, tum probabilis; res descripta in allegoria est possibilis quidem, non tamen probabilis; res, actus aut ritus symboli et typi non tantum possibilis ac probabilis et, sed etiam historice verus, objective certus. Typus ab omnibus nominatis speciebus eo differt, quod in hisce imago repetitur ex sensualium, terrenorum regno, in illo vero ex sphaera religiosa et ethica.

§. 90.

b) Cognoscendis.

1. Allegoria, cum sit continuata metaphora, adhibitis iisdem regulis cognoscitur, quas superius §. 86. de tropis proposuismus.

2. Symbola ac typi in ss. libris neque omnino sunt repudiandi, neque temere statuendi; α) non plane repudiandi, quia ipsâ s. Scripturâ teste, ss. Patrum consensu et ecclesiae fide tales in ss. literis revera adsunt; β) non temere statuendi, quoniam, etsi testante s. Paulo lex antiqua novae fuit umbra (Coloss. 2, 17. Hebr. 8, 5., 10, 1.), *ideoque V. T. instituta insigniorumque virorum fata in genere recte habentur significativa, justo tamen majori hac in re licentiae indulgens in periculo versatur, ne Deo et invito hic ibi obtrudat consilia, a recto aberret tramite, interpretationesque suas adversariorum exponat ludibrio.*

Filius Dei nimirum, cum sit splendor gloriae et figura substantiae Patris (Hebr. 1, 3.), prototypus est non tantum universae creaturae, sed incarnatus nostrae salutis causa, etiam omnium, quae ad redemtionem pertinent; Christus totius historiae fundamentum ac centrum est; fundamentum quidem, quia ratione habita ejus solius, qui serpenti caput contriturus esset (Gen. 3, 15.) et omnia in integrum restituturus (Apoc. 21, 5. Rom. 8, 19—22.), executioni non est data illa sententia divina: „In quocunque die comederis ex eo, morte morieris“ (Gen. 2, 17.) *); centrum autem, quia sicut in ecclesia N. T. et in animis Christianorum vere talium ad eum denuo

---

*) Cfr. Adam und Christus, von Dr. Joh. Heinr. Pabst, Wien 1835. Dr. Anton Günther: Uiber die Philosophie der Offenbarung in: Zeitschrift für Philosophie und speculative Theologie herausgegeben von Dr. J. H. Fichte. II. Bd. pag. 332. seqq.; Süd- und Nordlichter am Horizonte speculativer Theologie. 11. Brief. pag. 179. seqq.; Vorschule zur speculativen Theologie. II. Abtheilung, 2. vermehrte Auflage, Wien 1848. Sechster Brief, pag. 120. seqq.; Dr. Bonif. Gams: Ausgang und Ziel der Geschichte. Tübingen 1850.

efformandum cuncta tendunt: ita et in institutis divinis et in factis, fatis sensisque electorum V. T. a Deo directis ad illum (Christum) ejusque regnum praeformandum omnia congruunt. Haec vero relatio non solum similitudine inter res et eventus utriusque foederis, sed unius ejusdemque Spiritus s. dispositione nititur, utpote quae utrinque apertissime semet manifestat, et quae ut ecclesiae triumphantis lineamenta in ecclesia militante, ita hujus germina jam in regno Dei V. T sapientissime ordinavit, quemadmodum in hominum vita propensiones et fata infantis virum futurum praeformare solent, et in rerum natura surculus tenuis illas formas jam continet, quae serius in arboris perfectioris floribus ac fructibus explicite apparent. — Ast licet haec ita se habeant, tamen, quid, qua ex parte spectatum et quomodo typicum sit, nonnisi eatenus certum et omni dubio majus est, quatenus Spiritus s. in revelatione N. T. nos edocet (II. Petri 1, 20. 21.). Typica haec certis revelationis argumentis subnixa una cum symbolica mysticam (Mystik) constituit genuinam, qualis in ecclesia catholica invenitur; quidquid vero hac in re terminos justos transgreditur, mysticam nominamus dubiam, quae non necessario quidem spuria est, attamen illa certitudine objectiva non gaudet. De hac vero in appendice uberior occurret sermo.

Certa autem indicia, symbolum aut typum adesse quodam in loco, sunt sequentia:

a) Testimonium ipsorum V. T. scriptorum, Christi et N. F. auctorum; nam Christus, cujus Spiritus coll. I. Petri 1, 11. per sacros tum V. tum N. T. scriptores loquitur, sui ipsius infallibilis est interpres. Sic v. g. Adamum, agnum paschalem, serpentem in furca suspensum, Jonam, Melchisedechum typos fuisse Jesu Christi, haud obscure innuitur Rom. 5, 14. Joann. 1, 29. 36. 19, 36. I. Cor. 5, 7. Apoc. 13, 8. Jo. 3, 14. Mt. 12, 39. 40. Hebr. c. 7. Relate ad symbola historica ac religiosa cfr exempla §. 89. 1 a) b).

b) Consensus ss. Patrum ex traditione apostolica derivandus et ecclesiae fides; v. g. canticum canticorum; velum templi Christo moriente scissum coll. Mt. 27, 51.

c) Ratio sensus et consilii coll. §. 74. A.

d) Rationes symbolicae et typologicae; nam actiones a quodam in talibus adjunctis editae, ut nationi, in qua vivit, sint significativae, mediatum exprimant sensum, oportet. Sic v. g. sacrificans manum victimae imponens; Jesus coll. Mt. 21, 1. seqq. pullo asinino vectus Hierosolymam solenniter ingrediens; Pilatus coll. Mt. 24, 7., dum sententiam mortis in Jesum ferret, manus suas coram turba lavans peregerunt actiones, quibus significatio inerat Judaeis notissima.

e) Similitudo inter res, eventus aut instituta V. et N. T. manifesta, et quasi sponte se obtrudens, quae simul analogiae fidei biblicae respondet. Sic apparatus templi, prout in V. T. libris describitur, ob loca ad Hebr. 9, 6—10. et v. 24. merito habetur significativus. Idem valet de Melchisedechi sacrificio in pane et vino oblato coll. Genes. 14, 8. cum Hebr. 7, 1. et sacrificio N. T. incruento.

3. *Parabolae sensu strictiori cognoscuntur aut ex aperta scripris sacri declaratione cum indole narrationis comparata, aut ex ntextu, sermonis occasione et loquentis consilio.* Denique

4. *Fabulae ex ipsa rei natura discernuntur.*

§. 91.

c) Interpretandis.

In interpretandis hisce dicendi generibus mediatis:

1. *Sensum immediatum rei, actionis descriptae aut narrationis mmunibus hermeneuticae regulis adhibitis probe cognoscas, et nc in finem inprimis accuratam rerum biblicarum cognitionem bi compares;* nam sensu immediato ignorato mediatum determinare ipere quid hoc aliud esset, nisi „velle mysteria depromere nondum erta cista?“ *) Qui v. g. allegoriam Ps. 80., aut parabolam Mt. 1, 33. seqq. rite intelligere desiderat, accuratâ vinearum apud Juaeos plantandarum modi notitiâ gaudeat, necesse est.

2. *Sensum mediatum indages, et partes significativas definias. trumque vero cognoscitur*

a) in allegoriis, parabolis ac fabulis:

α) ex aperta declaratione, aut saltem e nutu quodam ipsius quentis in contextu obvio. Sic v. g. sensus mediatus allegoriae e aquila grandi magnarum alarum jubente Deo propositae ab Ezeiele 17, 1—10., coll. v. 12—21. ab ipso Deo, parabolarum Mt. 3, 3—8. et v. 24—30. ab ipso Christo explicatur; allegoriam Ps.). de populo israëlitico intelligendam esse, Psaltes jam v. 1. seqq., raecipue v. 7. innuit dicens: „Posuisti nos in contradictionem vicinis ostris, et inimici nostri subsannaverunt nos.“ Cfr. Judd. 9, 7. seqq. m v. 6. et v. 16. seqq. Ubi autem ejusmodi indicia desunt,

β) ex occasione sermonis et consilio loquentis, nec non ex ljunctis tum personarum, tum rerum biblicarum. Sic v. g. sensus ediatus allegorice dicti Jo. 11, 9. 10. ex occasione determinatur; am Apostoli coll. v. 8. vitae periculum, in quo Christus brevi antea ersatus erat, magistro in memoriam revocantes, eum ab itinere in ıdaeam dehortari conantur; hinc Christi consilium est, Apostolos ios docere, sibi, quamdiu muneris ratio postulat, nullum vitae perilum esse timendum, et sensus: Unicuique certa mensura temporis, uo muneris sui officiis fungatur, a Deo assignata est; si ergo quis uneris sui partibus satisfacit, peri ula non timet, quia divino muniine confidit; quodsi vero muneris sui officia negligit, habet, quod ericula formidet, quia confidentiâ illâ non amplius animatur. Jo. 2, 35. 36. ob occasionem v. 34. commemoratam sensus est: Brevi lhuc tempore ego, qui sum omnis verae cognitionis principium, ns et auctor, visibilis inter vos versor; negotium salutis vestrae eragite, quamdiu me habetis praesentem, ne mors mea vos increulos praeoccupet et in pertinacia vestra confirmet; quamdiu me

*) Cfr. Symbolik des mosaischen Cultus von Bähr I. 48.

verae cognitionis fontem, habetis praesentem, in me credite, ut a me edocti et sensum legis vere cognoscatis, sicque morte mea non scandalizemini. Cfr. Luc. 15, 11. seqq. cum v. 1. 2.; 19, 12. seqq. cum v. 11.; 23, 31. cum v. 27—30. II. Reg. 14, 9. cum v. 8. II. Chron. 25, 18. cum v. 17.

b) In symbolis ac typis:

α) ex testimonio ss. V. T. scriptorum, Christi et N. F. auctorum;

β) e ss. Patrum consensu et ecclesiae fide;

γ) ex rationibus symbolicis ac typologicis;

δ) ex similitudine manifesta, quae simul analogiae fidei biblicae respondet.

Sic ipso Deo interprete Isaias, Jeremias et Ezechiel exponunt, quid actiones ipsorum symbolicae significent, nimirum denotare illam Isaiae 20, 2. seqq., Aegyptios et Aethiopes nudos ac discalceatos (omnibus privatos ac miseros) in Aegyptum abductum iri captivos; Jeremiae c. 13, 1—11, humiliatum iri superbiam Judae, Hierosolymitanorum et populi judaici; c. 19., populum judaicum interiturum esse gladio, fame aliisque calamitatibus; c. 27., gentes finitimas subjugatum iri a Nabuchodonosore, eique servituras esse; Ezech. c. 12., fore, ut Judaei in captivitatem abeant, et eorum rex effugiturus nocte in humeris portetur, per foramen in muro factum educatur, sed comprehensus et excoecatus Babylonem deportetur. Cfr. v. 11. ac 12. — Ob testimonium Christi et N. T. auctorum agnum paschalem — imaginem propheticam fuisse Agni divini, qui aufert peccata mundi; Jonam per triduum in ventre piscis latentem praefigurationem Christi per tres dies in sepulchro reconditi; serpentem in deserto suspensum adumbrationem exaltationis Christi in cruce; Melchisedechum sacerdotem typum sacerdotii Domini etc. collatis locis superius §. 90. *a)* citatis recte tenemus. — Ita etiam ob auctoritatem Patrum consentientium canticum canticorum recte habetur symbolica repraesentatio spiritualis amoris Deum inter et populum judaicum, speciatim inter Christum et ecclesiam. Coll. Mt. 27, 51. velum templi Domino moriente scissum ex communi ss. Patrum sententia erat symbolica repraesentatio, peccatorum expiatione per mortem Christi factâ, clariori omnibus tam Judaeis, quam gentibus Dei cognitione reseratâ, et mediis efficacissimis paratis coelum, cujus sancta sanctorum templi erant symbolum (Hebr. 9, 24.), omnibus hominibus esse apertum. Oblationem Isaaci, agnum paschalem et manna Israëlitis datum typum fuisse ss. Eucharistiae, quatenus Christus se tum sacrificium Patri offert, tum panem vere coelestem nobis tradit, ecclesia exultans profitetur in hymno suavissimo, qui festo corporis Christi canitur, s. Thomae ab Aquinate tribuitur, et inter alia haec habet:

„In figuris praesignatur,
Cum Isaak immolatur,
Agnus Paschae deputatur,
Datur manna patribus."

Ob rationes symbolicas manuum impositionem in victimam significasse translationem culpae et mortis poenae in sacrificium ugen-

tum, e locis Levit. 1, 4. 5, 5. 16, 21. Num. 8, 7. abunde patet*). — Ex ratione similitudinis manifestae, quae simul analogiae fidei biblicae respondet, actionem Jesu symbolicam Mt. 21, 18—20. significasse rejectionem synagogae judaicae, a qua Jesus Messias bonorum operum fructus amori divino convenientes exspectare potuit, sed nihil, nisi legis ceremonialis observationem invenit, innuunt plura N. T. loca, uti Mt. 21, 43. Apparatus templi, qualis in V. T. describitur, coll. Hebr. 9, 6—10. et v. 24 haud temere ita explicatur: Atrium cum altari sacrificiorum cruentorum indicavit cultum mosaicum; sanctum cum panibus, lampade et aliis praefiguravit ecclesiam christianam, in qua non amplius sacrificia cruenta, sed panis, vinum et thus offertur; lampas in specie, quae luce sua sanctum illustravit, clariorum Dei in N. T. cognitionem expressit; sanctissimum denique repraesentavit coelum, in quod moriente Christo velo scisso hominibus patefactus est aditus, et in quod Christus, assistens pontifex futuorum bonorum — — per proprium Sanguinem intravit (Hebr. 9, 11. seq.), ut appareat nunc vultui Dei pro nobis (ibid. v. 24.**). Tum ob unanimem Patrum consensum, tum ob c. 7. epistolae ad Hebr. firmiter credimus, Melchisedechi sacrificio in pane et vino oblato (Gen. 14, 13.) adumbratum esse incruentum Sacrificium a Christo in ultima coena institutum. Sacrificia cruenta V. T. non tantum symbolicam (coll. superius dictis sub β), sed et typicam habuisse relationem ad satisfactionem Christi vicariam, 1. Pet. 1, 19. Act. 8, 32. seq. Apoc. 13, 8. et al. clare indicatur.

3. *Denique attendas, utrum loquens omnia omnino, an non omnia dicta, et quae in casu altero mediate, quae vero immediate seu proprie intelligi voluerit, quod plerumque ex rei natura cognoscitur.* Sic v. g. in allegoria Ps. 80, 9. sententia: „Ejecisti gentes“ proprie est intelligenda, ut rei natura docet.

§. 92.

III. De gnomis.

Per gnomas intelliguntur relationes in mundo physico aut in vita quotidiana obviae, experientia probatae, et haud raro ceu veritatum sublimiorum normae admodum praecise propositae. Quodsi ejusmodi sententiose dicta in ore populi versantur, proverbia dicuntur. Integris gaudemus libris biblicis, qui maximam partem gnomas continent, nimirum proverbiis Salomonis, Ecclesiaste (Koheleth), Ecclesiastico (Jesu filii Sirach) ac Sapientia. Sed et in aliis libris hic ibi, et praecipue in populari docendi ratione Jesu et Apostolorum frequenter occurrunt, et *plerumque aut formâ dicendi praecisâ indicantur, aut sermonis occasione et loquentis consilio manifestantur aut orationis serie innuuntur.*

Quod characterem gnomarum biblicarum attinet:

---

*) Cfr. Allioli: Alterthümer II. Abtheilung pag. 148. et 149.
**) Cfr. Apoc. 11, 1. 2.

1. *Omnes argumenti gravitate eminent; pleraeque admodum praecise proponuntur aut apto membrorum parallelismo disponuntur; aliae valde perspicuae sunt vel idoneis imaginibus vestitae; aliae vero obscuritati atque ambiguitati consulto involvuntur, quo magis ad profundiorem invitent indaginem* *)

2. *Proverbia sunt quasi philosophia populi perennans, quia quacunque data occasione denuo se offerunt et comprobantur, et ideo variis rebus applicantur.*

3. *Gnomarum aliae quod omnino, generatim valet, speciali aliquo casu exprimunt; aliae contra singularia per universalia repraesentant, aut quod cum restrictione, de potiori parte intelligendum est, absolute, de omnibus, ergo hyperbolice enuntiant.*

Ejusmodi jam dicta non ad vivum sunt resecanda, quod si fieret, perversa saepe emergeret interpretatio; sed cum grano salis, ut dicunt, intelligenda. *In specie vero interpres:*

a) proverbiorum sensum singulis in locis e contextu determinet coll. §. 59.;

b) si universalia per singularia, generalia per specialia repraesentantur, in hisce non subsistat, sed ad illa assurgat; sic v. g. dum Christus Mt. 9, 15. interrogatus, cur discipuli ejus non jejunent, singularem hunc adfert casum: Non decet sponsi amicos lugere, quamdiu sponsus cum illis est, i. e. diebus nuptialibus: nemo non ad sermonis occasionem respiciens intelliget, Dominum per simile illud exemplum speciale generalem hanc exprimere voluisse sententiam: Nemo prudens facit, quod certo tempori et loco non convenit; quemadmodum ergo sponsi amicos diebus nuptialibus lugere, ita et discipulos meos, quamdiu ego cum eis sum, tristitiae edere signa (jejunare) dedeceret. Eodem modo dum Jesus Mt. 7, 16. dicit: „Num de spinis colligunt uvas et de tribulis ficus?“ non de spinis aut tribulis solis, imo ne de arboribus quidem ac plantis ignobilibus in genere, quae fructus nobiles ferre non possunt, est cogitandum; sed de sententia generali hac: A nulla re, ergo neque ab homine exspectes, quod indoli ejus repugnat;

c) quod absolute aut universim proponitur, conditionate aut cum restrictione seu hyperbolice dictum intelligat, quotiescunque aut rei natura, aut loca parallela, aut principia loquentis alias manifestata id postulant; v. g. Proverb. 15, 15. „Omnes dies pauperis mali;“ 19, 4. „Divitiae addunt amicos plurimos, a paupere autem et hi, quos habuit, separantur;“ Luc. 16, 15. „Quod hominibus altum est, abominatio est apud Deum.“ Rom. 12, 20.: Si esurierit inimicus tuus, ciba illum; si sitit, potum da illi; hoc enim faciens carbones ignis congeres super caput ejus.“ Prov. 25, 21. 22.

---

*) Demetrius Phaler. περὶ ἑρμηνείας c. g. gnomam comparat cum semine, quod parvo volumine tam magna complectitur, ita ut ante oculos ejus, qui illam exponere scit, tota arbor accrescat; et Plutarchus Lycurg. c. 19. gnomam dicit brevem sententiam ad longam meditationem.

§. 93.

IV. De emphasibus.

Emphasis dicitur augmentum, quod ad ordinariam vocis potestatem accedit. Tale augmentum ordinariae vocis potestati esse addendum cognoscitur:

1. *Ex rei natura et adjunctis docentibus:*

a) aut respectu temporis, aut ratione actionis indicatae plane contrarium intelligendum esse ejus, quod vocibus in se spectatis proprie inest. Sic v. g. s. Paulus dicit Rom. 6, 17. „Gratias ago Deo, quod fuistis servi peccati;" hic verbum ἦτε certe emphasin continet, ita ut denotet: Quod non amplius estis servi peccati, puod tempus servitutis vestrae praeterlapsum est. Joann. 6, 37. „Eum, qui venit ad me, non ejiciam foras," i. e. summâ cum charitate ac sollicitudine recipiam;

b) significationi vocis ordinariae notionem secundariam esse adjungendam, uti Jo. 1, 46. ἐκ Ναζαρέτ, oppido scil. vili ac contemto; Rom. 9, 6.: „Non enim omnes, qui ex Israël sunt, ii sunt Israëlitae, nimirum vere tales, coram Deo; cfr v. 7. τέκνα.

2. *E contextu manifestante, voces significatu eminentiori intelligendas esse.* Sic verbum εἰπεῖν Mt. 9, 5. utrâque vice emphatice denotare: cum effectu dicere seu efficere, docet v. 6. et 7.; ἀποθνήσκειν Joann. 11, 26. significare: vitam aeternam perdere, patet e v. 25. Idem valet de sententia saepius recurrente: Ego ero illis Deus, et ipsi erunt mihi populus, nimirum sensu eminentiori.

3. *Ex animi loquentis affectione, quae prodit, loquentem verbis suis plus exprimere voluisse, quam quod haec simpliciter adhibita edicunt.* Sic verba Petri Joann. 13, 6. denotant: Domine, tu, qui es magister et Deus meus, mihi, discipulo et servo pedes lavas, et sic ordinem invertis? et illa Christi Luc. 22, 48. „Judâ! osculo, quod est signum amicitiae, sinceritatis ac dilectionis, abuteris ad me tradendum? nam non poterat non Petrus propter factum humilitatis Jesu maximo stupore abreptus verba illa proferre, quin sensa sua tum de magistri dignitate divina, tum de sua ipsius conditione manifestaret, et Christus ob summam Judae malignitatem impudentiamque profundo animi moerore affectus proditorum ita alloqui, quin osculi significationem symbolicam simul respiceret.

Ast grammatici atque interpretes justo plures in ss. literis statuerunt emphases, quod eis adnumerarunt tum terminos technicos religiosos, qui aucta quidem, relate tamen ad usum loquendi sacrorum scriptorum ordinariâ significationis potestate gaudent*); tum vocabula respectu reliquorum in sola pronuntiatione distinguenda

*) v. g. πίστις, ἐλπίς, χάρις, ἐπαγγελία, εὐαγγέλιον, ἡ ἀλήθεια, ζωή et eis opposita indeque derivata; ὁ προφήτης, ὁ βαπτίζων, ὁ πειράζων.

(ἐπιφώνημα *); tum denique diversos modos, quibus loquens dictis suis vim et gravitatem conciliat, eaque auditorum vel lectorum attentioni ac considerationi commendat **).

V. De locis V. T. in N. F. obviis.

§. 94.

1. De locorum V. T. in N. F. allatorum vario modo ac fine ***).

Qui in ss. literis N. F. loquentes sistuntur, praecipue vero Jesus et ss. scriptores saepissime loca V. T., ast non tantum variis modis utentes, sed etiam diverso consilio ducti adferunt. Quod attinet

I. Modum, quo V. T. loca adferuntur, hic

---

*) Quaenam vocabula in pronuntiatione prae reliquis distinguenda sint, cognoscitur *a)* e contextu, uti α) in comparatione, antithesi et gradatione; v. g. Joann. 5, 21. (πατὴρ et υἱός), 15, 4. 9. 17, 18. Mt. 5, 21, 21. Rom, 1, 32. al.; β) in disjunctionibus, concessionibus et exceptionibus, v. g. Mt. 5, 17. (τὸν νόμον ἢ τοὺς προφήτας), Luc. 5, 5. 10, 41. Mt. 5. 32. 19, 19. al.: γ) in conclusionibus, ut Rom. 6, 5. (τῆς ἀναστάσεως), 11, 16. al.; δ) in quaestionibus, quae proferri nequeunt sine unius alteriusve vocis distinctione. *b)* Ex vocabulorum ordine; nam vox distinguenda aut α) praeponitur aliis sententiae partibus, ut αα) voci interrogativae in quaestionibus directis et indirectis, v. g. M. 6, 28. 17, 25. Joann. 1, 47. 10. 36. Gal. 3, 2. al.; ββ) conjunctionibus, v. g. Mt. 15, 14. Joann. 10, 9. Act. 19, 4. al.; γγ) pronomini relativo I. Cor. 15, 36.; sic et δδ) casus ab alio vel a verbo rectus regimini suo praemittitur, v. g. Joann. 8, 57. I. Cor. 5. 1. Hebr. 12, 25.; εε) adverbium ante verbum ponitur, ut Act. 4, 8. 18, 28. al.; aut β) subinde ad finem collocatur, v. g. Mt. 16, 16. Act. 20, 34. Rom. 13, 10, 1. Cor. 15, 8. al. *c)* Ex usu pronominum personalium ἐγώ, σύ, αὐτός etc. et demonstrativorum οὗτος et ἐκεῖνος, quae pronomini relativo in priori sententia posito in altera adjunguntur. v. g. Mt. 5, 22. 28. 32. 6, 3. 9. 17. 26, 48. Mr. 3, 35. Luc. 9, 24. al.

**) Ex innumeris modis, quibus loquens dictis suis vim conciliat, aut gravitatem eorum manifestat, sequentes praecipue commemorari merentur: *a)* praemissae asseverationes graviores ac solennes, uti ἀμὴν aut apud s. Joann. ἀμὴν ἀμὴν, et apud s. Lucam hic ibi καὶ λέγω ὑμῖν, ἀληθῶς λέγω, v. g. Mt. 5, 18. 26. Joann. 1, 52. 2, 3. Luc. 11, 51. 12, 44.; Joann. 4, 21. Rom. 9, 1. 9. Gal. 1, 20. II. Tim. 4, 1. al.; *b)* preces et exhortationes praepositae, v. g. Phil. 2, 1. 4, 1. I. Cor. 4. 16.; *c)* minae graviores, v. g. Mt. 18, 6. Gal. 1, 8. 9. al.; *d)* compellationes fortiores, v. g. Mt. 3, 7. 16, 23. 23, 17. 19. al.; *e)* expressiones hyperbolicae, uti Mt. 3, 5. 10, 22. Mr. 1, 34. Luc. 10, 15. al.; *f)* formulae ad verborum vim augendam additae, v. g. Mt. 2, 10. Mr. 4, 41. Luc. 22, 15. II. Cor. 1, 8. 4, 17.; *g)* voces eaedem repetitae, v. g. I. Cor. 9, 25 (πᾶς — πάντα), 10, 33. II. Cor. 9, 8. Mt. 21, 41. Rom 8, 23. 11, 36. Apoc. 19, 16. (βασιλεὺς βασιλέων); *h)* plura tempora ejusdem verbi adhibita, ut II. Cor. 1, 10. 13. 11, 9. 13. Gal. 1, 9. al; *i)* vocabula synonyma conjuncta, v. g. Mt. 5, 12. Luc. 1, 14. 8, 45 Hebr, 2, 4. al.; *k)* negatio ad sententiam affirmativam addita, v. g. Mt. 19, 14. 21, 21, Jo. 1, 3. 20. 7, 18. Rom. 4, 20. Jac. 1, 6. al.; *l)* vox πάντα adjuncta, qua omnia prius dicta comprehenduntur, uti I. Cor. 9, 22. 10, 31. 12, 11. 14, 40. Cfr Wilke's Rhetorik pag. 372, seqq.

***) Cfr Salomonis Glassii philologia sacra p. 1386 — 1404. et die neutestaliche Rhetorik von Christian Gottlob Wilke pag. 299 seqq.

*1. relate ad verba, quibus allegantur, est vel formalis, si certis iisque variis formulis inducuntur *); vel non formalis, si a) ad s. Scripturam singulosve ejus libros in genere provocatur **); si b) effata biblica absque omni citandi formula adhibentur, ita ut cum loquentis dictis immediate conjungantur ***); si c) ad V. T. α) personas †) et β) historias ††) respicitur vel ceu ad typos N. T., vel ad analoga phaenomena cum iis conjungenda.*

---

*) *τοῦτο γέγονε, ἵνα (ὅπως) πληρωθῇ το ῥηθὲν διὰ τοῦ προφήτου λέγοντος* Mt. 1, 22. 2, 23. al,; *τότε ἐπληρώθη τὸ ῥηθεν διὰ--τοῦ προφήτου* Mt. 2, 17. 27, 9.; *ἵνα ἡ γραφὴ πληρωθῇ* Joann. 13, 18. 19, 24. 36.; *ἵνα πληρωθῇ ὁ λόγος ὁ γεγραμμένος* Joann. 15, 25.; *εἴρηται* Luc. 4, 12; *ἐρρήθη* Mt. 5, 21. al.; *ἔδει πληρωθῆναι τὴν γραφὴν ταύτην* Act. 1, 16. *τοῦτο τὸ γεγραμμένον δεῖ τελεσθῆναι* Luc. 22, 37.: *γέγραπται* Mt. 4, 4. 7. al.; *ὅτι γέγραπται* Mr. 14, 27.; *γέγραπται γάρ* Mt. 4, 10 al.; *οὐ γέγραπται* Mr. 11, 17.; *οὕτω γὰρ γέγραπται διὰ τοῦ προφήτου* Mt. 2, 5.; *ἐν τῷ νόμῳ τί γέγρ.* Luc. 10, 26. al.; *ὡς* vel *καθὼς γέγραπται* Act. 15, 15. al.; *ὥσπερ γέγραπται* I. Cor. 10, 7.; *οὗτος εστιν ὁ ῥηθεὶς διὰ Ησαΐου τοῦ προφήτου* Mt. 3, 4.; *τὸ ῥηθὲν ὑπὸ Δ. τ. πρ.* Mt. 24, 15.; *οὗτος ἐστιν περὶ οὗ γέγρ.* Mt. 11, 10.; *οὐκ ἔστι γέγραμμένον ἐν* — Joann. 10, 34.; *καθώς ἐστι γέγρ.* Joann. 12, 15.; *εἰ ἐγνώκατε τὶ ἐστιν* Mt 12, 7.; *τοῦτό ἐστι τὸ ειρημένον διὰ* — Aet. 2. 16.; *οὐκ* vel *οὐδέποτε ἀνέγνωτε* Mt. 12. 3. 5. al.; *ουδε τὴν γραφὴν ταύτην ἀνέγνωτε* Mr. 12, 10.; *προϊδοῦσα ἡ γραφὴ προευηγγελίσατο* Cal. 3, 8.; *περιέχει ἐν τῇ γραφῇ* I. Petr. 2, 6.; *Μωϋσῆς εἶπε* Mt. 22, 24., Mr. 7, 10.; *Μωυσης προς τοὺς πατέρας εἶπεν* Act. 3, 22.; *Μωϋσῆς ἔγραφεν ἡμῖν* Mr. 12, 19.; *Μωϋσῆς ἐμήνυσε* Luc. 20, 37.; *Δαυιδ ἐν πνεύματι εἶπε* Mr. 12, 36.; *Δαυιδ λέγει* Rom. 4, 6. 11, 9.; *Δαυιδ λέγει ἐν βίβλῳ ψαλμῶν* Luc. 20, 42. al.; *ἡ σοφία τοῦ θεοῦ εἶπε* Luc. 11, 49.: *Ησαιας εἶπε* Joann. 12, 39.; *καθὼς προείρηκε Ἡσαΐας* Rom. 9, 29.; *καθὼς ὁ προφήτης λέγει* Act. 7, 49. *προεφήτευσε περὶ ὑμῶν Ἡσαΐας* Mr. 7, 6. *Ἡσαιας κράζει* Rom. 9, 27.; *ἀναπληροῦται ἐπ᾽ αὐτοῖς ἡ προφητεία ἡ λέγουσα* Mt. 13, 14.; *ἐπαγγελίας ὁ λόγος οὗτος* Rom. 9, 9; *ὁ θεός ἐνετείλατο* Mt. 15, 4.; *οὕτω ἐνέταλται ἡμῖν ὁ κύριος* Act. 13, 17.; *λέγει κύριος* II. Cor. 6, 17. 18.; *λέγει* II. Cor. 6, 2.; *καθώς εἶπεν ὁ κύριος* II. Cor. 6, 16.; *ὁ διὰ στόματος Δαυιδ εἰπών* Act. 4, 25.; *οὕτως εἴρηκε* Act. 13, 34.; *ὡς καὶ ἐν Ὡσηὲ λέγει* Rom. 9, 25.; *καθὼς λέγει τὸ πνεῦμα τὸ ἅγιον* Hebr. 3, 7. al.; *εἴρηκε ποῦ οὕτω* Hebr. 4, 4.; *διεμαρτύρατο δέ ποῦ τὶς λέγων* Hebr. 2, 6.; *καθὼς καὶ ἐν ἑτέρῳ λέγει* Hebr. 5, 6.; *μαρτυρεῖ γάρ* Hebr. 7, 17.; *μαρτυρεῖ ἡμῖν τὸ πνεῦμα τὸ ἅγιον* Hebr. 10, 15.; *ἐπήγγελται λέγων* Hebr. 12, 26.; *κατὰ τὴν γραφὴν* Jac. 2, 8.; *ἡ παράκλησις ὑμίν διαλέγεται* Hebr. 12, 5.

**) Joann. 5, 39. 46. 47. 17, 12. 19, 28. Act. 3, 18. 10, 43. 26, 22. 23. Rom. 1, 2. 2, 24.

***) Rom. 9, 7 = Gen. 21, 12.; 10, 18 = Ps. 19, 5.; 11, 34. et I. Cor. 2, 16 = Is. 40, 13.; I. Cor. 10, 26 = Ps. 24, 1. Eph. 5, 31 = Gen. 2, 24.; 6, 2. 3 = Exod. 20, 12.
Mr. 4, 12 (Luc. 8, 10) = Is. 6, 9. 10.; 12, 19 (Luc. 20, 28) = Deut. 25, 5.; Luc. 23, 30. = Is. 2, 19. et Oseae 10, 8.; Joann. 8, 17 = Deut. 17, 6.; Act. 4, 11 = Ps. 118, 22.; I. Cor. 1, 20 = Is. 33, 18.; 15, 32 = Is. 22. 13.; Hebr. 3, 2 = Num. 12. 7.; 10, 1—13 = var. II.

†) Luc. 11. 29. 30. (Mt. 12, 39. 40) = Jon. 2, 1. seqq.; 11, 31. 32 = I. Reg. 10, 1. Jon. 3, 5.: I Cor. 11, 3. et I. Tim. 2, 13. 14 = Genes· 1, 27. 3, 6.; II. Tim. 3, 8 = Exod. 7, 11 (nominibus e traditione desumtis); Hebr. 7, 1—10 = Gen. 14, 18. seqq.; 11, 4—40. (exempla firmae fidei e var. II.); Jac. 2, 21 = Gen. 22, 9.; 2, 25 = Jos. 2, 4. et 6, 17.; II. Petr. 2, 15. 16 = Num. 22, 28.; I. Joann. 3, 12 = Gen. 4, 8.; Judae v. 11 = Gen. 4, 8. Num. 16, 1. 31 seqq.

††) Luc. 4, 25—27 = I. Reg. 17, 1. 9. seqq. II. Reg. 5, 14; 11, 51 (Mt. 23, 35) = Gen. 4, 8. et II. Chron. 24, 21.; 17, 27—30 (Mt. 24, 37—39) = Gen. 7. 19, 15.; Joann. 3, 14 = Num. 21, 8. 9.; 6, 31 = Ps. 78, 24.; I. Cor.

2. *Ratione ipsorum locorum, quae afferuntur: vel accuratus, vel minus accuratus; loca enim allata aut cum versione Septuaginta tum quoad sensum, tum quoad verba accurate *), aut paucissimis exceptis **), imo contra textum hebraicum consentiunt ***),*

---

10. 1—11 = Exod. 13, 21. et 14, 22. Num. 9, 15 seqq Exod. 16, 15. 17, 6. Num. 26, 64. 65. Exod. 32. 6. Num. 25, 1. 9. 21, 5. 6. 14, 2. 37.; Rom, 11, 3. 4 = I. Reg. 19, 10. 18 ; II. Cor. 3, 7 = Exod. 34, 33.; Gal. 4, 27 = Is. 54, 1. Hebr. 9, 19 = Exod 24, 5. 6.; I. Petr. 3, 20 = Gen. c. 6.; II. Petr. 2, 5—8 = Gen 7, 19.; 3, 6 = Gen. 7, 21,; Judae v. 7 = Gen. 19, 24. seqq.

*) *Matthaei* 4, 4 (Luc. 4. 4) = Deut. 8, 3.; 4, 7 (Luc. 4, 12) = Deut. 6, 16.; 13, 14. 15 = Is. 6, 9. 10 ; 22, 32 (Mr. 12, 26) = Exod. 3, 6.; 27, 35 = Ps. 22, 19.

Marci 10, 7 (Mt 19, 5. 7) = Gen 2, 24.; 11, 17 (Mt. 21, 13. Luc. 19, 46) = Is. 56, 7.; 12, 10. 11 (Mt. 21. 42. Luc. 20, 17) = Ps. 118. 22. 23.; 12, 36 (Mt. 22, 43—45 Luc. 20. 42. 43) = Ps. 110, 1.

Lucae 4, 18 = Is. 61, 6.; 10, 34 = Ps. 82, 6.; 19, 24 = Ps. 22, 19.

Act. 2, 25—28 = Ps. 16, 8—11.; 2, 34 = Ps. 110. 1.; 4. 24 = Ps. 2. 1.; 7, 49 = Is. 66, 1.; 13. 33 = Ps. 2, 7.; 23, 5 = Exod 22, 28.

Rom. 3, 4 = Ps. 51, 4 (6); 3, 12—18 = Ps 14, 1—3.; 4, 3 = Gen. 15, 6 ; 4, 7. 8 = Ps. 32, 1. 2.; 4, 17 = Gen. 17, 5.; 4, 18 = Gen. 15, 5.; 7, 7 = Exod. 20, 17 ; 9, 7 = Gen. 21, 12.; 9, 12 = Gen. 25, 23.; 9, 15 = Exod. 33, 19.; 9, 29 = Is. 1, 9.; 9, 33 (ult. sent.) = Is. 28, 16.; 10, 13 = Joël 2, 32.; 10, 16 = Is. 53, 1 ; 15, 10 = Deut. 32, 43 15, 21 = Is, 52, 15.

I. Cor. 6, 16 = Gen. 2, 24.; 9, 9 = Deut. 25, 4.; 10, 7 = Exod. 32, 6. *II. Cor* 6, 2 = Is. 49, 8.

Galat. 3, 16 = Gen. 22. 18.; 4, 27 = Is. 54, 1. I. Tim, 5, 18 = Deut. 25, 4. *Hebr.* 1, 5 (5, 5) = Ps. 2, 7. et II. Sam. 7, 14.; 1, 8. 9 = Ps. 45, 7. 8,; 1, 10—12 = Ps. 102, 26—28,; 2, 6—8 = Ps. 8, 5—8 ; 2, 13 = Is. 8, 18.; 3, 7—11. = Ps. 95, 7—11; 4, 4 = Gen. 2, 2.; 5, 6 = Ps, 110, 4,; 8, 9—12 = Jerem. 31, 31—34,; 10, 6. 7 = Ps. 40, 7—9.; *Jac.* 2, 23 = Gen. 15, 6 ; 4, 6 = Prov, 3, 34.

**) Mt. 1, 23 (Sept. *καλέσουσι*); 2, 6 (loco negat. *τῶν ὁ* positive); 4, 10 (loco *προσκυνήσεις* Sept. *λατρεύσεις*); 4, 14 (Is. 9, 1. 2); 9, 13. et 12, 7 (Oseae 6, 6); 11. 10. Mr. 1. 2. Luc. 7, 28 (Mal. 3, 1); 27, 9. 10 (Zach. 11, 12. 13). Mr. 1. 3. Mt. 3, 3, Luc. 3, 4 (loco *αὐτοῦ* Sept. *τοῦ θεοῦ ἡμῶν* Jes. 40, 3); 7, 6. 7 (Is. 29, 13); 11, 17 (Jerem. 7, 11); 14, 27 (Spt. *πάταξον*); Luc. 22, 37 (loco *μετὰ ἀνόμοις* Spt *ἐν τοῖς ἀνόμοις*); Joann. 2, 17 (loco *καταφάγεται* Spt. *κατέφαγε*); 19, 36 (loco *συντριβήσεται αὐτῷ* Spt. *συντρίψετε ἀπ' αὐτοῦ*); Act. 7, 50) (Is 66, 1); 13, 41. 47 (Habac. 1, 5. Is, 49, 6); 15, 16 (Amous. 9, 11. 12; 28, 25—27 (Is. 6, 9. 10). Rom. 1, 17 (Sept. *πίστεώς μου* Habac. 2, 4); 3, 10 (loco *δίκαιος* Sept. *ποιῶν χρηστότητα* Ps. 14, 1); 3, 11 (sensus negative expressus posit, redditus); 4, 3 (loco *δέ* 70ta *καί* (Gen. 15, 6); 10, 11 (ab Ap. addit. *πᾶς*); 10, 19 (Deut. 32, 21); 14, 11 (loco *ἐξομολογήσεται-τῷ θεῷ* Sept. *ὀμεῖται-τὸν θεόν*); 15, 9 (Spt. add. *κύριε*); 15, 11.; 15, 12 (Spt. add. *ἐν τῇ ἡμέρᾳ ἐκείνῃ*). I. Cor. 3, 19 (synonyma substituta); 3, 20 (loco *τῶν σοφῶν* Sept. *τῶν ἀνθρώπων*); 15, 54 (loco *εἰς νῖκος* Spt. *ἰσχύσας* Is 25, 8); 15, 55 (loco *κέντρον* Spt. *δίκη* Oseae 13, 14); II. Cor. 4, 13. 6, 17. Gal, 3, 10. 11. Eph. 5, 31. Hebr. 1, 6 (loco *προσκυνησάτωσαν* Spt. *προσκυνήσατε*); 2, 12 (pro *ἀπαγγελῶ* Spt. *διηγήσομαι*); 2, 13 (Spt. omitit *ἐγώ*); 8, 5 (loco *τὸν δειχθέντα* Spt *τῶν δεδειγμένων*); 8, 9 (pauca syn. add.); 10, 5 (pro *οὐκ εὐδόκησας* Spt. *οὐ ᾔτησας*); Jac. 4, 6. (loco *ὁ θεός* Spt. *κύριος* Prov. 3, 31.)

Rom. 15, 10. e Deut. 32, 43 Hebr. 10, 5 e Ps, 40. 7.

*aut solum illius sensum exprimunt *), aut magis cum textu hebraico concordant **), aut libere usurpantur ***), vel e memoria petita adhibentur †), aut more rabbinico duo effata se integrantia vel illustrantia combinata repraesentant ††), aut denique plurium dictorum sensum exprimunt †††).*

3. Respectu tractationis V. T. locorum: vel simplex [1]*), vel cum explicatione, adnotatione aut applicatione conjunctus* [2]*).*

Quod attinet

II. finem, Jesus et N. T. auctores loca N. T. adferunt consilio aut

1. citandi, ut effatorum divinorum ope vel eventuum ratio indicetur, vel dictorum veritas demonstretur; aut

2. applicandi, ut doctrinam suam s. Scripturae dictis illustrent; aut denique

3. accommodandi, ut cogitata sensaque sua ss. literarum verbis exprimant.

§. 95.

2. De locorum V. T. in N. F. allatorum interpretatione.

In interpretatione locorum N. F., ubi V. T. effata afferuntur aut respiciuntur, interpretis est:

1. Sensum ejusmodi loci in N. F. subjectum adhibitis communibus hermeneuticae regulis invenire, et ad rite dijudicandum huncce sensum

2. inquirere ac determinare, quem in finem locus V. T. afferatur; nam Jesu aut scriptori sacro, qui citandi consilium habet,

---

*) Mt. 2, 6. 18.; 13, 35. 22, 24. (Mr. 12, 19. Luc. 20, 28); 24, 15 (Mr 13, 14); 26, 31 (Mr. 14, 27); Joann. 6, 45. 13, 18. 15, 25. Act. 2, 16—21, 3, 22. 25. Rom. 9, 13. 17. 10, 15. 11, 3. I. Cor. 14, 21. Gal. 3, 8. Hebr. 6, 14. 10, 10.

**) Mt. 2, 15, 4, 15. 16. Mr. 11, 17. Joann. 19, 37. Rom. 12, 19. I. Cor. 2, 9. 4, 16. 8, 17. 11, 10. 12, 17—20. 13, 35.

***) Mt. 10, 35. et Luc. 12, 53 = Mich. 7, 6.; I. Cor. 15, 25 = Ps. 110, 1.; I. Pet. 2, 4. 8 = Is. 8, 14.; II. Petr. 3, 13 = Is. 65, 17.

†) Act. 13, 34. 15, 16. Rom. 3, 14. 17, 9. 25. 27. 10, 20. 21. 26. 11, 3. I. Cor. 1, 19. II. Cor. 3, 13. Eph. 4, 8. Hebr. 4, 8. I. Petr. 2, 6.

††) Mt. 21, 5. 27, 9. 10. Mr. 1, 2. 3. Rom. 11, 8.

†††) Mt. 2, 23. Joann 7, 38. II. Cor. 6, 16. Jac. 4, 5.

1) V. g. Mt. 4, 7. Mr. 12, 10. 11. Luc. 4, 25. Rom. 10, 18. I. Cor. 10, 26. Gal. 3, 13. etc.

2) Mr. 12, 26. et parall. coll. cum v. 27.; 12, 36. coll. cum v. 37; Joann. 6, 45. 46. 10, 34—36. Act. 13, 35—37. Rom. 9, 7. 8. 11. 9, 15. 16. I. Cor. 2, 16. 9, 9. 14, 21. 22. 15, 55. Gal. 3, 16. Eph. 4, 8. Hebr. 1, 6—9. 1, 13. 14. 3, 2. coll. cum v. 5. 6.; 3, 10. 11. coll cum v 17—19.; 4, 6. —9.; 6, 13. coll. cum v. 17. 18.; 5, 6. coll. cum 7, 1—3. 4. 9. 10. 11. 14. 16. 20. 21.; 8, 8. coll. cum v. 13.; 9, 15. 10, 5 - 7. coll. v. 8—10; 10, 17. coll. cum v. 18. 12, 26. 27. — S. Paulus locis citatis nonnunquam quaedam adjungit, ut I. Cor. 2, 9., ubi verba: *καὶ ἐπὶ καρδίαν ἀνθρώπου οὐκ ἀνέβη*, nec non illa: *ἃ ἑτοίμασεν ὁ θεὸς τοῖς ἀγαπῶσιν αὐτόν* non leguntur Jes. 64, 4.; I. Cor. 14, 21. addita sunt: *οὐδ᾽ οὕτως*, et Eph. 5, 14.: *καὶ ἐπιφαύσει σοι ὁ χριστός*.

persuasum est, sensum, quem V. T. loco subjicit, si non ab ipso auctore, tamen a Spiritu s. esse spectatum, quem proinde et interpres teneat oportet ceu objective verum, et ope subsidiorum hermeneuticorum tueatur coll. II. Petr. 1, 20. 21; *cui autem est consilium applicandi aut accommodandi, locis V. T. eum subjicere potest sensum, qui iisdem non erat spectatus.*

*Consilium applicandi et accommodandi ex locorum allatorum indole, ex eorum contextu in V. T., et ex omni agendi ratione loquentis cognoscitur. Utrumque consilium in eo convenit, quod loquens non tam sensum loci adhibiti, quam potius expressiones respicit, imo verba ipsa suum in finem immutat et adaptat; utrumque autem eo differt, quod applicans effatum quoddam ad illustrationem a se dictorum adhibet, et scriptum exstare innuit; accommodans vero absque ulla formula adhibita verbis sacrae Scripturae ad suam sententiam exprimendam utitur *).*

Loquentem citandi habere consilium, determinatur partim ex allegatione V. T. loci aut accuratiori, aut saltem absque essentiali mutatione factâ, adhibitâ simul vel directâ (formali) *citandi formulâ, vel indirectâ, i. e. tali, e qua pateat, eum locum hunc scriptori cuidam sacro tribuere; partim, et praecipue quidem, si loca ipsa aut a) ceu prophetiae certis eventibus adimpletae sistuntur **);*

---

*) Exempla applicationis sunt: Rom. 10, 6—8. coll. cum Deut. 3, 12. 14.; 10, 18. coll. cum Ps. 19, 5.; I. Cor. 1, 31. coll. cum Jerem. 9, 23. 24.; II. Cor. 4, 13. coll. cum Ps. 116, 10.; 8, 15. coll. cum Exod. 16, 17. Accommodatio facta est Mt. 2, 20. coll. cum Exod. 4, 19.; Luc. 1, 46—50. coll. cum I. Sam. 2, 1. seqq. Ps. 35, 9. 71, 19. 126, 3. 103, 17. 18.; 23, 46. coll. cum Ps. 31, 6.; Act. 13, 47. coll. cum Is. 49, 6.; Rom. 8, 33. coll. cum Is. 50, 8. 9. etc.

**) *Matth.* 1, 23 = Is. 7, 14.; 2, 6 (Joann. 7, 42) = Mich. 5, 1.; 2, 15 = Oseae 11, 1.; 2, 17. 18 = Jerem. 31, 15.; 2, 23 = plur. II.; 4, 14—16 = Is. 8, 23. 9, 1. 2.; 8, 17 = Is. 53, 4.; 11, 10 (Luc. 7, 27. Mr. 1, 2) = Mal. 3, 1.; 12, 17—21 = Is. 42, 1—4; 13, 14. 15 = Is. 6, 9. 10.; 13, 35 = Ps. 78, 2.; 15, 7—9 (Mr. 7, 6. 7) = Is. 29, 10.; 21, 5 = Is. 62, 11. et Zach. 9, 9.; 21, 42 (Mr. 12, 10. 11. Luc. 20, 17) = Ps. 118, 22. 23.; 22, 43—45 (Mr. 12, 36. Luc. 20, 42. 43) = Ps. 110, 1.; 24, 15 (Mr. 13, 4) = Dan. 9, 26. 27.; 26, 31 (Mr. 14, 27) = Zach. 13, 7. 8.; 27, 9. 10 = Zach. 11, 12. 13. et Jerem. 32, 5. seqq. *Marci* 1, 3 (Mt. 3, 3. Luc. 3. 4) = Is. 40, 3. *Lucae* 4, 18. 19 = Is. 61, 1. seqq.; 22, 37 = Is. 53, 12. *Joannis* 2, 17 = Ps. 69, 10.; 6, 45 = Is. 54, 13.; 12, 38 (Rom. 10, 16) = Is. 53, 1.; 13, 18 = Ps. 41, 10.; 15, 25 = Ps. 35, 19.; 19, 24 = Ps. 22, 19.; 19, 36 = Exod. 12, 46.; 19, 37 = Zach. 12, 10. *Act.* 1, 20 = Ps. 69, 26. et 109, 8.; 2, 16—21 = Joël 3, 1. seqq.; 2, 24—28 = Ps. 16, 8. et 9.; 2, 34 = Ps. 110, 1.; 3, 22. 23 = Deut. 18, 15. 18. 19.; 3, 25 = Gen. 12. 3. 22, 18.; 4. 25 = Ps. 2, 1.; 13, 33 = Ps. 2, 7.; 13, 34 = Is. 55, 3.; 13, 40. 41 = Habac. 1, 5.; 15, 16. 17 = Amos. 9, 11. 12.; 28, 25—27 = Is. 6, 9. 10. *Rom.* 4, 17 = Gen. 17, 5.; 9, 25. 26 = Oseae 2, 24. et 1, 6—10.; 9, 27. 28 = Is. 10, 22. 23; 9, 29 = Is. 1. 9.; 9, 33 = Is. 8, 14. et 28, 16.; 10, 16 = Is. 53, 1.; 10, 19 = Deut. 32, 21.; 10, 20. 21 Is. 65, 1. 2.; 11, 8 = Is. 29, 10. et Deut. 29, 3.; 11, 9 = Ps. 69, 22 seq.; 11, 26 = Is. 59, 20.; 11, 27 = Jerem. 31, 33. et Is. 27, 9.; 15, 9 = Ps. 18, 50.; 15, 10 = Ps. 67, 3—5.; 15, 11 = Ps. 117, 1.; 15, 12 = Is. 11, 10.; 15, 21 Is. = 52, 15 *I. Corinth.* 1, 19 = Is. 29, 14.; 2, 9 = Is. 64, 4.; 15, 54. 55 = Is. 25, 8. et Oseae 13, 14.; *II. Corinth.* 6, 16 = Levit. 26,

*aut b) tamquam praecepta divina, normae vitae religiosae atque ethicae proponuntur *); aut c) ceu aliarum veritatum cohaerentium fundamentum tractantur **); aut denique in sententiarum allatarum comprobationem adhibentur ***).*

Praeterea interpretis est

3. in ejusmodi locis, quae loquens ceu prophetias eventuum narratorum adfert, investigare ac definire prophetiae speciem, utpote quae diversa est, et ex solis citandi formulis, v. g. *ἵνα, ὅπως πληρωθῇ λ. non cognoscitur; nam quadruplici modo prophetia adimpletur, et proinde adimpleta dici potest ac debet, et quidem*

a) si id ipsum fit, quod erat praedictum (prophetia immediata);

b) si id, quod jam in figura evenit, re ipsa seu in praefigurato contingit (prophetia mediata seu typica);

c) si, quod de personis quibusdam propter certam earum indolem et adjuncta dictum erat, similes ob causas denuo accidit aut repetitur (prophetia continuata); *denique*

d) si effatum, quod imperfecte aut verbis improprie intellectis impletum erat, alio eventu perfecte et sensu proprio completur (prophetia completiva, vervollständigende Pr.).

Prophetia immediata etiam directa, reliquae vero species indirectae dicuntur, verique nominis prophetiae sunt, quia Christus et ss. scriptores manifestant, volente sic Deo factum esse, ut personae quaedam vel res simul typi, adumbrationes essent Messiae ejusque factorum, fatorum et institutorum; aut quod de vel a personis certis

---

11. 12. Ezech. 37, 27. Zach. 8, 8. *Galat.* 3, 8 = Gen. 12, 3.; 3, 16 = Gen. 22, 18.; 4, 27 = Is. 54, 1.; 4, 30 = Gen. 21, 10. 12. *Ephes.* 4, 8 = Ps. 68, 19. *Hebr.* 1, 5 (5, 5) = Ps. 2, 7.; 1, 6 = Ps. 47, 7.; 1, 8. 9 = Ps. 45, 8.; 1, 10. 12 = Ps. 102, 26—28.; 2, 6. 7 = Ps. 8, 5.; 2, 12 = Ps. 22, 23.; 2, 13 = Ps. 18, 3. Is. 8, 18.; 5, 6 = Ps. 110, 4.; 6, 14 = Gen. 22, 16.; 8, 8—12 = Jerem. 31, 31. 32.; 10, 5—7 = Ps. 40, 7—9. *I. Pter.* 2, 6 = Is. 28, 16.

*) *Math.* 9, 13, et 12. 7 (Oseae 6, 6); 19, 5. 7. et Mr. 10, 7 (Gen. 2, 21); 21, 13. Mr. 11, 17. Luc. 19, 46 (Is. 56, 7. et Jerem. 7, 11); 22, 24. Luc. 20, 28 (Deuter. 25, 5); *Luc.* 4, 4 (Deut. 8, 3); 4, 8 (Deut. 6, 13); 4 12, (Deut. 6, 16), cfr. Mt. 4, 4. 7. 10. *Act.* 23, 5 (Exod. 22, 28); Rom. 1 17, (Habac. 2, 4); 12, 19. et Hebr. 10, 30 (Deut. 32, 35); 14, 11 (Is. 45, 23); II. Cor. 6, 17 (Is. 52, 11); Hebr. 13, 5 (Deut. 31, 6. Jos. 1, 5); Jac. 4, 6 (Prov. 3, 34).

**) Mt. 22, 32. Mr. 12, 26. Luc. 20, 37 (Exod. 3, 6); Act. 7, 49. 50 (Is. 66, 1, 2); I. Cor. 6, 16 (Gen. 2, 24); 9, 9. et I. Tim. 5, 18 (Deut. 25, 4); 14, 21 (Is. 28, 11. 12); II. Cor. 6, 2 (Is. 49, 8).

***) Joann. 10, 34 (Ps. 82, 6); Rom. 3, 4 (Ps. 51, 6); 3, 10—12 (Ps. 14, 1—3. et 53, 3. 4); 3, 13 (Ps. 5, 10. et 140, 4); 3, 14 (Ps. 10, 7); 3, 15—17 (Is. 59, 7. 8); 3, 18 (Ps. 36, 1); 4, 3 Gen. 15, 6); 4, 7. 8 (Ps. 32, 1. 2); 4, 17 (Gen. 17, 5); 4, 18 (Gen. 15, 5); 7, 7 (Exod. 20, 17); 9, 7 (Gen. 21, 12); 9, 12 (Gen. 25, 23); 9, 13 (Mal. 1, 2. 3); 9, 15 (Exod. 33, 19); 9, 17 (Exod. 9, 16); 10, 11, (Is. 28, 16); 10, 13 (Joël 3, 5); 11, 3. 4 (I. Reg. 19, 10. 14. 18); I. Cor. 3, 19 (Job 5, 13); 3, 20 (Ps. 94, 11); II. Cor. 9, 9 Ps. 112. 9); Gal. 3, 10 (Deut. 27, 26); 3, 11 (Habac. 2, 4); Hebr. 3, 7—11 (Ps. 95, 7—11); 4, 4 (Gen. 2, 2); 8, 5 (Exod. 25, 40); Jac. 2, 23 Gen. 15, 6).

dictum erat, moderante Spiritu s. ejusmodi verbis esse prolatum, ut simul prophetia sit, in hominibus futuris iisdem in adjunctis versantibus, vel sensu eminentiori in Mesia adimplenda (Mt. 5, 17.). Hoc modo s. Joannes 11, 51. Kaiphae prophetiam tribuit; inde etiam explicatur, quomodo, quae Gen. 2, 24. sive Adam, sive Moyses edixisse legitur, Mt. 19, 5. Deo tribuantur, et s. Paulus Eph. 5, 32. individuam conjugum unionem illis Geneseos verbis pronuntiatam magnum sacramentum relate ad Christum et ecclesiam appellet. Quare in prophetiis indirectis sensus spiritualis, sublimior probe distinguendus est a proximo.

4. *Ad prophetiae, praecipue messianae speciem singulis in locis determinandam consulenda sunt indicia interna et externa.*

a) Indicia interna suppeditat materia substrata ipsius loci prophetici in contextu suo et e loquentis consilio spectati. Si nimirum cuidam talia tribuuntur praedicata, quae nulli personae historicae, nisi Christo eique apprime conveniunt, prophetia est immediata; quodsi vero, quae enuntiantur, aut jam in figura, aut re ipsa, aut imperfecte locum habuerunt, adest prophetia vel typica, vel continuata, vel completiva. Sic v. g. Psalmum secundum vere esse messianum, et proinde loca in N. T. inde citata *) immediatam seu directam in Jesum Christum continere prophetiam, omnis materia substrata docet; nam quae de fremitu gentium, de populis vana meditantibus, de rebellione regum terrae, de consultatione principum adversus Jehovam et Unctum ejus, de conatu confringendi vincula eorum et abjiciendi jugum ipsorum v. 1. et 2. leguntur, nec Davidis, nec Salomonis, neque ullius Judaeorum regis tempori et adjunctis conveniunt, quum nemo eorum reges terrae, populos ac principes sibi subjectos haberet, imo ne finitimorum quidem populorum Edomitarum, Philistaeorum et Moabitarum defectionem, ad quam dicta referri possent, historia Davidis aut Salomonis doceat, ut nihil dicamus de hyperbola tali omnem modum excedente. Quodsi vero Psalmus hic, uti N. T. testimonia postulant, immediate ad Christum refertur, omnia sunt plana, convenientia et suo loco posita. — Idem valet de Psalmis 16. 22. et 40., in quibus Messias in humilitate sua et patiens describitur, et de 45. 72. 110., qui Messiam triumphantem canunt.

Isaiae 7, 14. immediatam continere prophetiam de nativitate Jesu Christi ex Maria Virgine, praeter consilium prophetae, Achazo regi exhibendi insigne miraculum a Deo ipso, non rogato datum, quo ille de familia sua non exstirpanda certior redderetur, manifestant praedicata, quae filio nascituro tribuuntur, uti v. 14. „Emmanuel," 9, 6. 9.: „Admirabilis, consiliarius, Deus, fortis, pater futuri saeculi, princeps pacis non finiendae, regimen super solium Davidis in justitia in aeternum." — Contra vero Genes. 12, 46. coll. cum Joann. 19, 36. typicam; Isaiae 6, 9. 10. coll. cum Matth. 13, 14.; Ps. 79, 2. 3. coll. cum I. Macch. 7, 17. continuatam; Oseae

*) Act. 4, 25, 13, 33. Hebr. 1, 5. 5, 5. Apoc. 2, 27. et 19, 15.

11, 1. coll. cum Mt. 2, 15. completivam continere prophetiam, ex definitionibus collatis cum argumento illorum locorum patet.

b) Indicia externa continentur in unanimi consensu ss. Patrum et ecclesiae fide, cui saepissime Judaeorum quoque, qui rationibus polemicis non seducuntur, interpretatio traditionalis patrocinatur. Sic v. g. Psalmos, quos nos ob rationes internas et unanimem Patrum consensum messianos habemus, plerique etiam rabbinorum de Messia exponunt; vaticinium Isaiae 7, 14. ab antiquis Judaeis immediate messianum esse habitum, docent versores Alexandrini, qui vocem הָעַלְמָה, cui Aquila, Theodotion et Symmachus ob rationes polemicas νεᾶνις (juvenis) substituerunt, per παρθένος (virgo illibata) reddiderunt *).

*) Cfr. Christologie des alten Testamentes und Commentar über die messian. Weissagungen der Propheten v. E. W. Hengstenberg, Berlin 1829. 3 voll.; Erklärung der messianischen Weissagungen im alten Bunde v. Dr. Friedrich Herd, I. und II. Lieferung. Regensburg 1837. et 1845; Vorlesungen über die Christologie des alten Testamentes von G. Meinertshagen. Bremen 1843.

Pars II.

De sensus inventi expositione.

§. 96.

Norma in sensu exponendo observanda.

Etiam altera interpretationis functio, nimirum sensus expositio, justam certamque habere debet normam, ad quam instituatur atque aestimetur, et quidem talem, quae ex supremo hermeneuticae principio sponte fluat, et in eo rationem suam ultimam inveniat, quia secus deesset regularum systema. Cum jam supremum hermeneuticae principium interpretem sensum loquentis pandere jubeat, sequitur:

1. Interpretem in exponendo sensu ita versari debere, ut non sua, sed loquentis cogitata et sensa, eaque non perfectiora nec tenuiora, non plura, neque pauciora proponat, quam loquens manifestare voluit, seu paucis: In expositione sensus fides servanda est. Praeterea

2. expositione sensus efficiendum, ut audientes vel legentes, quid loquens dixerit, in quantum fieri potest, clare cognoscant, quia secus, si illis quidquam obscurum maneret, sensus loquentis non revera panderetur; hinc expositio etiam perspicuitate gaudeat, necesse est. Inde elucet, in altera interpretationis functione sequentem normam observandam esse:

In sensus expositione fidem serves, et perspicuitati studeas.

NB. Termini: sensus repraesentatio, expositio et explicatio synonymi a nobis habentur.

§. 97.

Variae sensus exponendi species.

Species, quibus sensus fit expositio, variae sunt, et dependent tum a fine, in quem, tum a conditione personarum, in quarum gratiam, tum a forma, qua interpretatio suscipitur.

1. Respectu finis, s. Scripturae interpretatio fit, ut aut intellectus tantum cognitione argumenti ss. librorum imbuatur, aut cognitis veritatibus biblicis simul voluntas moveatur, pia sensa

excitentur firmaque proposita eliciantur; unde enascitur sensus expositio vel solum theoretica, vel simul practica.

2. Ratione conditionis personarum, in quarum gratiam s. Scriptura exponitur, oritur interpretatio popularis et erudita, quatenus sensus repraesentatio cultiori vel rudiori lectorum auditorumve ingenio, majori vel minori eorum captui, altioribus vel tenuioribus indigentiis ac desideriis attemperatur, ne praeter necessitatem multis explicentur, quae alioquin jam cognita sunt; aut quae lectores latent, perperam omittantur; aut quae capere plane nequeunt, eisque nullius frugis sunt, in medium proferantur, et vice versa, et sic animi in priori casu obruantur potius, quam illustrentur vel aedificentur, in altero autem frustra quaerant, quibus indigent et quae scire desiderant.

*3. Relate ad formam datur expositio simplex et uberior, prout aut sola lingua originalis cum vernacula vel alia cognita permutatur, aut alio modo sensus clarior redditur, et prout altero in casu vel oratione continua retenta dictorumque serie servata auctor sacer ipse loquens sistitur, aut extra orationis seriem notae sive illustrationem solam promoventes, sive sensus propositi rationem reddentes adhibentur. Hinc ceu diversae sensus exponendi species nostrum in finem considerandae sunt: versio, paraphrasis, scholia, commentarii et interpretatio popularis — practica *).*

§. 98.

I. Versio biblica.

Quodsi oratio interpretanda idiomate peregrino prolata exstat, ad sensus cognitionem efficiendam ante omnia in vernaculam, vel in genere in eam linguam transferatur, necesse est, quae ab audiente vel legente intelligitur, seu versio adornetur, quae est translatio dictorum e lingua peregrina in vernaculam aut aliam lectoribus vel auditoribus cognitam. Ex hac definitione jam patefit. quae sit suprema versionis condendae lex; quodsi enim versionis natura non consistit, nisi in translatione orationis e lingua peregrina in aliam cognitam:

1. praeter linguam versori nihil mutare, nullam proprietatem sive dogmaticam, sive logicam, sive aestheticam addere aut demere licet; nam translator totam quasi auctoris personam in se suscipit, et hujus loco ea lingua utitur, in qua versio desideratur; hanc vero auctoris personam exueret, si praeter linguae mutationem quamcunque aliam in orationis non tantum materia, sed vel in forma suscipere sibi indulgeret; si, quae sive antiquitatis, sive patriae scriptoris, sive certae culturae aut cogitandi sentiendique rationis notas characteristicas impressas referunt, plane deleret aut ita obfuscaret, ut non amplius orationem scriptoris sacri, sed moderni cujusdam auctoris legere vel audire nobis videremur.

---

*) Homiliae et historia biblica popularis ad alias disciplinas pertinent.

2. *Quae ad characteristica haec pertinent quidem, sed in aliam linguam salvâ ejus indole accurate transferri nequeunt*, v. g. paronomasiae, ut Daniel. 13, 54. et 55. 58. et 59. *), allusiones et denominationes etymologicae, ut Genes. 2, 23. **): *ejusmodi formulis reddenda sunt, quae ad peregrinas proxime accedant.* — *Quod attinet*

3. *poëmata hebraica, non quidem metra in aliis linguis usitata quaecunque, neque homoeoteleuta versuum* (gereimte Verse) *adhibenda, utpote quibus in libros sacros poëticos aliquid inferretur, quod ab eis alienum est; attamen non nuda prosa utendum, quia sic numerus et rhythmus poëticus Hebraeis usitatus desideraretur; hinc eorum probanda est sententia, qui metrum seligendum esse statuunt jambicum aut trochaeum, quippe quod ad prosam proxime accedit, ita tamen, ut numerum poëticum simul referat et sonet.* — *Ast quemadmodum fidem laederet versor, si neglecta dictione simplici scriptoris sacri elegantiae classicae specimen repraesentaret: ita*

4. *perspicuitati non prospiceret, si ad textum originalem verbotenus exprimendum indolem linguae versionis plane negligeret; nam proprietates, quae linguae peregrinae qua tali adhaerent, quae ad grammaticum ejus habitum pertinent, et quibus propterea in lingua versionis nihil accurate respondet, negligi non tantum possunt, sed debent, quia auctor ipse, si lingua versionis uti ei contigisset, certe, ne sermonem suum risui exponeret, et sensum suum obnubilaret, potius hujus indolem, quam illam peregrini idiomatis esset secutus.* — *Ex dictis simul patet*

5. *maxima versionis biblicae exacte conficiendae difficultas; etenim fidem cum perspicuitate ita jungere, ut utrique suum tribuatur, summae artis est labor, cui feliciter perficiendo par non existit, nisi sagacissimo ingenio donatus, sensu religioso et aesthetico subtilissimo animatus, amplo eruditionis apparatu instructus, in interpretationis negotio versatissimus, et accuratissima utriusque linguae* (textus et versionis) *cognitione imbutus; nam qui his dotibus unitis caret, nunquam eo perveniet, ut in abditissimos quasi loquentis recessus penetret, ejus cogitandi, sentiendi et loquendi veluti habitum induat, sicque ejus personam exacte referat, et talibus tandem ubique utatur vocibus ac formulis, quae non tantum legibus linguae*

---

*) Dan. 13, 54. 55.: „Sub qua arbore vidisti eos? qui dixit: *ὑπὸ σχῖνον.* Dixit autem Daniel: Angelus *σχίσει σε μέσον.* V. 58. 59.: „Sub qua arbore deprehendisti eos? qui respondit: *ὑπὸ πρῖνον.* Dixit autem illi Daniel: Manet angelus Dei gladium habens *πρῖσαι σε μέσον.*

**) לְזאת יִקָּרֵא אִשָּׁה כִּי מֵאִישׁ לֻקֳחָה זאת. Alexandrini sonum verborum et denominationis rationem plane neglexerunt sic vertentes: *αὕτη κληθήσεται γυνὴ, ὅτι ἐκ τοῦ ἀδρὸς αὐτῆς ἐλήφθη.* Theodotion denominationis rationem praepostere sic expressit: *κληθήσεται λημμα, ὅτι ἐκ τοῦ ἀνδρός ἐλήφθη.* Symmachus hunc in finem nomen alias inusitatum *ἀνδρὶς* adhibuit: *αὕτη κληθήσεται ἀνδρὶς, ὅτι ἐκ τοῦ ἀνδρὸς αὕτης ἐλήφθη αὐτή.* Apte Vulgata: „Vocabitur virago, quoniam de viro sumta est," et Germani: Sie wird Männin genannt werden, weil sie vom Manne genommen ist. Cfr. Hofmann: hermen. pag. 211.

spondeant, sed et auctoris mentem et animum ad amussim repraentent. Hinc mirum non est, nullam hucusque prodiisse librorum blicorum versionem, quae omnibus numeris esset absoluta, ut cebit

§. 99.

Versionum censura *)

Quodsi versiones biblicae exstantes juxta normam propositam judicentur, facile patet:

1. *antiquas fere omnes, si forte syriacam Peschito, illam Symachi et quosdam libros versionis Septuaginta excipias, laborare tio formae; nam literae plerumque ita adhaerent, ut fere nulla rspicuitatis ratione habita ad verbum reddant; inopiae linguae iginalis rarissime succurrant; vocabulis polysemis (multa signiantibus) easdem semper voces substituant, et haud raro etymolom prae usu loquendi sequantur.* Sic. v. g. contra genium linguae rsionis Aquila praeter studium etymologicum notam accusativi hebr. per praepositionem σὺν; syriaca Philoxeniana vel ipsum articulum br. peculiari voce exprimit; Vulgata particulam כִּי et ὅτι, ubi est dicium vel orationis directae, vel sententiae objectivae, per quia; rticipium aoristorum graecorum plerumque per participium praentis; verbum ἀποκριθῆναι, etsi non praecessit quaestio, per reondere; I. Cor. 2, 14. verba ἐστὶν et ἀνακρίνεται, licet a numero urali τὰ τοῦ πνεύματος dependeant, per singularem reddit, sicque nsum obfuscat; I. Tim. 6, 21. verbo ἐπαγγέλλεσθαι, quod alias cte vertit per promittere, significationem profiteri tribuit, et alia. s tamen mendis quoad formam, ex nimio fidelitatis studio ortis, n obstantibus Vulgatam in longe pluribus partibus et in rebus avioris momenti praestantem esse, et singularibus praerogativis udere, quibus omnes reliquas versiones latinas longe superat, vel si Acatholici fatentur **).

Quodsi autem antiquiores versiones justo plus literales sunt, hac ratione perspicuitatem aut saltem leges linguae frequenter gligunt, quod tamen detrimentum usu earum critico compensatur:

---

*) Cfr. Histoire critique des versions du nouveau Testament par Richard Simon, Prêtre. A Rotterdam 1690.

**) Brunati: De nomine, auctore, emendatione et authentia Vulgatae. Viennae 1825. Welte: Rechtfertigung des kirchlichen Ansehens der lateinischen Vulgata in: Theolog. Quartalschrift 27. Jahrg. 3. Heft. B. Waltonius in proleg. in Polyglott. Londin. X. pag 74. his terminis celebrat Vulgatam nostram: „Licet vero divinam (?) non agnoscamus (versionem vulgatam), magni tamen faciendam et non temere proscindendam, tum propter ejus antiquitatem et usum generalem per Occidentem per mille annos, tum propter interpretis, quem Hieronymum ex majore parte agnoscimus, doctrinam et fidelitatem, quem de ecclesia bene meruisse gratis animis praedicant protestantium doctissimi.“ Nominat deinde Bezam, Andrews, Fagium, de Dieu et Casaubonum inter defensores hujus versionis.

2. recentiorum plures, praecipue ab Acatholicis profectae, contra fidem peccant, dum relate ad materiam sensu s. scriptoris, qui certis praejudiciis minus arridet, eliminato sua placita substituunt; respectu formae autem phraseologiae biblicae fere nullam rationem habent; formam orationis sine ratione sufficiente mutant; sermone ornatiori aut saltem justo magis ad morem nostrae aetatis adtemperato utuntur, quam antiquitas et cultura literaria s. auctoris patitur.

Inter recentiores s. Scripturae versores nominari merentur

A) ex Catholicis:

Xantes Pagninus, Dominicanus Lucensis, confecit versionem latinam, primum Lugduni 1521. impressam, dein Coloniae 1541., Lugduni 1542., Parisiis 1557. repetitam, et, cum ab Aria Montano esset revisa, in polyglotta Antwerpiensia receptam.

Isidorus Clarius, ex Ord. s. Benedicti in monte Cassino, circa annum 1540. s. Scripturam in latinum vertit, quae versio comparuit Venetiis 1564.

Thomas Malvenda, Dominicanus Hispanus, versionem latinam e textu originali morte impeditus nonnisi usque ad Ezechielem continuavit. Opera ejus, quibus de s. Scriptura bene meruit, edita sunt Lugduni 1650.

Ignatius Weitenauer, professor Oeniponti, in versione sua latina V. et N. T. Oeniponti 1768—1773. magis perspicuitatis, quam fidei rationem habuit.

Etiam in linguam germanicam s. Scriptura frequenter translata est. Prima versio talis prelo submissa, et insignibus Friderici III. imperatoris ornata prodiit Moguntii 1460—1462.; secunda Basileae 1464.; tertia Norimbergi 1477.; quarta auctore Joanne Eck partim 1529., partim 1540.; quinta studio Dietenberger professoris Moguntii 1534., eodem ergo anno, quo versio Lutheri anno 1522. inchoata, finita est *). *Versiones germanicae subsequentes sunt fere innumerae, e quibus recentissima aetate ortae eminent*

a) quoad integram s. Sripturam: illa Dominici Brentano, Thaddaei Dereser et Dris. Scholz; porro Dris. Fr. Allioli, quae sedis apostolicae approbationem tulit;

---

*) Ex his jam perspicitur, Lutheri versionem theodiscam plures (nonnulli 20 numerant) a Catholicis confectas praecessisse, et reformatorem Wittebergensem sacra Biblia non sub scamno protraxisse. Cfr. Richard Simon in opere sup. citato pag. 518. seqq. Idem ibidem pag. 8. recte dicit: „C'est donc en vain que les Protestants se vantent d'avoir fait connaître au peuple plus particulièrement l'Ecriture qu'elle n'était auparavant. On peut dire au contraire, que le fanatisme que cette lecture a produit dans l'esprit de plusieurs personnes depuis la naissance des Protestants, a obligé quelques Papes et quelques évêques de ne la permettre pas indifféremment à toutes sortes de gens. Si les Bibles sont devenues plus communes dans ces derniers temps, cela vient de ce qu'avant que l'imprimerie fût en usage, peu de personnes pouvaient faire la dépense nécessaire pour avoir des livres manuscrits.“ Etiam sequentia lectu dignissima sunt et vera.

c) respectu N. T.: Dr. J. H. Kistemaker et Francisci Xav. Massl;

c) quoad singulos libros: versio epistolarum pastoralium a Dr. Martino Mack, epistolae ad Hebraeos a Conrado Lomb commentariis inserta; versio Evangelii s. Joannis, epistotae ad Rom. et Hebr. confecta ab Henrico Klee saepe non est determinata et hinc inde obscura.

Inter versiones bohemicas laudatur illa, quae auctorem habet Fr. Pročhazka, et cujus a pluribus nova editio paratur Pragae.

B. ex Acatholicis:

Auctor ignotus versionis latinae Pentateuchi, libri Josuae, judicum, librorum regum et N. T., quae prodiit Wittebergae 1529., et ab aliis Luthero, Melanchthonio ab aliis tribuitur;

Sebastianus Schmid, Argentoratensis, intra 40 annorum spatium elucubravit versionem latinam V. et N. T., quae post ejus mortem impressa est 1697. et 1708.;

Sebastianus Münster, Ingolstadiensis, libros sacros in linguam Latii versos prodire fecit Basileae 1525. 2 voll. in fol.;

Leo inchoavit, *Bibliander* vero et *Conradus Pellicanus* finiverunt sic dictam versionem Tigurinam, quae cum Vulgata et notis Vatabli immutatis comparuit Parisiis 1545.;

Joannes Clericus, professor Amstelodami, pentateuchum et libros historicos V. T. in latinum vertit. Ed. Amstelodami 1708. Inter versiones recentissimas germanicas illa V. T. *ab Augusti et de Wette*, N. T. *a Friderico Preiss*, dein *ab H. A. Guil. Meyer* adornata ceteris praeferenda est. In *Schottii* latina N. T. versione, cujus tertia editio prodiit 1839., praeter alia menda textus superfluis incisis distenditur, quibus sensus corrumpitur potius, quam illustratur *).

§. 100.

II. Paraphrasis.

Paraphrasis est uberior, limitibus tamen orationis continuae adstricta sensus expositio **). In versione quavis, etiam perfectissima, non removetur, nisi obscuritas, quae e lingua peregrina oritur; ad difficultates reliquas, quae ipsis dictis insunt, expediendas

*) Versiones Bibliorum sacrorum elucubratae a Pfaff, Tubingae 1629. seqq.; V. F. a Joanne Dav. Michaëlis Goettingae 1769—1783.; a Guilielmo Frider. Hetzel cum notis in s. Scripturam adornata et 10 voll. edita 1786—1791. suo tempore magni habebantur et magno lectorum numero gaudebant, hodie vero obsoletae sunt. Lectu dignissima sunt, quae dicit Malou (in opere: La lecture de la sainte Bible en langue vulgaire, Louvain 1846., tome II., chapitre IX. pag. 202. seqq. usque ad finem operis) de versionibus biblicis Acatholicorum, praecipue de illis societatis biblicae Londinensis.

**) „Est paraphrasis non translatio, sed liberius quoddam commentarii perpetui genus, non commutatis personis.“ Erasmus.

paraphrasis ita procedit, ut orationem continuam servet quidem, et ipsum quasi auctorem loquentem sistat; clarioribus tamen et haud raro pluribus verbis utatur ad ea illustranda, quae lectoribus auditoribusve vel ob contextum difficiliorem obscura, vel ob dictionem adhibitam dubia, vel ob ipsas notiones et res expressas aut plane incognita, aut saltem non satis clara sunt *). Hinc *paraphrastae sequentia praestanda:*

1. Notiones intermedias et transitiones a loquente suppressas suppleat;

2. succincte et ideo non sat perspicue dicta uberius proponat et clariora reddat;

3. notiones et res obscuras illustret aut substitutis definitionibus, aut insertis rationibus et causis, aut adhibitis aliis adminiculis, quae e locis parallelis, e cognita loquentis idearum associatione vel aliunde petuntur, et ad clariorem sensus cognitionem conferunt;

4. non tantum phraseologiam biblicam negligat, sed et ipsam orationis formam immutet, v. g. complicatiores periodos in simpliciores convertendo, quotiescunque perspicuitatis fini alia ratione consuli nequit; denique

5. si solum pericopa quaedam paraphrasi illustranda est, aptum et breve exordium praemittat, quod vel e nexu orationis cum praecedentibus, vel ex occasione sermonis, vel ex materia sectionis ipsâ aut aliâ cohaerente desumitur, et in fine usus practicos adnotet. — Ast cavendum paraphrastae:

a) relate ad orationis materiam: ne sensum ipsum immutet, eumque aut angustiorem aut latiorem, tenuiorem aut perfectiorem proponat, quam loquens eum concepit, quod periculum in hac sensus exponendi specie eo majus ac propinquius est, quo saepius occasio se offert, proprio marte quaedam addendi, aut sua cogitata inserendi;

b) respectu formae: ne nimiae prolixitati aut verbositati indulgeat, per quam sensus magis obscurari, quam illustrari solet; aut omnibus et singulis partibus alias phrases substituendas esse putet; nam quae alioquin clara sunt, circumlocutione non indigent. Inter paraphrastas relate ad formam eminet *Brentano,* ast respectu materiae in ejus usu cautione opus est; ad illum proxime accedit *Erasmus Rotterodamus* **). Inter Acatholicos Semler durius et ideo obscurum dicendi genus observat; Hess scholiastis potius, quam paraphrastis adnumerandus ***). Alios paraphrastas §. 116. commemorabimus.

---

*) Paraphrasis est „hiantia committere, involuta evolvere . . . sic aliter dicere, ut non dicas alia.“ Idem.

**) Desiderii Erasmi Paraphrasis in N. T. ex recensione J. Clerici, cura J. F. S. Augustin 3 voll. in 8vo Berolini 1778—80).

***) Cfr. Keil: elementa hermeneuticae N. T. pag. 159.

§. 101.

III. Scholia.

Perspicuitati utut magnâ, non tamen omni ex parte consulitur paraphrasi; omnia enim, quae ad claram aut plane certam sensus cognitionem requiruntur, orationi continuae, cui paraphrasis adstricta est, inseri minime possunt; hinc ut sensus expositio nominatum assequatur finem, lectori vel auditori succurrendum est adnotationibus extra contextum et vel seorsim positis, vel cum versione et paraphrasi junctis. Quodsi tanta solum perspicuitas desideratur, ut lectio libri sine impedimento procedat, adeoque sensus planus et clarus reddatur, ejusmodi notae, quae ab Alexandrinis scholia dicebantur, breviores, succinctae esse possunt. Jisdem vocabula obscura illustrantur, formulae ambiguae determinantur, res antiquae, ritus, mores, geographica, historica, in genere archaeologica explicantur, sine quorum notitia allusiones et imagines non intelligerentur, atque illae difficultates removentur, quae rectam et claram cujusdam vel doctrinae vel rei descriptae cognitionem impediunt. Ad sensus autem certitudinem efficiendam necessarius est

IV. Commentarius.

Quid commentarius, et quid commentatoris est

§. 102.

1) In genere?

Commentarius est solida atque erudita, nec non argumentis firmata sensus expositio.

Ut interpretatio commentarii nomine merito ornetur, eidem non licet acquiescere in afferendis illis, quae libri lectionem planam reddunt; sed eam sensus cognitionem efficiat, necesse est, omni ex parte firmam, qua lector subtilioribus quoque difficultatibus et dubiis removendis pår, et de veritate sensus nec non de gradu certitudinis rationi reddendae idoneus reddatur. *Hunc in finem commentatori catholico*, qui sensum ecclesiae suae normae directricis instar semper prae oculis habet, *in genere sequentia praestanda sunt:*

1. Libro interpretando eas notitias ex introductione praemittat, quas hermeneutica scitu necessarias et respiciendas esse praecipit, quales sunt de auctore et primis lectoribus, de occasione et scopo, dc argumento ejusque dispositione, de lingua originali et dictione, de authentia, integritate et axiopistia non tantum integri operis, sed etiam singularum partium.

2. *Ante expositionem singularum sectionum principalium, quae totum efficiunt, argumenti analysin adferat. et cogitatum primarium indicet.*

3. *Lectionum variantium, quibus sensus afficitur, accuratum examen instituat, et pro majori argumentorum tum externorum, tum internorum pondere vel lectionem textus, quem se in genere sequi profitetur, vel unam e variantibus praeferendam esse doceat.*

4. *Quaecumque vel philologice, vel hermeneutice dubia aut minus pellucida sunt, sedulo expendat,* ideoque usum loquendi sive graecum, sive hellenisticum, sive christianum, huncque sive communem, sive singularem (cujusvis auctoris) quolibet loco adhibitum dubio oriente demonstret; ambiguum pluribus exemplis, si praesto sunt, certum reddat, aut saltem ope etymologiae et analogiae linguae et dialectorum ad majorem probabilitatis gradum adducat; vagum ad contextum, loca parallela, loquentis conditionem, analogiam fidei exactum determinet; tropicum aut proprium necessitate urgente probet; argumentandi modum, figurarum rhetoricarum aut poëticarum formam et vim, nec non dictorum pretium aestheticum dijudicet, et ubicunque notatu dignior varietas interpretationum locum habet, ab earum examine nullo modo abstineat, ne quandam temere praetulisse censeatur.

5. *Ubi obscuritas ambiguitasve a peculiari rerum aut personarum biblicarum conditione oritur, non tantum simplicem et accuratam earum descriptionem praebeat; sed fontes, unde hanc cognitionem hauserit, simul nominet, ipsaque veterum scriptorum loca, in quantum fieri potest, adferat.*

6. *Quomodo expressiones de Deo symbolicae, adhibitae ad Dei proprietates earumque effectus hominibus humano modo proponendas, in singulis locis intelligendae sint, perspicue exponat.*

7. *Si agitur de expositione locorum V. T. in N. F. a Christo vel Apostolis adhibitorum, illorum allatorum tum modum, tum finem determinet, huncque argumentis firmet, et in specie sensum citatis a loquente quocunque subjectum dilucidet et sententiam suam probet.*

8. *Ubicunque pugna inter viros inspiratos adesse videtur, ejus fontes detegat, et quomodo dicta conciliari possint, docendo speciem enantiophaniae removeat; quodsi vero scriptores sacros in quibusdam locis ope subsidiorum hucusque cognitorum conciliando impar esset, ignorantiam potius suam sincere fateatur, quam de pugna praepropere conclamet.*

9. *Versionem et paraphrasim si non continuam exhibeat, ibi saltem non penitus negligat, ubi aut versiones exstantes corrigendae sunt, aut nexus nembrorum logicus obscurior est, quam ut absque circumscriptione clare perspiciatur.*

10. *Quodsi major interpretationum varietas invenitur, et loci gravitas longiorem dissertationem requirit, quae hunc in finem necessaria sunt, non in commentarii loco competente, sed in fine libri, in peculiaribus excursibus adferat. Denique*

11. *usus locorum dogmaticos et practicos pro lectorum diversitate aut uberius exponere, aut paucis saltem innuere nunquam superfluum erit.*

Ad dotes praestantis commentarii pertinet, ut sit

a) fidelis tum in ipso sensu s. Scripturae proponendo, tum in notitiis ad interpretationis comprobationem aliunde allatis;

b) *perspicuus*, quia secus tractatio maxime prolixa finem ejus potius impediret, quam promoveret;

c) *completus*, i. e. complectens omnia, quibus sensus singulorum locorum recte determinetur ac dilucidetur, interpretationis propositae certitudo ostendatur, et difficultates utut graviores, dubia licet subtiliora, objectiones quamvis speciosiores solide expediantur.

Inter vitia commentarii merito refertur, si interpres

α) *nulla praemissa singularum sectionum analysi ita versus et voces explicat, acsi prima vice aggrederetur interpretationem libri sibi hucusque plane ignoti, ejusque argumentum et dispositionem opere peracto demum cogniturus esset; si*

β) *graviorem quamdam difficultatem intactam relinquit vel obiter tantum expedit, dum plana et clara multis demonstrat; si*

γ) *interpretationi, quae ipsi verosimilis videtur, acquiescit, quin eam demonstret, et suppares dijudicet; si*

δ) *eruditionis suae ostentatione ductus, aut nova dicendi libidine pellectus sensum obvium involvit, interpretationem artificiosam, subtilem, a longo petitam facili ac simplici praefert, aut ad disputationes digreditur, quae cum fine interpretationis biblicae non cohaerent; si denique*

ε) *dicta juxta formam eruditionis loquenti incognitae examinat, vel ad systematis cujusdam philosophici tribunal exigit* *).

Quid commentatori praestandum sit

2) in specie.

§. 103.

A) In libris et partibus historicis.

In libris et partibus eorum historicis exponendis interpres

1. ita versetur, ut probe teneat, rationem historiae scribendae in auctoribus biblicis non esse modernam, diplomatice accuratam, sed potius ita adornatam, ut ex omnibus idea religioso- ethica pelluceat, et quidem ut in libris Moysis omnipotentia, sapientia et benignitas Jehovae in creatione universorum, dein in electione, praeparatione, instructione ac directione populi israëlitici; in reliquis vero hujus generis scriptis V. T. chronicorum instar confectis Dei sanctitas et fides in fatis populi electi repraesentetur; unde perspicitur, cur tot lacunae reperiantur, aut longiora temporis spatia paucissimis verbis absolvantur, dum alia accuratius fusiusque referuntur (cfr. v. g. Genes. c. 12—25. cum Exod. 1, 7.), et quare Judaei donum historiam sacram scribendi prophetiam habuerint, ac libros suos historicos נְבִיאִים רִאשֹׁנִים dixerint. Jn N. F. idea primaria est, id, quod Deus in V. T. promiserat, in lege adumbraverat, per prophetas annuntiaverat, et quod omnes pii tanto desiderio videre et audire de-

---

*) Cfr. Hofmann herm. biibl. pag 222. et 223.

sideraverant (Mt. 13, 17. Jo. 8, 56. Luc. 2, 29.), adimpletum esse apparitione Jesu Christi, veri Filii Dei, cujus vitâ et doctrinâ, factis et fatis, passione et morte, ascensione in coelum et missione Spiritus s., fundatione et directione ecclesiae serpenti antiquo caput contritum est, princeps hujus mundi ejectus, mors devicta, coelum apertum et parata „gloria in excelsis Deo et in terra pax hominibus bonae voluntatis.“ *Hinc interpres*

2. *historiam V. T. continuo respectu habito ad N. F. exponat, et in specie symbolicas ac typicas repraesentationes certis criteriis indicatas contra adversariorum cavillationes tueatur.*

3. *Persuasissimum habens, scriptorum sacrorum relationes objectivâ veritate gaudere, partes, in quibus rationalistae mythos narrari censent, aut factorum eventuumque manifeste extraordinariornm naturam variis artibus evertere conantur, argumenta opposita solide refutando vindicet; miraculorum necessitatem et nexum cum tota historia manifestet, eaque Deo digna esse doceat.*

4. *Ubi plures ss. scriptores eandum historiam narrant, unum ex altero illustret et suppleat, et cur quilibet hunc illumve narrandi ordinem ac modum, et certum materiarum selectum et dispositionem observaverit, ex peculiari ejus conditione ct consilio ostendat.*

5. *Nexum historiae sacrae cum profana exhibeat, et, in quantum ob summas difficultates fieri potest, chronologiam determinet*).*

6. *Quomodo pugnae apparentes inter ss. scriptores, plerumque ortae aut ex consilii diversitate, aut ex libertate in narrandi modo, solvi possint ac debeant, clare ostendat, vel, si scriptor profanus dissentiat, erroris ejus fontem detegat.*

7. *Quod in specie harmoniam Evangeliorum attinet, sequentia principia sequenda esse censemus:*

a) Jesus per triennium et aliquot menses munere suo publico functus est; nam si per festum Judaeorum, cujus Jo. 5, 1. mentio fit, ut insignes viri consentiunt, et Luc. 6, 1. coll. cum 9, 12. seqq. et Jo. 6, 4. seqq. postulat, pascha intelligendum est: s. Joannes quadruplex festum paschale commemorat, nimirum 2, 13. 23. 5, 1. 6, 4. et 12, 1., pridie cujus Jesus in cruce mortuus est**);

b) tres priores Evangelistae Jesu activitatem praecipue in Galilaea describentes eventuum seriem non semper ratione habita temporis exhibent, sed nexum pragmaticum hic ibi sequuntur, ita tamen, ut s. Lucas in materiarum dispositione rationem habeat itine-

---

*) Cfr. Eusebii chronicon a. s. Hieronymo in latinam linguam versum et editum a Scaliger 1606; hujus ipsius opus praeclarum de emendatione temporum, 2. edit. Genev. 1629.; Dionysii Petavii rationarium temporum 1627.; de Vignoles: Chronologie de l'histoire sainte 1738; 2 tomes in 4., et praeter alia ex recentissimis: Rudolphi Anger de temporum in Actis App. ratione Lips. 1833.; Dris. Car. Wieseler: Chronologische Synopse der vier Evangelien 1843., et Chronologie des apostolischen Zeitalters Götting 1848.; J. B. Weigel: Uiber das wahre Geburts- und Sterbjahr Jesu Christi. Sulzbach 1849.

**) Cfr. Weigl in op. cit. et Neander in Leben Jesu

rum Jesu Hierosolymam factorum *); *s. Joannes vero praeter consilium suum historico-dogmaticum tres priores Evangelistas suppleturus, et, quae in Judaea atque Hierosolymis evenerant, narraturus, ordinem chronologicum quidem, attamen non arctiorem, sed tantum latiorem observat;*

c) Evangelistae synoptici diei horas more Judaeorum a sole oriente, s. Joannes vero juxta consuetudinem Romanorum a Graecis etiam tum temporis observatam, ut nos, a media nocte computant;

d) quodsi Evangelistarum alius tempus, locum et nexum accuratius, alius minus accurate definit, juxta illius relationem hujus narratio determinanda est; denique

e) si singuli Evangelistarum adjuncta temporis et loci alia ratione indicant, in eorum conciliatione observentur ea, quae §. 67. *dicta sunt.*

§. 104.

B) In libris et partibus didacticis.

In hisce interpres

1. in genere obscuriora e clarioribus, ambigua e certis, dubia e principiis primariis, partem libri e toto, totum ex integro revelationis thesauro aperto illustret; quare in V. T. rationem habeat summae doctrinarum tempore exarati libri, de cujus interpretatione agitur, ex reliquis scriptis biblicis jam-exstantibus cognitarum; in N. T. autem singula effata Christi aut Apostolorum dubia vel controversa primo ex integro libro interpretando, dein ex omnibus scriptis biblicis, et denique ex universa doctrina christiana, quatenus tum in s. Scriptura, tum in constanti traditione continetur, et ab ecclesia catholica clare proponitur, dilucidet, compleat, et sensum catholicum modo §. 19. indicato comprobet vindicetque.

2. In mediatis dicendi generibus primo sensum immediatum, dein mediatum exponat ac probet.

3. Utrum et in quantum Christus aut scriptor sacer formaliter se aliis accommodaverit, data occasione doceat; in viris autem inspiratis accommodationem materialem nunquam locum habuisse, firmissime tenens, necessitate urgente commenta adversariorum solide refutet.

---

*) Joannes:

2, 13. 23. (primum pascha);
5, 1. ἑορτὴ τῶν Ἰȣδαίων (alterum pascha);
6, 4. prima cibatio (ante festum pasch. tertium);
7, 2. seqq. iter ad festum tabernaculorum;
10, 22. iter ad festum encaeniorum;
11, 54. 55. coll. cum v. 12, 1. ultimum iter Hierosol.

Lucas:

6, 1. σάββατον δευτερόπρωτον (sabbatum primum post diem secundum festi paschalis)
9, 10. prima cibatio.
9, 51. et 10, 38. Jesus in domo Mariae et Marthae Bethaniae in Judaea.
13, 22. coll. cum v. 31. Jesus Hierosolymam profectus denuo in Galilaea.
17, 11. iter Hierosol. per mediam Samariam et Galilaeam; 18, 31. coll. cum v. 35. 19, 28.

4. *Quae in doctrina biblica temporaria erant, i. e. ratione habita primorum auditorum aut lectorum valebant, accurate distinguat ab iis, quae universalia sunt, i. e. Christianos omnium temporum obligant.* Illius generis plura fuisse in doctrina V. T., non tantum ejus destinatio propaedeutica, sed ipse etiam Christus Mt. 19, 8. declarat; verum etiam in N. T. nonnulla proximos tantum lectores et prima solum religionis christianae tempora respexisse, inficias iri nequit. Attamen in his quoque dictorum forma et materia probe distinguenda est; etenim alia utroque respectu praecepta mere temporalia continent, ut Mt. 10, 5. Act. 15, 20. 29.; alia vero formâ casus specialis praecepta universalia involvunt, ut Mt. 5, 23. 24. 10, 9. 10. I. Cor. 11, 4. Denique

5. *caveat, ne praecepta vitae religioso-ethicae a Christo et Apostolis proposita unquam contorqueat in meras prudentiae regulas, propter illius temporis adjuncta et pericula datas*, v. g. Mt. 5, 25. 26. 39—42. 22, 21. I. Cor. 7, 26. seqq.; nam in religione christiana tantum ea, quae vera sunt, cum vere utilibus et salutiferis coincidunt, et nonnisi id, quod universaliter verum, etiam unice prudens est.

§. 105.

C) In libris et partibus propheticis.

In hisce interpres a sequentibus principiis progrediatur:

1. *Propheta sensu latiori est quivis, per quem Deus loquitur*, ita ut omnes inspirati, ipse Abraham, Miriam, Debora, Hanna, imo et Kaiphas sic vocentur. *Sensu strictiori vero propheta est voluntatis et decretorum divinorum interpres a Deo peculiariter electus, illustratus et directus partim ad revelationem divinam communicandam et pure conservandam, partim ad salutem messianam annuntiandam et praeparandam.* Prophetarum essentia, munus et activitas ergo neque solâ futurorum praedictione absolvitur, neque in mera sapientia humana consistit, quippe quae vulgi cognitione superior quidem, attamen modo ordinario ex solis ideis theocraticis hausta esset; sed prophetae divinitus electi, vocati, illustrati et directi tempus praeteritum, praesens et futurum complectuntur; ultra limites cognitionis humanae evecti respectu temporis praeteriti moderamen divinum in omnibus eventibus perspicientes historiae pragmatismum unice verum ostendunt; relate ad praesens legem interpretantur et ejus auctoritatem tuentur; cultum divinum externum ceu manifestationem pietatis internae urgent, ideoque coaevos suos a voluntate divina aberrantes absque discrimine personarum monent, increpant castigant, fideles vero oppressos et afflictos erigunt, confortant et consolantur; intuitu futuri aut venturas poenas, aut salutem sperandam, in primis Messiae adventum et felicissimam conditionem regni ab eo fundandi pro data occasione et temporum adjunctis jam magis

generatim, jam una cum circumstantiis clarius annuntiant. Ille namque protoparentibus ex semine mulieris promissus, de quo praedictum erat, fore, ut serpenti caput contereret (Gen. 3, 15.), ut in eo ex Abrahami posteris oriundo omnes gentes benedicerentur (Gen. 12, 3. 18, 18. 22, 18. 26, 4); ut ex Juda, Jacobi filio, nasceretur, quando sceprum ab eo oblatum fuerit et dux de femore ejus (Gen. 49, 10.); ut ex Davidis et Salomonis familia ortus aedificaret domum nomini Domini, et ut regni ejus thronus usque in sempiternum (II. Sam. 7, 13.); ille, inquam, vulneris antiqui medicus, generis humani Salvator ejusque opus eo frequentius et accuratius annuntiatur, quo magis appropinquavit tempus adventus ejus. Sic Joël regnum messianum designat spirituale, in quo Jehova Spiritum suum effusurus sit super omnem carnem (2, 28. seqq.); Amos promittit restitutionem tabernaculi David ejusque populi (9, 11.); Michaeas praedicit, futurum, ut Bethlehemo progrediatur, qui sit dominator in Jsraël, et cujus egressus ab initio, a diebus aeternitatis (5, 2.); Jsais prophetat, auctorem regni divini, in quo vera religio, cultus Dei purissimus, mornm sanctitas, pax et tranquillitas regnatura sit, Jmmanuelem fore, a virgine conceptum et natum, cujus nomen admirabilis, consiliarius, Deus, fortis, pater futuri saeculi, princeps pacis (7, 14. 9, 6. cc. 11. 40—66); de novo foedere vaticinatur Jeremias (31, 31, seqq.); de novo pastore Davide Ezechiel (34, 23.); Daniel de 70 hebdomadibus, quarum ultimâ futurum sit, ut Christus occidatur, civitatem et sanctuarium dissipêt populus cum duce venturo, ita ut finis ejus vastitas et post finem belli statuta desolatio (9, 24. sepp.); Haggaeus desideratum cunctis gentibus templum secundum gloriâ suâ impleturum esse praedicit (2, 8.); Zacharias regem et pastorem depingit pauperem, humilem, venditum, derelictum et percussum (9, 9. 10, 12. 12, 10. 13, 7,); Malachias eum sistit ad templum suum venturum, omnem impietatem et injustitiam judicaturum, et per Eliam prophetam praecursoremque introductum (3, 1. seqq. 4, 5. 6.); denique prophetarum V. T. ultimus, Joannes Baptista, digito monstrans in Jesum dixit: „Ecce agnus Dei, qui tollit peccata mundi“ (Jo. 1, 36.). — Propheta igitur revera erat נָבִיא i. e. vir, e quo sermo Dei scaturit, *θεολόγος*, רֹאֶה seu חֹזֶה ,quia ceu Spiritus s. organon videt, quod aliis mortalibus occultum est; erant צוֹפִים et שֹׁמְרִים excubitores, custodes, quoniam legis observationi invigilabant, cominus et eminus eventus spectabant; erant viri Dei, quia cum Deo arctius juncti; servi Dei, quod Dei ministerio vires et vitam suam dicabant; nuntii Dei, quoniam a Jehova missi mandata ejus exsequebantur, et missionem suam etiam factis extraordinariis, certam vaticiniorum de eventibus remotioribus adimpletionem annuntiatione rerum aut praesentium aut proxime eventurarum demonstrabant; erant denique primi evangelistae *).

2. *Scientia supernaturalis in prophetis multifariam multisque modis* (Hebr. 1, 1.) *effecta est, dum Spiritus s. aut formis et sonis,*

*) Cfr. I. Sam. c. 10. 20, 2. seqq. I. Reg. c. 13. II. Reg. 19, 29. 20, 9. Is. 7, 15. seqq. cum v. 14.

qui in sensus cadunt, ad captum humanum sese demisit (v. g. Jerem. c. 1. I. Sam. c. 3.); *aut viro electo ecstasi ultra communem vitae spiritualis sphaeram evecto coelestes revelationes tribuit; aut in mente intuitiones et cognitiones altioris ordinis excitavit.* Modus prior locum habuit in propheta sive vigilante sive dormiente; alter varios gradus admisit, quorum supremus in ipsa Dei intuitione constitit, infimus vero musicâ, murmure rivi etc. excitatus est (I. Sam. 19, 30. II. Reg. 3, 15. I. Chron. 25, 1.), et tantum influxum in appropinquantes exseruit, ut hi ipsi absque ulla praeparatione corriperentur (ut I. Reg. 11, 12.); tertius vero non mediante somno aut ecstasi in animo puro, exercitatione rite praeparato et Deo vere addicto effectus est, quin vitae spiritualis cursus turbaretur.

3. *Licet vero prophetae ultra virium humanarum limites essent elati, tamen conscientia et in genere proprietates eorum humanae nequaquam suppressae, sed potius omnes eorum facultates spirituales influxu divino ad majorem, et quidem eum perfectionis gradum evectae erant, quo consiliis divinis inservirent, et hoc ipso conditio prophetae a statu hariolorum ethnicorum, fatidicorum et aliorum hujus generis differt, quod ille sibi conscius et sobrius est, hi vero mentis impotes sunt et furentium instar se gerunt ac loquuntur* *).

4. *Etsi prophetae praeterita, praesentia et futura bene distinguunt, haec tamen quo temporis spatio a se invicem distent, plerumque ignorant* (I. Petr. 1, 10—12); quemadmodum enim videmus quidem supra nos sidera, quanto vero intervallo a nobis distent, nec non quae proprius, quae remotius absint, non animadvertimus: ita et vatibus sacris eventus futuri ceu contigui manifestantur; unde explicatur, quomodo v. g. vaticiniis de reditu e captivitate immixta sint ea, quae Messiae venturi spem spectant, et quomodo felicitas civium regni messiani post alterum Christi adventum consummandi parusiae ejus his in terris in genere tribuatur. *Denique*

5. *prophetae, ubi simpliciter narrant, stylum prosaicum, quando autem de eo agitur, ut animus commoveatur, omnia media adhibent poëtis adamata;* hinc frequenter utuntur rarioribus vocibus et vocum formis, inusitatis constructionibus, tropis insolentioribus, parabolis et allegoriis, actionibus et nominibus symbolicis aut ex historia desumtis, aut fictis; antithesibus et sententiose dictis, paronomasiis et agnominationibus; numeris certis (3, 5, 7, 10, 40, 100, 1000, 10,000) pro indefinitis minoribus aut majoribus; neque respuunt prosopopoeiam, ironiam et hyperbolam, rhythmum et parallelismum membrorum; descriptionibus vividissimis res quasi ob oculos sistunt, et repetitâ partium enumeratione lectoris attentionem ad cogitatum principalem di-

*) Cfr. Graecorum *μάντις* et *μαίνεσθαι.*

„Subito non vultus, non color unus,
Non comtae mansere comae, sed pectus anhelat,
Et rabie fera corda tument.“ Aen. VI. 46.

Οἱ θεομάντεις καὶ χρησμῳδοὶ πολλὰ λέγουσιν ἐνθουσιάζοντες καὶ καλὰ, ἴσασι δὲ οὐδὲν ὧν λέγουσι. Plato apolog.

rigunt; nihil vero aequiparari potest splendori imaginum magnificarum, quibus visiones eorum descriptae eventus diversos, institutiones et praecepta divina exhibent (cfr. v. g. Amos. cc. 7. 8. 9. Js. c. 6, Ezech. c. 1. seqq. Zach. c. 2, seqq. I. Reg. 22, 17—23. et Apoc.) *).

Imagines autem suas prophetae desumserunt:

a) Ex visibili rerum natura, ejus partibus, productis ac phaenomenis. Sic familiam quandam aut genus repraesentare solent sub imagine arboris, cujus radices et stirps proavos aut familiae caput, surculi vero et frondes posteros indicant, v. g. Ps. 128. Quare prophetae ipsum Messiam ad indicanda primordia ejus apparenter exigua per frondem designant e stirpe Jesse enascentem, per surculum e radice exsurgentem, ut Js. 4, 2. 11, 1. 10. 53, 2. Apoc. 5, 5.; imo imago haec ultima apud Jeremiam (23, 5. 33, 15.) et Zachariam (3, 8. 6, 12.) in nomen proprium Messiae abiit (cfr. Mt. 2, 23.). Ratione habita ejusdem imaginis mors Messiae exprimitur per abscissionem e terra viventium (Js. 53, 8.); augmentum ejus et majestas in regno suo per frondem tenuem in cedrum proceram in monte excelso accrescentem, sub cujus umbrâ omnes volucres coeli, i. e. omnes gentes terrae quiescunt (Ez. c. 17. Mt. 13, 31—33.). Eventus terribiles designant per corporum coelestium motum (extraordinarium), per solis et lunae obscurationem, stellarum casum, ut Js. 13, 9. 10. Ez. 32, 7. Joël. 2, 10. 3, 15. (cfr. Mt. 24, 29. et ll. parall.). Joël. 1—2, 11. graviores poenas divinas delineat sub imagine devastationis terrae per locustarum agmina effectae; contra autem futura distributio bonorum divinorum per irrigationem deserti, locorum aridissimorum terrae promissae hiemis et aestatis tempore repraesentatur (Joël. 3, 18. Ez. 47, 1—12. Zach. 14, 8. Js. 41, 18. 44, 3. 4.).

b) Ex vita domestica, e moribus et consuetudinibus populi sui. Sic Jsaias 5, 1. seqq. populo ingrato imminentes Dei poenas annuntiat sub imagine destructionis vineae omni cura plantatae, cunctis necessariis instructae (cfr. Mt. 21, 33. seqq.). Pax, tranquillitas et beatitas temporis messiani describitur per quietem sub ficu aut vite umbrosa (Mich. 4, 4. Zach. 3, 10.), aut per terram frugiferam, quam pluvia et ros tempestive destillans refrigerat et fecundat (Ez. 34, 26. coll. cum Levit. 26, 4 seqq. Deut. 11, 13. 14. 26, 3. seqq.). Porro ex vita nomadum, qui ducem et regem sub imagine pastoris gregi praepositi, eum ad pascua et aquas ducentis repraesentare amabant, facilis erat transitus ad magnum illum regem promissum, Messiam, per pastorem insignem indicandum (Js. 40, 11. Ez. 24, 23. Os. 3, 5. Zach. 13, 7. cfr. Jo. 10, 11. 14.). Ad designandam relationem inter Deum et populum suum arctissimam nihil aptius erat, quam imago a matrimonio desumta; hinc etiam, uti diffidentia, incredulitas et quaevis idololatriae species per fornicationem seu adulterium, ita et misericordia Dei erga populum ingratum et idololatram per receptionem adulterae repraesentatur (Js. 54, 1. seqq. Jer. 2, 2. 3, 1—5. Ez. 16, 23, 5—45. cfr. Mt. 5, 32. 19, 9.).

---

*) Cfr. Scholz Einleitung in die heil. Schriften des A. u. N. T. III. Bd., et Haneberg. Versuch einer Geschichte der bibl. Offenbarung.

c) Ex historia populi israëlitici; nam beneficia et gratiae, quas Deus populo suo tribuerat, poenae et castigationes, quibus ipsum et patres ejus afflixerat, inserviunt ad ulteriora ejus fata depingenda, et ad modum indicandum, quo regnum Dei perficiendum sit. Hinc prophetae judicium severum de impiis et eorum interitum exprimere solent per ignem e coelo cadentem, cujus imaginis occasionem eis praebuit eventus horribilis Gen. 19, 24. narratus (Ps. 11, 7. Ez. 38, 22. Nah. 1, 6. Jer. 7, 20. Thren. 2, 4.); venturos hostes Assyrios, Moabitas, Edomitas etc. nominant (Js. 14, 34, Amos. 9, 12. Zach. pl. ll. Jer. c. 31.); contra vero ad indicandam fidelium salutem futuram de iterata reductione populi per mare rubrum, per desertum, Jordanem verba faciunt (Js. 11, 15. Os. 2, 15. Js. 4, 5. Zach. 10, 11.).

d) Ex theocratia ejusque institutis primariis: regio, prophetico et sacerdotali. Sic Zion et Jerusalem, centrum theocratiae typicae, multis in locis nominatur centrum regni Dei perfecti (cfr. Apoc. 21, 10 seqq.); dilatatio regni divini futuri ceu receptio Canaanitarum, immundorum et incircumcisorum in foedus Jehovae, ceu participatio gentium in festis populi Dei (Js. 65, 66, Zach. 14, 19. 21.), ceu communicatio sanctitatis cum rebus profanissimis et immundissimis describitur (Jer. 31, 40. Zach. 14, 20. 21.); peccati abolitio sub imagine immunditiae leviticae deletae repraesentatur (Zach. 13, 1.); cultus divinus in spiritu et veritate per Messiam introducendus qua perduratio sacrificiorum et ministerii levitici sistitur (Jer. 33, 18.); Messias ipse David, et illius praecursor Elias vocatur (Os. 3, 5. Jer. 30, 9. Ez. 34, 23. Mal. 4, 5.).

§. 106.

Continuatio.

In interpretatione liborum et partium propheticarum commentator

1. *Aevi, quo propheta munere suo gravi ac difficili functus est, et adjunctorum illius historicorum tum ex ipso libro exponendo, tum e scriptis historicis V. T., in quantum fieri potest, accuratissimam exhibeat imaginem; inde enim orationis occasio et auctoris consilium, nec non materiae tractandae selectus et modus dependebat.*

2. *Ambitum eorum, quae cohaerent et totum efficiunt, probe determinet; nam ut quaevis alia oratio, ita et prophetica suum habeat initium suumque finem et thema principale, necesse est.* Propheta plerumque quidem progreditur a praesentia et voluntatem divinam cum statu et agendi ratione populi comparans increpat, ad resipiscentiam provocat, pervicacibus minatur et poenas annuntiat; dein transit ad felicem conditionem futuram describendam, ut tum aberrantes ad poenitentiam moveantur, tum pauci fideles confortentur et erigantur. Ast non desunt repentinae transitiones et exceptiones memoratu dignae, licet non arbitrariae; etenim majoris effectus causa oratio fulminis instar jam haec, jam illa illustrat, et subito ad alia abripit; jam ob beneficia a Deo accepta, jam ob felicitatem futuram

Israëli destinatam ingratitudinem ejus clarissima in luce collocat; jam sermo poenis et minis absolvitur, ut saepe apud Amosum, qui sub finem demum operis de felicitate futura agit (cfr. c. 4 et 5.); jam ab initio destinatio populi exponitur, quo clarius contraria ejus agendi ratio perspiciatur (v. g. Js. c. 2., Mich. c. 4. Jerem. c. 2.). Judicio itaque diuturna exercitatione acuto opus est interpreti, quod tamen haud raro juvatur inscriptionibus aut formulis, quae novae orationis initium indicant, et quas ab ipsis auctoribus descendere, ostendit consensus earum cum argumento (v, g. Js. 6, 1. 14, 28. 20, 1. 2. Jerem. 2, 1. 7, 1. al. Nahum. 1, 1.), nec non usus nominum symbolicorum, quae auctori alias usitata, et ratione habita argumenti inventa sunt (v. g. Js. 21, 1. 11. 22, 1. coll. cum 29, 1. 22, 6. 7, 3. 14. 8, 1.).

3. In partibus propheticis proprie sic dictis ea, quae ob prospectum propheticum conjuncta sunt, separet, et vaticinia messiana ab aliis probe discernat. Ad illud efficiendum sequentia inserviunt media:

a) Accuratiores temporis determinationes, quae prophetis nonnunquam contigerunt, uti de 70 annis exilii babylonici apud Jerem. 25, 11. 29, 10.; de 70 hebdomadibus apud Dan. 9, 24. seqq.

b) Formulae, quibus ab ipso propheta eventus futuri sejunguntur, ut אַחֲרֵי־כֵן Joel 3, 1., *εὐθέως δὲ μετὰ τὴν θλῖψιν τῶν ἡμερῶν ἐκείνων* Mt. 24, 29. coll. cum Mr. 13, 24.

c) Comparatio locorum, ubi conjuncta disjunguntur, ut Luc. 21, 25. coll. cum locis parallelis.

d) Collatio historiae cum vaticinii argumento, utpote quae docet, quaenam et quomodo jam adimpleta sint, quorum vero adimpletio adhuc exspectanda, ut praeter vaticinia V. T. illa Christi et s. Joannis in Apocalypsi.

4. Vaticinia messiana una cum speciebus suis duce N. F. et ss. Patrum consensu tum dignoscat, tum modo §. 95. indicato demonstret vindicetque; nam „omnis prophetia Scripturae propria interpretatione non fit; non enim voluntate humana allata est aliquando prophetia; sed Spiritu s. inspirati loquuti sunt sancti Dei homines“ (II. Petr. 1, 20. 21.).

5. Voces, vocum formas, sententiarum constructiones, tropos, imagines, figuras etc. prophetis non minus, quam poëtis proprias sedulo expendat, rationem et omnem earum vim adhibitis regulis communibus doceat.

6. Quodsi hujus illiusve prophetiae adimpletio ex historia demonstrari nequit, rationem indicet, quae sita est aut a) in nostra imperfecta historiae antiquae cognitione, v. g. Is. 14, 28—30. de Philistiis; ibid. 15, 1. seqq. de Moabitis; c. 20. de expeditionibus bellicis contra Aegyptios et Aethiopes; *aut b) in vaticinio conditionate prolato*, ut Jonae c. 3. coll. cum c. 4.; *aut denique c) in ipsius prophetiae argumento historice nondum ad finem deducto*, quo praecipue pertinent vaticinia, quae de Christi adventu (secundo), de ejus regno et hujus civibus, de futura conversione Israëlis, de poe-

nis cuicunque regni divini adversariorum infligendis agunt; v. g. Joël. 2, 28. coll. cum Is. 44, 3. (de effusione Sp. s. in omnem carnem); Jer. 31, 34. (de perfecta omnium scientia); Is. 65, 17. seqq. 66, 22. seqq. coll. cum Rom. 8, 19—22. Apoc. 21, 1. seqq. (de restitutione omnium); Is. 11, 6—8. 65, 17. 66, 22. Jer. 31, 38. Zach. 13, 1. 14, 21. (de universali sanctitate); Is. 2, 4. 65, 19. seqq. Ps. 71, 3. seqq. Zach. 9, 10. Joël 2, 19—27. (de pace et felicitate universali).

§. 107.

D) In libris et partibus librorum poëticis.

Prophetarum activitati illa poëtarum non tantum coaeva, sed etiam affinis est; nam si donum vere poëticum ad vitam nobiliorem reddendam destinatum spirituales hominis vires ultra sphaeram vitae communis attollit, idem eo magis in s. Scriptura locum habet; hinc multa prophetarum dicta poëtica sunt, et vice versa in libris poëticis plura inveniuntur prophetica.

1. *Quod attinet poëseos sacrae formam, haec aut lyrica, aut didactica est, in libro Job vero et in Cantico canticorum dramaticam attingit, et licet rhythmum quidem, non autem metrum aliis gentibus usitatum, neque homoeoteleuta versuum habeat, inter omnia tamen profanorum opera elegantissimo membrorum parallelismo eminet, et a stylo prosaico etiam selectu peculiarium vocum, formarum, imaginum, et sententiarum constructione distinguitur.*

2. *Antiquissima jam aetate viris, quorum animus ad Deum erat directus, qui manum ejus directricem mirabilemque in omnibus eventibus cognoscebant, praetera sub coelo amoenissimo degebant, abundantissima non deerat materia, qua ad sensa sua pia manifestanda abriperentur. Certa autem poëseos vestigia in populo israëlitico praecipue inde a Moysis tempore reperimus.* Sic immediate post exitum ex Aegypto triumphus causae divinae praeclaro hymno celebratur Exod. c. 15.; sub finem migrationis per desertum non tantum Bileam Nabataeus prophetias poëtice edit (Num. 21, 14. seqq.), sed etiam alia poëmata inveniuntur (Num. 21, 1—25, 19.); imo Moyses valedicens et benedicens populo cantico magnifico utitur (Deut. cc. 32. 33.). Ipso tempore judicum, morum ferocitate insigni, deprehendimus egregium Deborae carmen (Judic. c. 5.). Mature jam exstitit collectio poëmatum, liber Hajaschar dicta, quae procul dubio destinata erat factis heroum celebrandis, uti docent duo exempla inde repetita, nimirum Jos. 10, 13. seqq. et II. Sam. 1, 18. seqq. (Cfr. Num. 21, 14., ubi liber bellorum Domini commemoratur). Ast his non obstantibus

3. *illa ars poëtica, qua sensis hominis relate ad Deum adaequata reddebatur expressio, qua vita religioso-ethica animi humani hymnis manifestabatur, a Davide demum exculta est, ita quidem, ut Psalmos apud nullam aliam gentem reperias. Quemadmodum*

vero hymnus (שִׁיר) *fidem et spem, desideria et sensa religiosa, calamitates et solatia manifestabat: ita*

4. *gnoma* (מָשָׁל) *sapientiam vitae religioso-ethicae duce revelatione divina ex experientia haustam docebat, hinc in institutione et conversatione locum primarium occupabat, et tutoris instar, qui inferiores stimulos libertatisque abusum domaret, ad formandam firmandamque sapientem cogitandi, sentiendi et agendi rationem in variis vitae hujus adjunctis tendebat. In collectionibus autem gnomarum aut quaevis sententia gnomica per se subsistit,* i. e. nec cum praecedentibus, neque cum sequentibus cohaeret, ut Proverb. 10, 1—22, 16. 25, 1—29, 27. Eccli 20, 27—23, 6.; *aut idem thema per plures versus, imo sectiones pertractatur, ita ut materia quaedam e diversis partibus spectata exhibeatur,* ut proverbia Aguris (Prov. c. 30.), reginae matris ad filium et laudes mulieris fortis (Prov. c. 31.), aliae partes Proverbiorum (1, 6—9, 18.), multae in Ecclesiaste, plures sectiones in libro Jesu Sirach et Sapientiae. *Illa gnomarum forma, quae antiquior censetur, magis artificiosa et difficilior est intellectu, quia saepius aut integrae sententiae, aut saltem voces quaedam supplendae sunt, aut membra sibi non congruunt, ita ut v. g. primum regulam vitae ex experientia haustam, alterum vero rationem illius vel sequelam indicet, sicque ad profundiorem indaginem invitet.*

§. 108.

Continuatio.

In expositione poëmatum sacrorum commentator

1. *firmiter teneat ac defendat, librum Job non fictam, sed veram historiam poëtice propositam exhibere; Canticum canticorum symbolicam esse repraesentationem spiritualis amoris inter Deum et animam piam vel populum electum in V. T., inter Christum et ecclesiam in N. F.; Psalmos animo humano in diversissimis vitae adjunctis piorum sensorum, fidei et spei, gaudii et solatii abundantissima offerre nutrimenta; tandem in libris gnomicis non prudentiam tritam, sed sapientiam religioso-moralem contineri, cujus initium timor Domini, et quam insipientes despiciunt* (Prov. 1, 7.); primum postulant loca Ezech. 14, 14. 18. 20. 28, 3. Tobiae 2, 12. 15. Jac. 5, 11. (cfr. subscriptionem versionis Sept.); alterum docet receptio libri in Canonem Judaeorum non minus, quam Christianorum, nec non auctoritas ss. Patrum; tertium et quartum profundius studium et experientia sat superque ostendit.

2. *Lectorem in adjuncta poëtae sacri transferat, in ejus culturae religioso-ethicae gradu collocet, aut, ubi auctor ejusque circumstantiae non accuratius cognitae sunt, in genere fatorum, quae justi subierunt, cognitione imbuat, et eorum desideria ac sensa doceat.* Sic ad plurium Psalmorum interpretationem sufficit scire, poëtam sacrum calamitatibus fuisse pressum, in exilio vixisse, populum suum dispersum et sacrarium devastatum deplorasse; in aliis occasio erat

universalis, quia naturae humanae communis est, ita ut piis omnium temporum in hujus vitae curriculo sese obtrudat.

3. *Partes, quae cohaerent et totum efficiunt, discernat.*

4. *Primariam totius poëmatis ideam proponat; inde enim illius character et denominatio dependet, qua in re haud raro juvatur notitiis historicis*, ut de plurium Psalmorum usu ad cultum divinum diversis occasionibus celebrandum (v. g. 15 Psalmi graduum, i. e. 120—137., Hallel magnum seu Psalmi 113—118., Ps. 118, 25. 127, 1.); *porro N. T. auctoritate et ss. Patrum fide*, ut in Psalmis messianis.

5. *Quomodo ex idea primaria singulae partes radiorum instar promanent, et ea duce intelligendae sint, ostendat.* Sic v. g. in Eccle singula dicta, si in se spectentur, Epicuraeorum sensualitatem sapere videntur (cfr. 3, 12. 13. 19. seqq.); ast si totum opus respiciamus, invenimus, auctorem veram viam, quae ad animae tranquillitatem ducit, ostendere, et falsis mediis opponere, superbiam hominis reprimere, et simul ejus dignitatem elevare velle; illud quidem, superiorem in mundo potestatem monstrando; hoc vero, relationem nostram ad Deum in memoriam revocando (cfr. 12, 6. 7.). *In specie vero*

6. *in Psalmis doceat, quo gradu singuli sint id, quod omnibus commune est, nempe manifestatio animae piae, quae cum Deo uniri desiderat;* num nimirum a) vates sacer pacifica unione cum objecto desideriorum suorum fruatur, id, quod in hac vita raro contingit, ideoque in paucissimis Psalmis integris repraesentatur, v. g. in 45, quo et pertinent hymni, in quibus consideratio attributorum divinorum et eorum effectuum dominans est; an b) psaltes hominis Deo pie addicti tranquilla gaudia domestica praedicet, ut Ps. 128.; an c) quod frequentissime fit, anima Deum diligens metum inter et spem fluctuet; de communibus aut propriis malis conqueratur et consolationem in Deo quaerat, quo praecipue pertinent Psalmi poenitentiales non solum in officio ecclesiae designati, sed et alii, inter quos 90., qui Moysi adscribitur eoque omnino dignus est, de peccati culpa et poena totius generis humani dolet (cfr. Ps. 39.); an denique d) triumphus boni per Deum effectus celebretur. Plures hujus classis Psalmi generales sunt, praecipue illi, qui gratiarum actionem ob liberationem e captivitate continent; alii autem spem pronuntiant auxilii a Deo immediate ferendi, et ex hac ipsa causa recte habentur messiani, qui non tantum pugnas et passiones Dei Salvatoris contra malum, sed etiam charitatem ejus victricem depingunt. *In Psalmis messianis, cum verae prophetiae sint, interpretandis ac vindicandis eaedem regulae, ut in hisce adhibendae sunt.*

7. *In gnomis solitariis antiquioris et aenigmaticae formae a) doctrinam lectoris indagationi relictam suppleat;* v. g. Prov. 20, 12.: „Aurem audientem et oculum videntem, Dominus fecit utrumque," supplendum: ergo ipse audit et videt; 22, 2.: „Dives et pauper obviarunt (obviant) sibi; utriusque operator est Dominus"; ergo ille ne superbiat, neque hic desperet; *b) membrorum incongruorum rationem et vim ostendat;* v. g. Prov. 10, 14.: „Sapientes abscondunt scientiam; os autem stulti confusioni proximum est", i. e. stultus

ore omnia effutiens in periculo versatur, ne eum dictorum poeniteat; 10, 8.: „Sapiens corde praecepta suscipit; stultus caeditur labiis“, i. e. sapiens salutaria monita corde suscipiendo saluti suae prospicit, stultus vero ore suo vana proferendo perniciem sibi parat.

V. Interpretatio popularis-practica.

§. 109.

Ejus notio, discrimina ratione habita interpretationis eruditae, finis et utilitas.

1. Interpretatio popularis-practica est illa, quae aedificationem moralem lectoris vel auditoris maxime intendit, i. e. animum piis sensis imbuere, et voluntatem ad bonum peragendum determinare conatur.

2. Differt vero ab interpretatione erudita, quod haec subtilioribus disquisitionibus indulget, obscuriora et dubia quaevis examinat et illustrat, difficultates vel minimas solvit, magnum eruditionis apparatum, amplam linguarum, archaeologiae, in genere disciplinarum biblicarum cognitionem requirit, et auditoribus aut lectoribus destinata est, qui ad altiorem culturae intellectualis gradum aspirant; illa autem emendationem animi et hunc in finem tantum etiam mentis illustrationem spectat; in certis, planis et claris subsistit, applicatu facilibus et animum elevantibus occupatur; mentem sanam lectione, meditatione, precibus et experientia mature illustratam postulat, et cuique destinatur, qui animum emendare et vitam vere christianam agere desiderat.

3. Interpretatio popularis-practica sensum singulorum locorum s. Scripturae supponit quidem et exponit; attamen in hisce non acquiescens, et sensus indagationem non finis, sed medii instar considerans eo praecipue tendit, ut menti materia ad meditandum, animo sanum nutrimentum ad pie sentiendum, et toti hominis spiritui vera directio ad bene agendum suppeditetur.

4. Interpretatio haec recte instituta non potest non saluberrimos proferre fructus; nam satisfacit indigentiis cultioris non minus, quam rudioris, eruditi aeque ac cujusvis Christiani; ad quid enim prodest omnis eruditio, profundissima ss. literarum cognitio et religionis christianae professio sine piis animi sensis, absque firma voluntatis ad omne bonum determinatione? „Litera occidit, spiritus autem vivificat“ II. Cor. 3, 6. „Si linguis hominum loquar et angelorum, charitatem autem non habeam, factus sum velut aes sonans aut cymbalum tinniens“ I. Cor. 13, 1. seqq.

§. 110.

De dotibus interpretis popularis-practici.

Interpres popularis-practicus praeditus sit:

1. Accuratissimâ historiae et doctrinae tum biblicae, tum ecclesiasticae, porro sensus singulorum locorum s. Scripturae, nec non

psychologiae cognitione; secus enim non tantum aedificationem moralem absque solido fundamento promovere niteretur, sed etiam errores gravissimos committeret.

2. *Subtiliori observationis dono, phantasia vivaci et memoria fideli, ut, quae singulis locis insunt momenta practica certa, propinqua et efficacia, rite cognoscat et adhibeat.*

3. *Sincerissimo Christi et hominum amore, intrepido veritatis et virtutis studio, ne quid celet, quod ad causam Christi et proximi salutem promovendam spectat, licet acerbum sit ac durum;* „vivus est enim sermo Dei et efficax et penetrabilior omni gladio ancipiti, et pertingens usque ad divisionem animae ac spiritus, compagum quoque ac medullarum, et discretor cogitationum et intentionum cordis." Hebr. 4, 12.

4. *Prudentiâ pastorali et experientiâ maturâ, ut, quae temporis et lectorum indigentiae postulent, intelligat, et opportune adhibere sciat.*

§. 111.

Regulae speciales observandae *).

Interpres popularis-practicus

1. *Quae in actione, eventu narrato aut in oratione ad institutionem lectorum vel auditorum et ad imitationem praecipue apta sunt, indaget et proponat;* v. g. Mr. 12, 41—44. Vidua pauper omnibus plus misit in gazophylacium, licet nonnisi quadrantem offerret, quia omnia obtulit, quae habuit, et quae ei ad vitam sustentandam necessaria erant, idque in providentia divina firmissime confisa, cum animo a bonorum terrenorum amore libero et dolens, quod non plura offerendo par esset. Et Jesus, qui contra gazophylacium sedebat et aspiciebat, quomodo turba jactaret aes in thesaurum templi, inter millia offerentium animadvertit pauperem viduam ab omnibus neglectam, pretium doni ejus exigui aestimat et hocce omnibus divitum muneribus praefert. Doni itaque et in genere benefactorum nostrorum pretium non a quantitate dependet, sed ab animo, ex quo prodeunt. Jesus, qui his in terris visibiliter versans occultissimum bonum animadvertit, et munusculum viduae tantis laudibus celebravit, num ad dextram Patris nunc sedens charitatis opera vilipendet, et, quando judex ac remunerator advenerit, factum illud et quidcunque laude dignum est, mercede frustrabit? — Mt. 22, 21.: „Reddite ergo, quae sunt caesaris, caesari, et quae sunt Dei, Deo." Christus cuique suum tribui jubet; Evangelium praedicat subjectionem, obedientiam, justitiam et ordinem, quae sunt regnorum fulcra; non ergo est, quod principes hujus terrae regnum Christi timeant. Licet regnum Christi non sit de hoc mundo, tamen cuivis

*) Hisce regulis non theoriam plene exhaustam praebere, sed potius nutus quosdam tironi exhibere voluit auctor duce praeclaro opere: Vorlesungen aus der Pastoraltheologie herausgegeben von J. M. Sailer I. Bd.

regno mundi suum tribui praecipit. Jesus auctoritatem suam non interponit terrestribus regiminis politici rebus, neque jura principum dijudicat; sed simpliciter praecipit: „Reddite caesari, quae caesaris sunt.“ Attamen alienissimus a praedicanda virtute mere politica emphatice adjungit: „Et Deo, quae Dei sunt,“ innuens, in illis tantum obedientiam denegandam esse caesari, quae voluntati divinae adversantur. Verus itaque Christi discipulus non est, qui officium caesari reddendi, quae caesaris sunt, praetendens Deo denegat, quae Dei sunt, et vice versa. Verus Christi discipulus in omnibus, quae caesaris sunt, fidelis est caesaris subditus, et quam primum talis esse cessat, verus Christianus esse desiit. Quodsi ergo principes volunt, ut cives eis reddant, quae ipsorum sunt, faciant, ut Deo dent, quae Dei sunt. Qui Deum non timet, neque regem honorat.

2. *Praecepta cum promissis comparet, et quantopere haec illis respondeant et ea superent, ostendat.* V. g. Mt. 5, 8.: „Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt.“ Jesus hic postulat, ut cor nostrum mundum sit non tantum ab obsoenis cupiditatibus et carnalibus desideriis, sed etiam a bonorum terrenorum amore, honorum cupidine, a superbiae, iracundiae, invidiae, in genere ab omnibus vitiorum inquinamentis. Quodsi Jesus longe alia, quam sensualitas postulat, longe aliud etiam promittit praemium; si carni durum est Christi praeceptum: Mundus sis: spiritui dulce est promissum: Deum videbis. Quam praeclare illi praecepto hocce promissum respondet! nam Deum, ens purissimum, nonnisi spiritus purus videre potest. Omnibus itaque viribus studeamus cor nostrum mundare ab omnibus, quae illud inquinant, ut videre nobis contingat eum, qui est purissimus ideoque beatissimus.

3. *Salutares effectus exponat, quae ex observatione doctrinae cujusdam enascuntur.* V. g. Mt. 5, 37.: „Sit autem sermo vester: Est est, non non.“ Quam praeclara foret vitae nostrae conditio, si omnes huic praecepto satisfacerent! Ad fidem habendam aut faciendam non opus esset dextra data, non jurejurando, non sigillo, non literis ac testibus etc.; omnis fraus et dolus, quodvis mendacium, quaelibet simulatio, adulatio, et seductio, omnis mentis reservatio e commercio nostro exsularent; id solum, quod mens cogitat, animus sentit, voluntas decrevit, lingua irreformabili certitudine eloqueretur. Ast, proh dolor! ubinam haec sancta simplicitas invenitur?

4. *Praejudiciis, quae efficiunt, ut homines in solis externis acquiescant, occurrat, et, in quo rei cardo versatur, interna animi sensa, motiva ac consilia ubique locorum urgeat.* V. g. Mt. 7, 21.: „Non omnis, qui dicit mihi: Domine, Domine“ etc. Nomen „Jesus“ in se spectatum non majorem habet vim, ac quodvis aliud nomen; pronuntiatum itaque absque viva in Jesum fide, absque summa reverentia et confidentia, absque amore Christi, qui operibus se manifestat, nihil omnino prodest. Qui se Christianum profitetur, quin vitam vere christianam agat, inutilis est servus, qui e regno coelorum glorioso exclusus in tenebras ejicietur exteriores, ubi erit fletus et stridor dentium; qui vero Christi non tantum nomen gerit, sed

et spiritu ejus animatur; qui facit voluntatem Patris coelestis, ipse est, qui intrabit in regnum coelorum.

5. *Doctrinam Christi historiâ ejus illustret.* V. g. Mt. 5, 7.: „Beati mites, quoniam ipsi possidebunt terram.“ Mitissimus inter filios hominum nunc beatissimus est; quare mites beatos praedicare potuit; mitissimus nunc ditissimus est, Dominus omnium, cui omnis potestas data est in coelo et in terra; propterea mitibus terram novam possidendam polliceri potuit; mitissimus per passiones intravit in gloriam suam; ideo terrae possessionem, omnium bonorum fruitionem qua beatitatem et fructum animi mitis celebrare potuit. Quod Jesus ore docuit, facto exercuit, exemplo in cruce pendens luculentissime manifestavit, nunc ad dextram Patris sedens confirmat, nempe effatum suum: „Beati mites, quoniam ipsi possidebunt terram.“

§. 112.

Continuatio.

6. *Falsas hominum notiones ope notionum, quae effatis biblicis insunt, corrigat.* V. g. Luc. 9, 55.: „Nescitis, cujus spiritus estis. Filius hominis non venit animas perdere, sed salvare.“ Ipse Joannes, inter Apostolos Christi mitissimus, pio fervore ob Samaritanorum inhumanitatem adeo incaluit, ut ad eos puniendos ignem de coelo descendere desideraret. Ita et hodiedum homines studio religionis ducti tantopere nonnunquam fervescunt, ut spiritus Christi obliti damnari et deleri cupiant, quicunque causae Christi renituntur. Attamen ejusmodi zelatores haud raro carnem et sanguinem sequuntur, dum Christi causam agere videntur; nam zelus sincerus fortis quidem, verum et patiens, mitis et parcens est; fervor a patientia, misericordia et mansuetudine alienus non est christianus, non est ex Deo; etenim Christus non venit, ut animas perderet, sed salvaret doctrina, exemplo, patientia, longanimitate, beneficentia; arundinem quassatam non confregit, et linum fumigans non exstinxit.

7. *Generales doctrinae moralis sententias factis biblicis illustret;* v. g. praeceptum de obedientia Deo in omnibus circumstantiis praestandâ exemplo Abrahami, qui paratus erat ad filium suum unicum offerendum, praecipue autem Jesu, qui Patri obediens erat usque ad mortem, mortem autem crucis.

8. *In principalibus Christi mandatis distinguat et determinet eorum universalitatem, perspicuitatem, applicationem facilem, simplicitatem et vim in animum humanum, nec non ubertatem vitae regularum inde resultantium.* V. g. Mt. 7, 12.: „Omnia ergo, quaecunque vultis, ut faciant vobis homines, et vos facite illis; haec est enim lex et prophetae.“ Praeceptum hoc est a) universale α) relate ad argumentum; nam quidquid ad salutem proximi spectat, verbis illis comprehenditur, ut misericordia, benignitas, charitas verbo et facto demonstranda; β) respectu personarum; etenim quicunque homo vocatur, praecepto illo obstringitur, sive sit rex sub solio splendido sedens, sive mendicans, veste lacera incedens; γ) intuitu eorum, in

quorum gratiam lex illa lata est; de beneficiis enim ejus observandae participent oportet omnes, qui humana natura gaudent; δ) ratione habita effectuum sive salutarium ex ejus observatione, sive tristissimorum ex ipsius neglectu manantium. Porro praeceptum illud est b) perspicuum et facile applicatu; nam quaemadmodum quilibet scit, quid in his vel illis circumstantiis desideret: ita et in alterius adjuncta sese transferens definire valet, quid ejus votis respondeat; c) simplicissimum et efficacissimum, quia, si ejus memor esset, quod paucissima haec verba postulant, fur aut latro manum ad praedam jam extensam retraheret, homicida cultrum jam elevatum abjiceret, imo neque fur, latro, homicida etc. existeret; d) uberrimum; nam sive animum nostrum, sive legem et prophetas, sive Evangelium consulamus, digito Dei scriptam invenimus legem, ut alter alterum diligat, quod nihil aliud est, nisi: „Omnia, quaecunque vultis, ut faciant vobis homines, et vos facite illis."

9. *In figurate dictis, praecipue vero in parabolis, similitudinibus et comparationibus Christi, e quibus summa magistri divini elucet sapientia, pro rei natura jam has, jam illas sequentium quaestionum expendat: a) Unde imaginis materia desumta est? b) quae sunt partes essentiales, quae secundariae? c) quis finis imaginis? d) quid est tertium comparationis? e) num doctrina per imaginem repraesentata universalis est? f) qui usus practici inde resultant* (cfr. §. 91.)? V. g. parabola de decem virginibus Mt. 25, 1—13. Materia desumta est ex eventibus vitae quotidianae et domesticae, nimirum e modo Judaeis usitato nuptias celebrandi; quum nimirum sponsus sponsam sub vesperam aut noctu in domum suam deduceret, ei nonnullae paranymphae lampadibus accensis instructae obviam ire solebant. Partes fere omnes essentiales seu significativae sunt: sponsus, qui moram facit; virgines, quarum aliae lampadibus et oleo, aliae vero nonnisi lampadibus instructae sunt; perturbatio virginum stultarum adveniente sponso; sors diversa virginum. Finis parabolae: Jesus asseclas suos ad continuam vigilantiam excitare, i. e. monere voluit, ut semper parati sint ad digne recipiendum sponsum coelestem, ut patet e conclusione v. 13.: „Vigilate itaque, quia nescitis diem neque horam." Tertium comparationis: Quemadmodum nonnisi virgines sapientes, lampadibus et oleo instructae a sponso in coenaculum introductae, stultae autem, quae lampades quidem, non vero oleum habebant, exclusae sunt: ita et sponsus divinus adveniens solum amicos et amicas suas fideles et vigilantes in beatitatem suam introducet, illos autem Christianos desides ac socordes, qui essentialia negligunt, a fruitione vitae beatae excludet. Stultitia nonnullarum virginum in eo erat sita, quod essentialia non curarunt, nimirum oleum, sine quo lampas inutilis est; quod essentialium curam in tempus differebant, quo illis conquirendis vacare non amplius licuit; quod mutuare volebant oleum, quo virgines sapientes ipsae indigebant. Sic et stultitia nonnullorum Christianorum per parabolam repraesentata in eo consistit, quod in externa religionis christianae professione acquiescentes essentiam ejus: fidem vivam, charitatem, vigilantiam, in genere bona opera non curantes.

socordes vivunt; quod hancce socordiam protrahunt usque in tempus, quo neglecta supplere datum non est; quod in bonorum operum meritis eorum confidunt, quorum sapientiae exemplum imitati non sunt. Contra autem sapientia Christianorum prudentiâ quinque virginum repraesentata eo manifestatur,. quod quovis vitae suae momento ita utuntur, acsi esset ultimum; quod necessaria non in tempus importunum differunt; quod semper memores, Dominum certo venturum esse, ipsâ horae incertitudine ad vigilantiam excitantur; quod non in aliorum meritis confidunt relate ad ea, quibus praestandis ipsi pares sunt. Doctrina pro omnibus hominibus omnium temporum inde resultans haec est: Quum certum sit, Filium hominis venturum esse, ut dignos in regnum suum gloriosum recipiat, indignos vero excludat, tempus autem et hora incerta: stultitia maxima est praeparationem ad Domini nostri adventum ullo memento differre; summa vero sapientia semper esse paratum ad Jesum Christum digne recipiendum. Inde simul discimus: a) Ubi maxime necessaria, ibi omnia desunt; lampas sine oleo inutilís est; b) quae cuique necessaria sunt, et proprio studio acquiri possunt, ab aliis mutuare velle temerarium et vanum est; c) qui necessaria tempore opportuno sibi non parat, tempore importuno frustra ea quaerit; d) etiam sapientes nonnunquam dormitant, ubi vigilare deberent.

NB. Historia biblica uberrimam praebet materiam eorum, quae aedificationem moralem promovent, quatenus consideratur ceu historia generis humani, revelationis et providentiae divinae, religionis et morum, familiarum et populi judaici memoratu dignissimi. — Historia biblica est

a) Historia generis humani, quae docet omnium hominum ab iisdem protoparentibus originem; initium et progressum educationis humanae; lapsum humanae naturae creationi ejus propinquum et restitutionem per Christum; inventionem artium et scientiarum; influxum vitae hominum in conditionem terrae nostrae et vice versa; varios characteres, actiones et passiones humanas orientes et progredientes seu humanum hominum agendi modum.

b) Historia revelationis divinae; nam narrat modos diversos, quibus hominibus voluntas et decreta divina manifestata sunt; instituta praevia a Deo introducta ad sui cognitionem et cultum conservandum, ad veritatem et virtutem promovendam; quomodo Deus Moysen et prophetas suscitaverit, atque in plenitudine temporis Filium suum et dein hujus discipulos emiserit in mundum, ut consilia sua de hominum redemtione exsequeretur.

c) Historia providentiae divinae; etenim repraesentat Deum juxta leges omnipotentiae, summae sapientiae et infiniti amoris cum hominibus humano modo agentem; obedientiam et pietatem praemiis, obstinaciam vero et improbitatem poenis afficientem; sibi addictos e gravissimis periculis liberantem, contra vero integrum genus hominum impiorum diluvio delentem; virtuti inter medias calamitates gaudium et solatium, sceleri autem vel purpura induto et in throno sedenti *poenitentiam et* animi acerbitatem parantem.

d) Historia religionis et morum; intelligimus namque, quomodo peccatum in mundum intraverit et per peccatum mors; quam efficaciam fides in promissa, obedientia erga mandata divina exseruerit; qua ratione cognitio religionis propagata, quibus mediis pietas exuberante sensualitate collapsa, inter paucos conservata et restituta sit.

e) Historia populi judaici, quatenus monumenta de institutis sacris et politicis, de factis et fatis illius gentis memoratu dignissimae conservat.

f) Historia familiarum, quum in Genesi, in libro Ruth et Tobiae patriarcharum et aliorum vitam domesticam narret.

§. 113.

De vitiis quibusdam interpretationis popularis practicae.

Ad vitia hujus interpretationis referendum est:

1. Si textui sacro vis infertur ad multos et omnis generis usus practicos eliciendos, seu si observationes ad aedificationem moralem promovendam destinatae e longinquo petuntur (non multa, sed multum et opportune).

2. Si, quae afferuntur, magis vanam et sterilem sensibilitatem (Empfindelei) *favent, quam mentem vere illustrant, animum rite movent et voluntatem efficaciter determinant.*

3. Si sensu historico-logico neglecto sensus mystici ex professo indagantur, et eis momenta practica superstruuntur: nam s. Scriptura uberrimus fons est meditationum et institutionum ad salutem per fidem, quae est in Christo Jesu, ita ut sensu mystico hunc in finem perraro opus sit ei, qui ss. literis recte uti scit. (Ast probe cavendum, ne sensus spiritualis cum mystico confundatur.)

4. Si illis locis maximum momentum tribuitur, quae de fide agunt, contra autem ea leviter tractantur aut plane negliguntur, quae poenitentiam et charitatem postulant, aut vice versa; nam Christus non est divisus; hinc integer Christus quaerendus est et inventus salutem parat; ideo nec doctrinae dogmaticae prae morali, neque huic prae illa praerogativam tribuere, imo neque historiam, doctrinae theoreticae et practicae firmissimum fulcrum, vilipendere aut negligere fas est.

5. Si placitis politicis aut systemati cuidam philosophico tantus influxus conceditur, ut illis veritates biblicae subordinentur seu juxta illa contorqueantur. Sic graviter peccavit Lamenais, qui ad vindicanda sua de socialismo politico deliria effatis evangelicis abutitur *).

---

*) Les évangiles. Traduction nouvelle avec des notes et des réflexions à la fin de chaque chapitre. Paris 1846.

Memoratu digniores scholiastae et commentatores biblici

§. 114.

A) antiquiores, et quidem

1. Graeci:

Origenes (✝ 253.), scholae Alexandrinae et serius Caesareensis decus, in literis sacris et profanis versatissimus, non tantum in homiliis, sed et in scholiis et commentariis textum sacrum illustrare conatus est, scriptorum tamen ejus exegeticorum exigua tantum pars ad nos pervenit, quae inveniuntur inter opera ejus sub titulo: *Ὠριγένους τὰ εὑρισκόμενα πάντα* edit. a de la Rue Parisiis 1733. 4 tom. in fol. Denuo recens., emendavit, castig. Car. Heinric. Ed. Lommatzsch. Berolini (huc usque tomi XXI). Dolendum, virum eruditum sensui allegorico nimis indulsisse.

Quatuor magni ecclesiae graecae doctores: ss. *Athanasius* (✝ 373.), *Basilius* (✝ 379.), *Gregorius Nazianzenus* (✝ 389.) et *Chrysostomus* (✝ 407.) studii biblici, cui per totam vitam operam navabant, praeclara nobis reliquerunt monumenta; in specie vero s. Chrysostomus magnam s. Scripturae partem egregie exposuit in homiliis, quae tum interpreti, tum animarum pastori maximo usui sunt. Optima editio censetur, quae facta est a Montfauconio Parisiis 1718.

S. Cyrillus Alex. (✝ 444.) elucubravit *Γλαφυρά* seu elegantes expositiones selectorum locorum pentateuchi, nec non commentarios in Isaiam, in 12 prophetas minores, in Evangelium s. Joannis et al. Opera ejus graece et latine edita sunt a Joann. Aubert VII tomis Paris. 1638.

Theodoretus, episcopus Cyrrhi in Syria (✝ 467.), reliquit commentarios lectu dignos in Psalmos, prophetas et epistolas paulinas. Opera ejus graece et latine edidit Sirmond, denuo Schulze Halae 1769—1774.

2. Syriaci:

Inter hosce eminet s. Ephraemus, diaconus ecclesiae Edessenae (✝ 378.), qui plures V. T. libros tanta pietate et claritate exposuit, ut commentarii ejus post verba textus sacri populo congregato praelegerentur. Opera ejus a tribus Syris nomine Assemani syriace, graece et latine edita sunt VI voll. in folio Rom. 1732—1746.

3. Latini:

S. Hilarius Pictaviensis (✝ 368.), secutus Origenem reliquit nobis expositionem Psalmorum et Evangelii s. Matthaei. Opera ejus edidit Constant Paris 1693.

Inter quatuor magnos ecclesiae latinae doctores eminet *s. Hieronymus* (✝ 420.), qui ecclesiae non tantum nova et accuratiori

versione latina providit, sed et perspicuis commentariis in plures V. T. libros, in Evangelium s. Matthaei et in ep. ad Galatas profuit. Ejus expositiones prophetarum reliquis praeferuntur. Editionem operum ejus curavit Vallarsi 5 tomis in fol. Venetiis 1741.

S. Ambrosius (+ 397.), *s. Augustinus* (+ 430.) et *s. Gregorius M.* (+ 604.) in expositionibus suis homileticis magis mysticum, quam literalem sensum secuti sunt.

§. 115.

B) medii aevi.

Praeter catenarum auctores, e quibus eminet de la Haye, ex Ordine s. Francisci (+ 1661. Parisiis), cujus collectio interpretationum Parisiis 5 tomis 1643., et 19 tomis ibidem 1660. prodiit, de interpretatione s. Scripturae propriis studiis optime meriti sunt:

Venerabilis Beda, Benedictinus Anglus (+ 735.), qui scripsit commentarios in plurimos V. et N. T. libros, homilias et tractatus archaeologicos, quibus sanum judicium, profundam eruditionem et magnam pietatem manifestat. Opera ejus prodierunt Paris. 1521. 1544. 3 tom. fol., Basileae 1563. 4 tom. al.

Alcuinus, natione Anglus (+ 804.), inter alia elucubravit plures commentarios in Psalmos, Evangelia et epistolas paulinas, quos edidit Frobenius Ratisbonae 1777.

Rabanus Maurus, archiepiscopus Moguntinus (+ 856), reliquit plures commentarios egregios in plerosque s. Scripturae libros. Opera ejus prodierunt Colon. 6 voll. in fol. 1627.

Haymo, episcopus Halberstadtiensis, priori coaevus, habetur auctor commentarii in Psalmos, in Isaiam, in epistolas paulinas, qui prelo submissus est Colon. 1536.

Walafridus Strabo, Fuldensis, dein abbas Reichenoviensis (+ 849.), collectionibus adnotationum breviorum in totam s. Scripturam tantum sibi paravit nomen, ut opus ejus glossa ordinaria diceretur, et verbis citaretur: „Auctoritas dicit." E pluribus editionibus optima habetur: Biblia sacra cum glossa ordinaria novis Patrum graecorum et latinorum explicationibus locupletata cum Postilla Nicolai Lyrani, a Leandro a s. Martino, Antwerp. 1634. 6 tom. fol.

Anselmo Laudunensi, saec. XI. aut XII., adscribitur glossa interlinearis, i. e. adnotationes inter lineas textus decurrentes, quibus voces etymologice difficiles explicantur. Edit. Basileae 1502. seqq. al.

S. Thomae ab Aquinate (+ 1274.) debemus catenam auream in Evangelia seu expositiones ex optimis interpretibus graecis et latinis congestas, porro egregios commentarios in primos 50 Psalmos, in Canticum canticorum, in Evang. s. Joannis, in epist. s. Pauli. Opera ejus edita sunt 17 voll. in fol. Romae 1570., 18 voll. in fol. Antwerp. 1617., 25 voll. in fol. Parisiis 1660., 28 voll. in 4. Venetiis 1745. al.

S. Bonaventura, (+ 1274.) notis illustravit Psalmos, threnos Jeremiae, librum Sapientiae, Evangelia. Edit. Venetiis 1751.

Nicolaus Lyranus (✝ 1340.) scripsit commentarios in s. Scripturam, qui Postillae vocantur, et qui a coaevis tanti habebantur, ut dicerent: „Nisi Lyra lirasset, totus mundus delirasset." Postillae has editae sunt Lugduni 1590.

Paulus Burgensis (✝ 1435.) adnotationes adjecit ad Postillas. Inter commentatores graecos hac aetate eminuerunt:

Theophylactus, Bulgarorum archiepiscopus Acride (✝ c. an. 1107.), et *Euthymius Zigabenus*, monachus Basilian. Constantinopoli initio saec. XII. Prior confecit commentarios in quatuor Evangelia, in acta App., epistolas Paulinas, in 12 minores prophetas, editos a Finetti, M. de Rubeis et Fr. Foscarini Venet. 1754—63. 4 tomis fol.; epistolae Paulinae editae sunt ab A. Lindsel 1636. fol.; alter elucubravit commentarium in quatuor Evangelia, edita a Ch. F. Matthaei Lips. 1792. 3 tomis; in Psalmos et alios libros (Galandi biblioth. Patrum tomo 14.).

C) Recentioris aetatis.

§. 102.

I. Ex parte Catholicorum:

1. Relate ad integram s. Scripturam.

Cajetanus Cardinalis, proprie *Thomas de Vio*, ex ordine s. Dominici (✝ 1534.), totam vitam suam studio biblico dicavit, et scripsit expositiones, quas Melchior Canus frequenter reprehendit, et quae editae sunt 5 voll. in fol. Lugd. 1639.

Vatablus, Gallus (✝ 1547.), confecit versionem novam et breves adnotationes in s. Scripturam, quae ob claritatem prelo saepius submissae sunt, et quarum editio optima censetur illa Nicolai Henri Parisiis 1729. et 1740.

Cornelius a Lapide, Jesuita in Flandria (✝ 1637. Romae), in omnes fere sacros V. et N. T. libros elucubravit commentarios, in quibus praeter sensum literalem allegoricum, moralem et anagogicum exposuit; antiquas versiones contulit; ubi Vulgata a textu originali deflectat, una cum rationibus indicavit; loca apta e ss. Patribus et aliis citavit, ita ut opus ejus decem voluminum thesaurum contineat eruditionis haud vulgaris, plura vero etiam superflua et inutilia. Morte abreptus Jobum et Psalmos exponendos aliis reliquit. Priorem explicuit *Joannes de Pineda*, hosce *Thomas le Blanc*, pariter e societate Jesu.

Augustinus Calmet, Ordinis s. Benedicti e Congregatione ss. Vitoni et Hidulphi, abbas Senonensis (✝ 1757.), gallice scripsit commentarios in s. Scripturam, qui a Mansi in latinum versi inter alia editi sunt Würceburgi 1789. 19 voll. in 4., e quibus 3 volumina continent dissertationes historici, archaeologici et alius argumenti. Auctor praecipue studet sensui literali, et plures Patrum expositiones adfert. Eidem et debemus dictionarium historicum, criticum, chronologicum, geographicum etc. in 4 tomis in 4.

Emmanuel Sa (Antw. 1610.), *Stephanus Menochius* (Venet. 771. al.), *Tirinus* (Augustae Vind. 1771.) et *Mariana* (Antwerp. 324.) commentarios breviores seu scholia ediderunt.

Braun prodire fecit Vulgatam cum versione germanica et notis iccinctis e ss. Patribus 13 voll. Augustae Vind. 1788—97.

Brentano inchoavit, Dereser continuavit et Scholz finivit scholia ermanice scripta cum versione e textu originali, cui relate ad . T. accedit paraphrasis. Nova editio 17 tomis Francofurti ad oenum 1820—37.

Dr. J. F. Allioli edidit versionem germanicam cum notis e ss. atribus et interpretibus cath. Editio 6. Vulgatam e latere adjuncm habet. 1837.

2. *Respectu solius N. T.*

Alphonsus Salmeron († 1585.) edidit quaestiones et dissertaones in omnes fere N. T. libros 11 tomis.

B. M. Schnappinger: die heil. Schrift des neuen Bundes mit klärenden Anmerkungen· Grätz 1818. et Prag.

Dr. J. H. Kistemaker: die heil. Schriften des neuen Testaentes, übersetzt und erklärt. 2. Ausgabe. Münster 1825. 3. A. ·ätz 1826.

Dr. Joann. Mart. August. Scholz: die heiligen Schriften des uen Test., übersetzt und erklärt. 4 Theile. Frankfurt 1828—30.

Franc. Xav. Massl: Erklärung der heil. Schriften des N. T. ch den berühmtesten und bewährtesten ältern und neuern Schriftslegern zum Nutzen und Frommen für Seelsorger, Prediger, techeten, Lehrer und für alle Freunde der Schriftbetrachtung. raubing 1838—49. Hoc opus 13 tomis integrum N. T. complecas, animarum pastoribus optime commendari meretur.

3. *Ratione singulorum librorum biblicorum.*

Andreas Masius commentarium in Josuam reliquit egregium.

Sadoletus Cardinalis († 1547.) stylo ciceroniano et in forma lloquii elucubravit commentarium in ep. ad Romanos.

Casparus Contareni, Cardinalis († 1542.), secutus interpretes ixime graecos edidit scolia in epistolas paulinas.

Claudius Espencaeus, sorbonnae sodalis († 1571.), elucubravit aestantem commentarium in epistolas pastorales, et

Franciscus Toletus in Ev. s. Lucae et s. Joannis, nec non in . ad Rom.

Jansenius, episcopus Gandavensis († 1576.), edidit harmoniam angelicam, quae magni habebatur.

Joannes Maldonatus, e S. J. († 1583. Romae) composuit commenios in 4 Evv., et

Guil. Estius († 1613. Duaci) in epistolas paulinas et catholis, qui digni erant, quos denuo ederet Fr. Sausen Moguntii 1840 1844.

Casparus Sanctius (✝ 1628.) commentatus est in plerosque libros V. F., uti in prophetas majores et minores, in plures libros historicos et al.;

Jacobus Bonfrère, Jesuita et prof. Duaci (✝ 1643.) in Pentateuchum;

Christoph. Castro in minores prophetas;

Ribera in eosdem et in ep. ad Hebraeos.

Justiniani elucubravit paraphrasin et commentarium in epistolas paulinas 3 tom. Lugd. 1611—14.;

Barthol. Holzhauser in Apocalypsin usque ad 15, 4., cujus operis nova editio prodiit 1850. Vindobonae typis congregationis Mechitharisticae;

Bernardus Lamy commentarium in harmoniam 4 Evangeliorum cum apparatu chronologico et geographico. Parisiis 1699.;

Bernardinus a Piconio triplicem expositionem (analysin, paraphrasin et commentarium) epistolarum Pauli Ap. Parisiis 1703.; 1846. III tom. 12. maj. Vesontione;

S. Barradius, e S. J., commentarium in concordiam et historiam quatuor Evangelistarum. Aug. Vind. 1742. 5 voll. in fol.

Antonius Vogt commentarium in Evangelia et epistolas s. Pauli. Moguntii 1790. seqq.

Bossuet et Bovet in Apocalypsin;

Petrus Ackermann edidit prophetas minores perpetua adnotatione illustratos Viennae 1829.

Henricus Klee edidit: Commentar über das Ev. Johannis, den Brief an die Römer und Hebräer. Mainz 1829. 30. 33.

Dr. M. J. Mack: Commentar über die Pastoralbriefe des Ap. Paulus. Tübingen 1836

Jos. Handschuh: Die Psalmen erläutert (als Beitrag zur Apologie des Brevier's). VI Bände. Wien 1839. seqq.

Dr. Frider. Windischmann: Erklärung des Briefes an die Galater. Mainz 1843.

Conradus Lomb: Commentarius in divi Pauli Ap. ep. ad Hebraeos. Ratisbonae 1843.

Dr. Joann. Fr. Demme: Erklärung des Briefes an Philemon. Breslau 1844.

Dr. Fr. Xav. Reithmayer: Commentar zum Briefe an die Römer. Regensburg 1845.

P. Schegg: Die Psalmen übersetzt und erklärt für Verständniss und Betrachtung. II Bde. München 1845. 1846. Der Prophet Isaias übersetzt und erklärt, II Theile. München 1850.

Dr. Adalbert Maier: Commentar über das Evangelium des Johannes, 2 Bde. Freiburg 1843. 1845.; über den Brief an die Römer, ibid. 1847.

Jos. Scheth, eques a Bohuslav: praelectiones in Evang. s. Matthaei. Oeniponte 1847.

W. Reithmeier, Priester: Erklärung der Episteln und Evangelien der Sonn- und Festtage des kathol. Kirchenjahres, nach den heil. Kirchenvätern und andern guten Schriftauslegern. 1848.

Dr. Joh. B. v. Hirscher: Betrachtungen über die sonntäglichen Evangelien des Kirchenjahrs. V. Aufl. 2 Th.; et: Betrachtungen über sämmtliche Evangelien der Fasten mit Einschluss der Leidensgeschichte für Seelsorger und jeden christlichen Leser. VIII. Aufl.

Dr. J. B. A. Englmann: Von den Charismen im Allgemeinen, und von dem Sprachencharisma im Besondern, oder historich-exeget. Abhandlung über I. Cor. 12—14. Regensburg 1849.

Laurenz Reinke: Die Weissagung von der Jungfrau und vom Immanuel Jes. 7, 14—16. Münster 1848.

Augustus Liber Baro de Berlepsch, ss. eccl. cath. subdiaconus: Quatuor N. T. Evangelia. Volumen I. Evang. s. Matthaei complectens. Ratisbonae 1849.

§. 117.

II. Ex parte Acatholicorum.

Ipse Dr. Martinus Luther (✝ 1546.) interpretationi s. Scripturae manum admovit, et non tantum totam s. Scripturam in linguam germanicam transtulit (ab anno 1521—34.), sed et commentarios confecit, quorum praecipui nominantur in Genesin, in ep. ad Romanos et ad Galatas, et qui exstant in operibus Lutheri completis Jenae 1556. editis. Richardus Simon has elucubrationes multa polemica, multas digressiones et multa alia continere judicavit, quae ad locorum illustrationem nihil conferunt *).

Huldericus Zwingli (✝ 1531.) scripsit commentarios in Psalmos, Jeremiam, in Evangelia et epistolas paulinas, in quibus sensum literalem sequitur.

Joannes Calvin (✝ 1564.) reliquit commentarios in Psalmos, prophetas, in harmoniam trium priorum Evangeliorum, in Ev. s. Joannis, in epistolas paulinas. Opera ejus ob linguam latinam valde puram laudantur.

Philippus Melanchthon et *Camerarius* in adnotationibus suis in N. T. ampliorem manifestant peritiam philologicam.

Bugenhagen (✝ 1558.) composuit commentarios in Psalmos, Jeremiam, Jonam et in epp. paulinas, qui editi sunt Wittebergae;

Joannes Brentius in pentateuchum, libros historicos V. F., in Psalmos, Jobum, Isaiam, Jonam al. Tubingae 1578.

Joannes Mercerus, prof. Parisiensis (✝ 1573.), scripsit adnotationes philologicas in Genesin, quae edita sunt a Theodoro Beza Genevae 1598., commentarium in Jobum, in proverbia et ecclesiasticum, edit. Amstelod. 1651.

---

*) Ceterum e linguarum biblicarum et aliarum scientiarum cognitione, qua Lutherus et reliqua reformationis capita gaudebant, et quam non divina inspiratione, sed ordinariis mediis nacti erant, abunde patet, tum temporis non adeo spissas ignorantiae tenebras orbem terrarum texisse; et literarum studium laete reviviscens per reformationem tristesque ejus sequelas in progressibus suis potius impeditum, quam promotum esse, tuto asserere licet.

Hugo Grotius († 1645.), inter coaevos suos prodigium eruditionis, commentarios reliquit in V. et N. T. Commentarii ejus in V. F. a Vogel et Döderlein revisi 3 tomis prodierunt Halae 1775.; illi in N. T., peculiari diligentia elucubrati, editi sunt Erlangae 1775.

Joannes Clericus, Genevensis, prof. linguarum biblicarum et theologiae Amstel. († 1637.), scripsit commentarios in V. T., qui magnam auctoris eruditionem produnt, et editi sunt 5 voll. in fol. Amstelod. 1693—1731.

Joannes Adamus Osiander Tubingae 1676. in pentateuchum edidit commentarium, in quo lectiones variantes collectae, versiones collatae, quaestiones chronologicae diremtae, objectiones solutae, apparentes pugnae compositae, et observationes philologicae plurimae allatae sunt.

Sebastianus Schmid, theologus Argentoratensis, praeter versionem superius nominatam scripsit commentarios in Josuam (ed. Argentorati 1688.), in Jobum, Isaiam (Francof. 1695.), in Jeremiam (ibid. 1685.), in ep. paulinas et al. (Hamburgi 1694.)

Joannes Albrecht Bengel († 1752.) scripsit scholia in N. T. edita Tubing. 1742. et 1753., commentarium in Apocalypsin, et versionem N. T. ed. Stuttgardi 1753.

Albertus Schultens, prof. linguarum orientalium Lugd. Bat. († 1750.), auctor est commentariorum in Jobum et proverbia Salomonis, qui prodierunt Lugd. Batav. 1737. et 1748.

Ern. Fridericus Car. Rosenmüller, prof. linguarum orientalium Lipsiae († 1835.), ibidem 1795—1831. edidit scholia in pentateuchum (3 tom.), in libros historicos (2 tom.), in Isaiam (3 tom.), Jeremiam (2 tom.), Ezechielem (1 tom.), Danielem (1 tom.) in 12 minores prophetas (4 tom.), in Jobum (2 tom.), in Psalmos (3 tom.), in scripta salomonica (2 tom.)

J. G. Rosenmüller, pater prioris, scholia in N. T. prodire fecit Norimbergae 1777. 5 voll. (Editio 6. 1815—30. a priori curata est 4 voll.).

Christianus Theop. Kuinoelius elucubravit commentarios in libros N. T. historicos (edit. Evg. s. Mt. IV. 1837. Mr. et Luc. edit. III. 1824., Joann. edit. III. 1825. Act. edit. II. 1827.), porro in ep. ad Hebr. Lips. 1831. Licet auctor ad hebraismos statuendos pronior, in exemplis usum loquendi probaturis minus accuratus sit, nec non rationalisticae interpretationi addictus: opus tamen ejus ob largam diversarum interpretationum copiam allatam optimis hujus generis laboribus ab Acatholicis profectis accensendum est.

Joann. Benjamin Koppe Gottingae 1778. edere coepit N. T. graecum perpetuis annotationibus illustratum, ad quod Heinrichs suppeditavit commentarium in Acta App., in epp. s. Pauli ad Philipp., Coloss., ad Tim. Titum, Philemonem, ad Hebr. et in Apoc.; Ammon in ep. ad Rom. et in I. ad Corinth. a c. 1—10.; Pott in ep. Jacobi et I. Petri; Tychsen in ep. ad Gal., Eph. et in utramque ad Thess.

Friderices Fritzsche commentatus est in Evang. s. Matth. (1827.), s. Marci (1831.), et in epist. ad Rom. Auctor ob philolo-

gicam partem eminet; sed mythis patrocinatur, et peculiares sententias fovet.

Fridericus Lücke commentarium in Ev. et epistolas s. Joannis altera vice prodire fecit Bonae 1833—1836.

Ohlshausen edidit commentarium in omnes N. T. libros proxime in usum concionatorum et studentium. 1830. seqq.

Tholuck commentatus est in Ev. s. Joannis (editio VI. 1844.), in ep. ad Rom., in orationem montanam (2. edit. 1835.), et in ep. ad Hebr. 1836.

De Wette pluribus editionibus in lucem emisit brevem expositionem criticam N. T. librorum, quae aptam argumenti analysim exhibet.

Henricus A. G. Meyer elucubravit critico-exegeticum commentarium in N. T. (ep. II. ad Thess. a Dre. Lünemann, epp. past. a Dre. Huther); priorum trium Evangeliorum altera editio prodiit 1844. et 1846.

Praeterea recentissime commentati sunt;
Böhme, Rückert, Glöckler, Reiche, Köllner, Schräder in ep. ad Rom.;
Billroth in utramque, *Heidenreich* et *Osiander* in I. ad Cor.;
Winer, Rückert in ep. ad Galatas;
Schott in ep. ad Gal. et utramque ad Thess.;
Rückert, Holzhausen, Matthies, Harles in ep. ad Ephes.;
Böhmer et *Huther* in ep. ad Coloss.;
Junker et *Dr. August Neander* in ep. ad Philippenses;
Heidenreich in epist. pastorales;
Böhme et *R. Stier* in ep. ad Hebraeos;
Schneckenburger et *Jachmann* in epistolas catholicas;
Steiger in I. ep. s. Petri;
Kern et *Theile* in ep. s. Jacobi;
Herder, Eichhorn, Storr et recentissime *Hengstenberg* in Apocalypsin.

In libros V. F. recentissime commentati sunt:

Gesenius in Isaiam 3 tom. Lips. 1821.

R. Stier in 70 ausgewählte Psalmen, 2 tom. Halae 1834—36. et in Jesaiam a cap. 40. sub titulo: Jesaias nicht Pseudo-Jesaias. Barmen 1850. I. Lieferung à 40, 1—48, 16.

Knobel: Commentar über den Prediger Salomon's. 1836.

H. Ewald in libros poëticos 4 tom. Gottingae 1835—40.; in prophetas 2 tom. Stuttg. 1840—41.

Ludw. Hirzel: Hiob erklärt. Leipz. 1839;

F. W. K. Umbreit in Isaiam, Jeremiam, Ezech., in minores prophetas 4 tom. Hamburg. 1841—46.

Otto Thenius: Samuel erklärt. Leipz. 1842.; die Bücher der Könige erkl. Leipz. 1849.

H. A. Chr. Hävernik in Ezechielem. Erlang. 1843.

E. W. Hengstenberg Christologie des A. T. und Commentar über die Messianischen Weissagungen der Propheten. III Theile. Berlin 1829. 32. 35.; Commentar in die Psalmen 1842. seqq. Ejusdem: Beiträge zur Einleitung in die BB. des A. T., nec non: Bücher Mosis und Aegypten commentarii instar considerari possunt.

J. H. Vaihinger in Psalmos 2 tom. Stuttg. et Tub. 1845.; in Jobum ibid.

E. Bertheau: Das Buch der Richter und Ruth. Leipz. 1845.

J. H. Kurtz in Genesin Berol. 1846., in libros Regum. Moscov. 1846.

K. F. Keil in Josuam Erlang. 1847.

Gust. Baur in Amosum proph. Lips. 1847.

Ch. K. Hofmann: Weissagung und Erfüllung im A. u. N. T. Nördl. 1841. 1844.

F. Hitzig: Die 12 kleinen Propheten. Leipz. 1838.; Jeremia 1841.; Prediger Salomo's, 1841.; der Prophet Ezechiel, 1847.

Dr. Moritz Drechsler: Der Prophet Jesaja übersetzt und erklärt. Stuttgart I. Th. 1845. II. Th. 1. Hälfte 1849.

Ernst Meier: Der Prophet Jesaias erklärt. 1. Hälfte (C. 1—23, 18.) Pforzheim 1850.

§. 118.

Exercitium exegeticum.

Ad interpretationis theoriam huc usque descriptam, quae plurium aliarum disciplinarum cognitionem uberiorem postulat, uti linguarum, introductionis, criticae, historiae, chronologiae, geographiae, in genere archaeologiae, ss. Patrum, dein theologiae dogmaticae et moralis etc.; ad interpretationis theoriam, inquam, uti in aliis scientiis practicis, accedat necesse est assidua exercitatio, ut quis sensum ss. librorum rite tam cognoscendo, quam exponendo par reddatur, eoque magis, ut ad eminentiorem gradum hac in re enitatur; nam omnis virtus per exercitium. Quo facilius tutiusque labor hic succedat, ab initio perito quodam duce utendum, qui tum de competentibus regulis cuivis loco applicandis moneat, tum modorum diversorum, quibus sensus exponi solet, exempla praestantiora exhibeat. Dexteritate quadam acquisita interpres tiro plures commentarios consulat, ut aliorum quoque expositiones cognoscat, et partim iis examinandis ac ponderandis judicium suum acuat et exerceat, partim quo magis variis methodis perspectis, quae ad finem suum assequendum idonea sunt, eligere, et sic muneri suo exacte satisfacere assuescat; nam non omnes commentatores iisdem dotibus eminent, sed alii partem philologicam praecipue illustrant; alii difficultatibus historicis, chronologicis, geographicis etc. removendis maxime operam navant; alii ad criticam textus inprimis incumbunt; alii argumenti analysi prae ceteris student; alii momenta practica potissimum prae oculis habent. Praeter commentarios antiquiores eosque vulgatiores a Calmet, Maldonat, Estio et Bernardino a Piconio elucubratos commendari merentur illi a Mart. Mack, Fr. Reithmayer, Adalberto Maier, Windischmann, Lomb et Fr. Massl recentissime editi et superius laudati, in quibus et ss. Patrum interpretationes respiciuntur.

Quod attinet commentarios ab Acatholicis profectos, in pluribus eorum magnum eruditionis, praecipue philologicae et criticae textus apparatum esse depositum, minime diffitemur, ita ut jam ideo, praecipue vero ad sensum ecclesiae suae vindicandum labores hosce ignorare vix possit Catholicus, qui muneris sui vi studio biblico operam navat; ast ob peculiares sententias, quas auctores, systema suum aut theologicum, aut philosophicum aut criticum historiae sacrae secuti, fovent ac propugnant, abstinendum ab eorum usu illi, qui nondum principiis ecclesiae suae sat imbutus, in interpretationis negotio magis versatus, et commentis humanis ab oraculis divinis, in genere falsis a veris rite discernendis refutandisque omni ex parte idoneus est.

Verum enimvero ad libros sacros rite intelligendos et eodem spiritu, quo scripti sunt, exponendos ne amplissima quidem disciplinarum biblicarum cognitio, neque vastissima eruditio humana sufficit; nam „quae Dei sunt, nemo scit, nisi Spiritus Dei“ (I. Cor. 2, 11.); nonnisi iis, qui mundi corde sunt, promissum est fore, ut Deum videant (Mt. 5, 3.), et qui „via, veritas et vita est“ (Jo. 14, 6), ipse dicit (ibid. 14, 21.): „Qui habet mandata mea et servat ea, ille est, qui diligit me; qui autem diligit me, diligetur a Patre meo, et ego diligam eum, et manifestabo ei me ipsum.“ Quare ad s. Scripturam rite et cum fructu interpretandam praeter qualitates reliquas necessaria est illustratio Spiritus s., quae solum humilibus contingit et pie precantibus; nam „Deus superbis resistit, humilibus autem dat gratiam“ (Jac. 4, 6. I. Petr. 5, 5.); parvulis revelat, quae sapientibus et prudentibus abscondit (Mt. 11, 25.), et affluenter dat sapientiam postulantibus (Jac. 1, 5.). De hisce moralibus interpretis dotibus ss. Patribus persuasissimum erat; nam non tantum ipsi omnium virtutum exemplaria in se exhibuerunt, atque humilitati praecipue et orationi indefesso studio vacarunt; sed etiam s. Scripturae lectoribus interpretibusque ante omnia pietatem, in specie humilitatem et preces commendarunt. Sic s. Augustinus hunc in finem dicit: „Non solum admonendi sunt studiosi venerabilium literarum, ut in Scripturis sacris genera locutionum sciant, et quomodo apud eas aliquid dici soleat, vigilanter advertant memoriterque retineant; verum etiam, quod est praecipuum et maxime necessarium, orent, ut intelligant. In eis quippe literis, quarum studiosi sunt, legunt, quoniam Dominus dat sapientiam, et a facie ejus scientia et intellectus.“ (Prov. 2, 5.) *). Idem Pater scribit: „Nec aliam tibi ad capessendam et obtinendam veritatem viam munias, quam quae munita est ab illo, qui gressuum nostrorum tanquam Deus vidit infirmitatem. Ea est autem prima humilitas, secunda humilitas, tertia humilitas, et quoties interrogares, hoc dicerem“ **). Quare et nos, ne sensus nostri sint obtusi, et ut removeatur velamen, quod usque in hodiernum diem, cum legitur

*) De doctrina christ. lib. III. c. 37.

**) Epist. 118. ad Dioscorum c. 4. num. 22. Cfr. s. Hilarii comment. in Ps. 118., s. Chrysostom. in Genes. 4. hom. 21.

Moyses, positum est super cor Judaeorum (II. Cor. 3, 13—16.); quare et nos, inquam, cum animo puro, humillimo et Christo ejusque ecclesiae addictissimo ad interpretationis negotium accedamus, et nunquam non cum divo psalte oremus: „Revela oculôs meos, et considerabo mirabilia de lege tua“ (Ps. 119, 18.).

Appendix.

De erroneis quibusdam s. Scripturam interpretandi principiis et modis.

§. 119.

Conspectus.

Exposuimus regulas e supremo hermeneuticae principio manantes, juxta quas sensus ss. librorum inveniendus sit et exponendus. Ast cum non desint, qui in hoc gravissimi momenti negotio alia sequantur principia, eaque argumentis sat speciosis vindicare adlaborent: ad eorum, saltem praecipuorum, examen descendere hermeneutica tenetur. *Agemus itaque in sequentibus:*

1. *de interpretatione mystica*, utpote quae in ecclesia catholica diu, licet non exclusive, praecipue tamen fota, et hodiedum frequentata sacrae Scripturae dignitatem non quidem in se spectata laedit, attamen per excessum seu per usum ultra justos terminos extensum peccat;

2. *de lumine interno Pietistarum;*

3. *de morali, et demum*

4. *de mythica interpretatione,* quae omnia in sinu Acatholicorum enata sunt, et ss. literarum sanctitatem, et auctorum biblicorum characterem jam ob principia sua violant.

NB. Uberius agere de interpretatione sic dicta psychologica, et de illa Nihilistarum seu Indifferentistarum, superfluum foret. Prior, quae auctorem habet D[rem] Paulum Heidelbergensem, miracula narrata e sphaera extraordinariorum factorum in illam eventuum mere naturalium trahit, et temere plura supponendo, quae non adsunt, aut negligendo, quae leguntur, s. textum non interpretatur, sed sua somnia eidem obtrudit *).

---

*) „Diese Ansicht (von der psychologischen Wundererklärung) zieht uns aus dem Felde des Unglaublichen auf das Gebiet der Seelenlehre zurück, ohne dass der Neigung, was als Factum umständlich erzählt ist, auch als solches zu deuten, Gewalt geschähe. Ist doch das Meiste, was der Mensch Thatsache nennt, inneres Factum“ (Sic!)! Commentar über die 3 ersten Evv. Lübeck 1800. 1. Thl. pag. 20. Cfr. Neue theol. Zeitschrift v. Jos. Pletz. VI. Jahrg. pag. 21. seqq.

Altera, quam commendavit Rückert, impossibilia postulat, et auctor sibimet ipsi fucum facit *).

I. De interpretatione s. Scripturae mystica.

§. 120.

Quid sit sensus mysticus et mystica interpretatio, et quae illius divisio?

Denominatio μυστικὸς etymologice spectata (a μύω, claudo, occludo) denotat id, quod occlusum est, quare et plures per sensum mysticum intelligunt eum, quem nos spiritualem dicimus, quippe qui sub sensu literali sicut nucleus sub cortice latet. Ab eadem radice derivatur μυστήριον, quo profanis scriptoribus compellabantur doctrinae non nisi altiori indagini aut initiatis patentes, rudiori autem plebi extraneisque occlusae et absconditae; in s. Scriptura autem designantur veritates religionis vel ante Christum incognitae, vel captum humanum superantes, uti patet ex ep. ad Rom. 16, 25. I. Cor. 2, 7.

Per sensum mysticum autem, de quo nobis hic agitur, *intelliguntur notiones religiosae, quae effatis s. Scripturae praeter sensum historico-logicum sive immediate, sive mediate subjiciuntur. Interpretatio itaque mystica est illa s. Scripturam tractandi ratio, quae cum effatis ejus praeter sensum historico-logicum notiones religiosas sive immediate, sive mediate conjungit.*

In interpretatione mystica effatis s. Scripturae notiones religiosae subjiciuntur

a) immediate, dum verbis ipsis proprie vel improprie sumtis tales notiones tribuuntur, quin ratio habeatur rei, eventus aut veritatis, quam sensus historico-logicus pandit;

b) mediate, si res, veritas vel eventus, quem ex effato aliquo sacro, historico-logice intellecto, cognoscimus, ceu signum rei, veritatis aut eventus alius, et quidem ad religionem pertinentis, consideratur. Sic v. g. ad a) teste Theophylacto nonnulli parabolam de Samaritano misericorde Luc. 10, 30—35. ita tractarunt, ut per itinerantem — humanam naturam; per Hierosolymam — pacificam vitam in paradiso, et per Jerichuntem — calamitosam seriorem; per latrones — daemones; per vestimenta — virtutes; per vulnera — peccata; per hominem semivivum relictum — corporis mortalitatem

*) „Der Exeget des N. T. als solcher hat wegen der Bedeutung, die das N. T. für die christliche Kirche als Quelle und Norm ihrer theologischen Erkenntniss hat, gar kein System, und darf keines haben, weder ein dogmatisches, noch ein Gefühlssystem; er ist, wiefern er Exeget ist, weder orthodox, noch heterodox, weder Supranaturalist, noch Rationalist, noch Pantheist; er ist weder fromm, noch gottlos, weder sittlich, noch unsittlich, weder zart empfindend, noch gefühllos; denn er hat bloss die Pflicht, zu forschen, was sein Schriftsteller sagt, um diess als reines (?) Ergebniss dem Philosophen, Dogmatiker, Moralisten, Asketen u. s. w. zu übergeben." Commentar zum Römerbriefe Seite IX. Cfr. Gust. Billroth: Commentar zu den Briefen des Paulus an die Corinther, pag. IV. seqq. et Dr. Aug. Neander in op. Das Leben Jesu Christi, vierte Aufl. Hamburg 1845. pag. 1 seqq.

et animae immortalitatem; per sacerdotem et levitam — legem et prophetas; per Samaritanum misericordem — Jesum Christum; per oleum et vinum — mites et severos Christi sermones; per jumentum — corpus Christi, et per hospitium — ecclesiam christianam intelligerent, proindeque totam parabolam allegoriae instar exponerent, conditionem ac sortem humanae naturae delineantis, quamvis Christus tum temporis hac de re minime cogitaret, uti occasio et conclusio clare ostendit.

Ad b) Si quis historiam de Lazaro mortuo, in sepulchro jam recondito, faciem sudario involutam pedesque ligatos habente, ad Christi vocem vero in vitam revocato explicaret de peccatore, in profundum iniquitatis immerso, mente prorsus obcoecato et perversitatis quasi mancipio, per religionem autem ad resipiscentiam et proinde in novam vitam spiritualem reducendo.

Juxta notos illos versiculos: Litera gesta docet etc. sensus mysticus dividitur in allegoricum, moralem seu tropologicum et anagogicum, prout aut Christum ejusque ecclesiam militantem, aut veritates morales et officia, aut vitam futuram objectum habet; seu paucis: allegoricus edicit, qui nobis sit credendum; tropologicus, quid agendum; anagogicus, quid sperandum aut quo tendendum.

§. 121.

Quid de interpretatione s. Scripturae mystica in genere censendum sit, et quid in ejus usu observandum? *)

S. Scripturae tractationem mysticam in genere repudiare valde temerarium foret; nam

1. commendatur usu plurimorum ss. Patrum et theologorum clarissimorum usque ad initium saeculi lapsi, et fundamentum suum habet in persuasione, ex mundo hocce creato resplendere gloriam Creatoris (Rom. 1, 18—20.); *omnibus rebus in sphaera visibilium respondere aliquid in regno invisibilium, et quemadmodum in veteri synagoga ecclesia, in lege ac prophetis bona oeconomiae christianae erant praefigurata: ita et in Evangelio contineri umbram mysteriorum Christi et vitae futurae. Fides autem haec non est vana, sed auctoritati Jesu et Apostolorum subnixa;* etenim jam parabolis et similitudinibus Christi e rerum naturâ desumtis subest idea, quod in natura evenit, imaginem esse veritatum altioris ordinis. Sic Dominus Jo. 15, 1. seqq. relationem vitis ad palmites typicam sistit repraesentationem relationis, quae inter se, veram vitem, et fideles sibi palmitum instar insertos locum habeat; praeterea Luc. 22, 16. pascha implendum esse dicit in regno Dei, et Mt. 26, 29. terrestre genimen vitis symbolum declarat vini novi in regno Patris sui bibendi (cfr. Mt. 8, 11. Apoc. 7, 16. 17. graec.) — S. Paulus in I.

*) Cfr. Dr. Scholz: Uiber die mystische Erklärung der heil. Schrift, deren Zulässigkeit und Anwendung, in der kathol. Vierteljahrsschrift für Wissenschaft und Kunst. Neue Folge I. Jahrg. 2. Heft S. 1. folg.

Cor. 9, 9. ex praecepto divino, bovi trituranti os non alligandum esse, veritatem derivat, ministro Evangelii vitae necessaria non esse deneganda, et ibid. 11, 15. comam mulieri a natura velaminis instar datam esse docet in signum subjectionis ac modestiae, quam erga virum, praecipue autem in conventibus sacris orans aut prophetans ostendere debeat.

Cum jam ss. literae, ad institutionem, admonitionem nostram scriptae (Rom. 15, 4. I. Cor. 10, 11.), sint thesaurus ditissimus, fons inexhaustus disquisitionum et meditationum; cum iisdem nihil magis idoneum reperiatur ad hominem a terrenis ad coelestia, a visibilibus ad invisibilia, ab externis eventibus ad aeternum moderatorem attollendum: pietas priorum saeculorum omnem ingenii aciem et phantasiae vigorem in interpretationem s. Scripturae mysticam convertit ad indagandas relationes, quae inter sensualia et spiritualia, temporalia et aeterna, visibilia et invisibilia, humana et divina intercedunt, et quibus fides alitur, spes roboratur, charitatis ignis accenditur *). — *Porro interpretatio mystica, praecipue si typica et symbolica adnumeretur,*

2. *hodiedum elevationis spiritualis, philosophiae altioris et artium ingenuarum auctrix et nutrix invenitur, et in specie in sermonibus ad aedificationem moralem promovendam destinatis perquam utilis laudeque digna esse potest,* si quis illam eo suscipit consilio, ut a) orationi sacrae majorem vigorem ornatumque addat; vel b) a data sibi pericopa aut textu biblico viam sibi struat ad veritates religionis tractandas et aliunde dein demonstrandas; vel c) cum dictis quibusdam sacris veritates religiosas conjungat, ut auditores, quotiescunque illa effata in memoriam eorum redeunt, illorum quoque monitorum recordentur. Ejusmodi s. Scripturae usum multi ss. Patrum et praestantissimi doctores ecclesiae fecerunt **).

Ad arcendos autem ejusmodi interpretationis abusus, quorum specimina vel in ecclesia catholica non desunt, *cavendum:*

α) Ne sensus historico-logicus unquam negligatur, aut historiae veritas negetur, qua in re inter Judaeos praecipue Philo Alex. ***), et inter Christianos ex parte saltem Origenes ejusque asseclae peccarunt. S. Hieronymus talem conatum recte nihil aliud esse dicit, nisi ludum puerilem (Praef. in comment. in Abdiam).

β) Ne analogiae fidei limites unquam violentur; nam qui phantasiae exuberantis impetu in altiora abripitur, quin rationis vocem audiat, et sensum ecclesiae normam directricem sequatur, novus Icarus in vastum erroris pelagum praecipitetur, necesse est.

---

*) Etiam apud Judaeos sensus mysticus (Sod) diligentius inquirebatur, quam historicus (Paschut) et moralis (Drusch). Scholz.

**) Cfr. v. g. Ouevres de Masillon. Paris chez Firmin Didot frères 1838. 2 tomes, praecipue: Sermon pour le vendredi de la première semaine de carême, tom. I. pag. 218. seqq. et praeclara scripta Dris Emmanuelis Veith.

***) Philoni v. g. quatuor fluvii horti Eden non erant fluvii veri, sed quatuor virtutes cardinales ethicae platonicae; Sara non erat uxor Abrahami, sed philosophia; Hagar non serva Sarae, sed quidquid ad literas et scientiam sese refert.

γ) Ne interpretatione mystica textui sacro vis inferatur, et analogia inter diversos eventus ac veritates e longinquo petatur; nam et hoc respectu „est modus in rebus, sunt certi denique fines, quos ultra citraque nequit consistere verum.“

δ) Ne sensus mysticus ab ipso auctore sacro vel a Spiritu s. certo intentus esse praetendatur, aut non solum ad illustrationem dictorum vel ad aedificationem moralem, sed etiam ad comprobandas veritates religionis adhibeatur; nam sensus mysticus eo differt a sensu typico et symbolico, quod hic auctoritate Jesu, Apostolorum et ss. Patrum consentientium nitens objective certus est, dum ille, ut verbis utamur s. Augustini **), „est conjectura mentis humanae, quae aliquando ad verum pervenit, aliquando fallitur.“

Non itaque omnem, sed illimitatum et arbitrarium interpretationis mysticae usum, i. e. ejus abusum rejicimus, idque eo magis, ac rationes, quas patroni illius proferunt, speciosae potius, quam verae inveniantur, prout patebit, si examinantur

§. 122.

Argumenta sensus mystici patronorum.

Argumentum 1. Deus est auctor s. Scripturae, qui pro natura sua infinita virium humanarum angustiis minime circumscribendus est. Homo quidem, temporis limitibus adstrictus, non plura mente simul complecti et proinde nec eloqui potest; ast in Deo temporis limites obstare non possunt, quominus plura simul mente intendat, ac proinde hominibus loquens uno eodemque effato et literalem et mysticum, imo plures etiam et tot mysticos spectaverit sensus, quot capit verborum potestas. Quodsi vero ens infinitum plures sensus, et mysticos quidem in specie uno eodemque sacrae Scripturae loco spectavit, in ejusdem interpretatione ad omnem verborum potestatem attendendum, i. e. interpretationi literali mystica adjungenda erit.

Resp. Sacram Scripturam Spiritui divino, enti infinito, in acceptis referendam esse, firmiter quidem tenemus; inde autem sequi negamus, Deum per s. Scripturam hominibus loquentem infinitâ suâ naturâ revera esse usum, id, quod argumentatio allata non probat, sed vitiose a posse ad esse concludendo perperam supponit. Contrarium potius sequentibus probatur: a) Deus, ens infinitum simulque benignissimum ac sapientissimum, efficaciam suam ubique attemperare solet omnimodae conditioni hominum, in quos agit; unde jam, ipsum hominibus loquentem humanos quoque limites respexisse, et humanum loquendi modum observasse, omnino suspicari, imo tuto credere licet. b) Deus cuivis effato plures sensus subjiciendo sapientissimum, quem posuit, ordinem, ut homo de loquentis sensu certus redderetur, ipse turbasset sicque auctor esset, si effata ejus vel prorsus non, vel non pro omni eorum vi intelligerentur, vel ad ineptos etiam, ludicros ac nefarios plane sensus detorquerentur. Denique

**) De civitate Dei l. 18. c. 52.

Deus infinitâ suâ naturâ uti, et ubique omnia, quae verborum pit potestas, complecti volens, paucissimis cuncta absolvisset; qui sermo biblicus verbis non parcit, neque in genere quoad forma suam a dictione humana differt; nam saepe admodum verbos est; tot membrorum inveniuntur parallelismi; toties eaedem res l a diversis, vel ab eodem plane auctore repetitis vicibus describuntur, ita ut ex hac etiam sermonis biblici conformatione edoceatur, Spiritum divinum per auctores sacros hominibus loquentem finitâ suâ naturâ uti non voluisse, etiamsi concederemus, quod nen adhucdum a nemine demonstratum est, singula s. Scripturae rba Spiritui s. in acceptis esse referenda.

Obj. Si mystico sensui locus esse non potest, neque symbolum ac typicum admittere fas est, cum et hic effatis s. Scripturae aeter sensum literalem adscribatur.

Resp. Sensum mysticum inter et symbolicum ac typicum id obrsatur discriminis, quod in statuendo hocce, non vero in illo sufientibus rationibus convincimur, Deum per scriptores sacros hominibus loquentem ab ordinaria illa, consilia sua communicandi amque voluntatem revelandi ratione discessisse, et praeter sensum mediatum etiam quemdam mediatum spectasse.

Argumentum 2. Libri biblici sunt libri sacri, et jam ideo, ut Deo gni sint, omnia, quae continent, ad religionem et morum sanctitam promovendam tendant necesse est; cum vero non omnes eorum rtes sensu literali expositae ad hunc finem tendant, mystica eorum cessaria est interpretatio.

Resp. Ut liber aliquis sacer habeatur, minime requiritur, ut mia ac singula ejus dicta ad religionem immediate pertineant; fficit, si tenor principalis eo tendit. Reliqua pars, uti eventuum arrationes, morum ac consuetudinum descriptiones, genealogiae et milia, etsi ad religionem morumque sanctitatem promovendam imdiate non conferunt, mediate tamen eundem promovent finem, illstrando nempe partem librorum religiosam, confirmandoque librom sacrorum authentiam et axiopistiam, ideoque mystica interpretione non indigent, neque eorum applicatio, cuivis ceterum libera, usus practicos ad religionis virtutisque sensum excitandum, uendum ac promovendum interpretatio stricte talis unquam dici test.

Argumentum 3. Ipsi sacri N. F. scriptores locis V. T. a) longe um saepe, quam qui eis e contextu suo spectatis respondet, imo multiplicem sensum subjecerunt, v. g. Isaiae 53, 4. coll. Mt. 8, . et I. Petri 2, 24.; quid? quod c) s. Joannes non tantum effan Domini 17, 12. serius 18, 9., sed ipsius etiam Kaiphae verba , 50. 51. de longe alia re interpretatus est, ac de qua Jesus et erdotum princeps cogitarunt. Ipsi igitur Apostoli tum V. T. loca, n Christi et aliorum dicta non tantum literaliter, sed etiam myce interpretati sunt; quare nobis quoque non solum licebit, sed ne necessarium erit s. Scripturam mystice interpretari; Apostoli im a Christo edocti et a Spiritu s. illustrati rectum ss. librorum erpretandorum modum optime scire debebant.

Resp. Ad a) N. F. auctores effatis V. T. saepius alium subjecisse sensum, ac qui mentem sacri scriptoris subiit, verum quidem est; ast hac in re duplex distinguendus est casus; aut enim α) infallibile ediderunt testimonium, a Spiritu s. in V. T. praeter sensum immediatum mediatum quoque, et praeter sensum proximum etiam remotiorem esse spectatum, i. e. prophetiam sive typicam, sive continuatam, sive completivam, qui itaque sensus respectu lectorum christianorum non est mysticus, sed historico-logicus; aut β) non habuerunt citandi seu allegandi, sed applicandi vel accommodandi consilium, quo in casu (coll. §. *95.* dictis) *verbis alterius uti licet ad suum sensum exprimendum. Ut itaque interpretationis mysticae necessitas provocatione ad exemplum N. T. auctorum probaretur, prius demonstrandum foret, hosce, quotiescunque V. T. loca adferunt, vel semper consilium citandi habuisse, vel vero ibi etiam, ubi hoc consilium revera habuerunt, alium his locis subjecisse sensum, ac quem, si non humanus, tamen divinus* (primarius) *auctor certo spectavit; atqui nemo hucusque alterutrum demonstrando par erat.*

*Ad b) et c) Verba tam Isaiae 53, 4., quam Christi Joann. 17, 12. adeo late patent, ut illis omnimoda hominum infirmitas, hisce salus discipulorum tum spiritualis tum corporalis comprehendatur; quodsi itaque ss. scriptores jam hanc, jam illam sensus late patentis partem respiciunt, verbis non talem subjiciunt sensum, qui ab eis e contextu et ordinariâ suâ vi spectatis esset alienus. — Quod attinet Joann. 11, 50. 51., Apostolus dicere voluit, Deo sic moderante factum esse, ut summus sacerdos, qui antiquioribus temporibus ope Urim et Thumim voluntatis divinae erat interpres, etiam hoc in casu gravissimo ejusmodi adhiberet verba, quae certo sensu intellecta prophetiam de effectibus mortis Christi continerent *). Quodsi autem Apostolus recte tenuit, Deo dirigente a summo sacerdote talia adhibita esse verba, quae certo sensu accepta veritatem christianam edicerent: sensus ille verbis Caiphae a. s. Joanne subjectus est sensus, quem Deus per pontificem loquens spectavit, ergo respectu Dei non mysticus, sed literalis, et relate ad nos historico-logicus.*

Argumentum 4. SS. Patres non modo singula loca mystice interpretati sunt, sed etiam veluti ordinarie mysticos sensus sectandos esse declarant, uti docet s. Augustinus confess. lib. XII. c. 30. **)

---

*) Cfr. Exodi 28, 30. Num. 27, 19. seqq. Deuter. pl. II. al. Etiam daemones veritati testimonium exhibuisse leguntur in N. T., v. g. Act. 16, 16. 17. Philo de creat. princ. dicit: *Ὁ πρὸς ἀλήθειαν ἱερεύς εὐθύς ἐστι προφήτης, οὐ γένει μᾶλλον ἢ ἀρετῇ παρεληλυθώς ἐπὶ τὴν τοῦ ὄντος θεραπείαν.*

**) „Eundem famulum tuum (Moysen), scripturae hujus dispensatorem, Spiritu tuo plenum, ita honoremus, ut hoc eum, cum haec te revelante scriberet, adtendisse credamus, quod in eis maxime luce veritatis et fruge utilitatis excellit. Ita cum alius dixerit: Hoc sentit, quod ego, et alius: Imo illud, quod ego, religiosius me arbitror dicere: Cur non utrumque potius, si utrumque verum est, et si quid tertium, et si quid quartum, et si quid omnino aliud verum quispiam in his verbis videt, cur non illa omnia vidisse credatur, per quem unus Deus sacras literas vera et diversa visuris multorum sensibus temperavit?“

Jam vero Concilium Trident. sess. IV. interpretationes Patrum interpretationis catholicae normam proponit, unde manifestum est, mysticam interpretandi rationem per ipsam auctoritatem concilii oecumenici infallibilem sancitam, adeoque Catholicis s. Scripturam mystice interpretandam esse.

Resp. Praesulibus ecclesiae in concilio Trid. congregatis nequaquam id fuisse consilii, ut mysticas Patrum interpretationes ceu normam proponerent, a qua nemini Catholicorum discedere liceret, ex ipsa rei natura, nec non ex occasione hujus decreti ejusque partibus patet.

a) Ex rei natura. Si enim concilium per unanimem Patrum consensum intellexisset mysticas eorum interpretationes, talem eorum statuisset consensum et interpretationis normam, qualis non adest. Nam unanimis Patrum in mystica interpretatione consensus nonnisi tum concedi posset, si omnes vel α) iisdem locis eosdem mysticos subjecissent sensus; vel saltem β) in genere mystice interpretati essent s. Scripturam. Atqui in sensibus mysticis uni eidemque loco subjectis vix unquam duo Patres consentiunt, dum in sensu historico-logico saepissime aut omnes, aut saltem plures conveniunt, ita ut illis decreti verbis sensus potius historico-logicus Patrum respiciatur, quam mystici commendentur. — Sed ne in mystica quidem interpretatione generatim unanimis adest ss. Patrum consensus; nam

*aa) alii mysticam interpretationem aperte improbant, uti Theodorus Mopsuestenus *), quod ab aliis quoque factum esse, s. Hieronymus innuit, dum de adversariis mysticarum suarum interpretationum quam plurimis tum inter orthodoxos, tum inter heterodoxos conqueritur;*

*bb) alii nonnisi aut saltem praeprimis sensum literalem sequuntur, uti Tertullianus, Theophilus Alex., s. Hieronymus **), s. Chrysostomus et in genere schola Antiochena, s. Basilius, s. Gregorius Nazianzenus;*

cc) alii interpretationi mysticae addicti sunt quidem, ita tamen, ut

α) discriminis inter sensum literalem et mysticum intercedentis probe gnaros se esse prodant, uti ipse s. Augustinus, in commendationem mysticae interpretationis supra laudatus, qui in opere suo

---

*) In commentario in Psalmos et 12 prophetas minores ait: „Qui haec (adjuncta historica) considerare nolunt, omnia verba ad Christum trahere conantur, ut, quae populo israëlitico contigerunt, de Christo intelligant, Judaeisque ludibrium praebeant ostendentibus ex verborum consequentia, nihil eorum ad Christum pertinere." Ast Theod. Mopsuesteni audacia, qua una cum mystico simul et propheticum, symbolicum ac typicum sensum e ss. literis, paucissimis locis exceptis, eliminare studuit, ita ut vel Canticum canticorum mere sensuale seu pure eroticum declararet, ab ecclesia merito damnata est in conc. Constantinop. II. an. 554.

**) „Abdiam allegorice interpretatus sum, cujus historiam nesciebam." Si itaque historiam ejus scivisset, non allegorice, sed literaliter eum esset interpretatus. Cfr. Arigler herm. pag. 33.

de doctrina christiana c. 36. mentem suam hac de re sat clare manifestat *) :*

β) sensum literalem baseos instar habeant, cui innitatur oporteat mysticus, ut Origenes **), *s. Hieronymus* ***), *s. Augustinus* †), *s. Gregorius M.* ††) ;

γ) interpretationem mysticam, ut scripta eorum polemica et apologetica docent, non in demonstrandis dogmatibus adhibeant, sed illo consilio moti, quod superius §. 122. indicavimus, solum in homileticis et asceticis scriptis frequentent †††).

Cum itaque tantum absit, ut Patres in sensibus mysticis conveniant, ut potius ne de interpretatione quidem mystica eadem omnium sit sententia et praxis: quis sibi persuadeat, concilium verbis: „Nemo audeat s. Scripturam — contra unanimem consensum Patrum interpretari," ss. Patrum interpretationes mysticas ceu normam interpretationis catholicae praescribere voluisse? — Idem patet

b) ex occasione proxima et ex partibus hujus decreti. Occasio ejus proxima non in eo erat sita, quod interpretes ab expositionibus Patrum mysticis discessissent; sed potius in illa interpretandi ratione, qua ipso illo tempore theologi acatholici tum ecclesiae sensum, tum Patrum ceu unanimium traditionis tam dogmaticae, quam exegeticae testium auctoritatem respuentes s. Scripturae effata suae prudentiae innixi ad suos sensus, ad sua placita nova contorquere coeperant, uti ex Pauli Sarpi hist. conc. Trid. patet, et qnod innuunt ipsius etiam decreti verba: „Ad coërcenda petulantia ingenia — suae prudentiae innixus — ad suos sensus contorquens," utpote quibus minime respicere potuit eos, qui solidas sobriasque, indole ss. librorum et ipsa ratione dictatas regulas sequentes s. Scripturam historico-logice exponunt, ita ut doctrinae ac sensui ecclesiae, nec non Patrum ceu traditionis testium auctoritati non adversentur.

---

*) „Quisquis in Scripturis aliud sentit, quam is, qui scripsit, illis non mentientibus fallitur; sed tamen, si ea sententia fallitur, quae aedificet charitatem, quae finis praecepti est, ita fallitur, acsi quispiam errore deserens viam eo tamen per agrum pergat, quo etiam via illa perducit. Corrigendus est tamen, et quam utilius sit viam non deserere, demonstrandum est, ne consuetudine deviandi etiam in transversum et perversum ire cogatur"

**) Homil. 1 in Genesin: „Omnium primo videamus, quae de ea secundum literam referuntur, et quaestiones proponentes, quae objici a pluribus solent, etiam solutiones earum ex his, quae sunt a majoribus tradita, requiramus.

***) Comment. in cap. 12. Isaiae: Spiritualis interpretatio sequi debet ordinem historiae, quod plerique ignorantes lymphatico in Scripturis versantur errore.

†) In sermone de tentatione Abrahae: „Admoneamus, quantum possumus, et praecipimus, ut, quando auditis exponi sacramentum Scripturae mandantis, quae gesta sunt, prius illud factum esse credatis sic gestum, quomodo lectum, ne subtracto fundamento rei gestae quasi in aëre quaeratis aedificare." Cfr. ep. 93. ad Vincentium.

††) Evg. lib. II. hom. 40. in dominicam II. post Pentec.: „In verbis s. eloquii, fratres charissimi, prius servanda est veritas historiae, postmodum requirenda spiritualis intelligentia allegoriae. Tunc namque allegoriae fructus suaviter capitur, cum prius per historiam in veritatis radice solidatur."

†††) Cfr. Vogl: Die heil. Schrift und ihre Interpretation durch die hh. Väter der Kirche, pag. 88. seqq.

§. 123.

II. De Pietistarum et Quakerianorum interpretationis principio *).

Quakeriani statuunt, quemlibet Christianum sacros libros legenem vel lectionem eorum audientem intus, in animo a Deo immediate edoceri sensum eorundem **).

Ast tota haec de lumine interno, sensu Quakerianorum accepto, ejusque effectibus sententia inter dolenda falsi spiritualismi et ysticismi deliria pertinet, nemini sobrio arridere potest, et revera on numerosâ gaudet asseclarum catervâ. Nam

1. non nititur, nisi falsa quorumdam s. Scripturae locorum interpretatione. Sic

a) Joann. 1, 9., ad quem locum Quakerianismi apologetae praecipue provocant ***), dicitur quidem Verbum illuminare omnem hominem; ideo tamen magisterii et institutionis externae necessitas non removetur; etenim *α)* vi legum conditionumque, quibus homo ad sui ipsius et Dei conscientiam pervenit, cum lumine interno Verbi lumen externum magistri pari passu incedere, hinc et illustrationi internae institutio externa respondere debet †); quare *β)* idem Verbum, quod illuminat omnem hominem, caro factum „dedit quosdam quidem Apostolos, quosdam autem prophetas, alios autem pastores et doctores ad consummationem sanctorum in opus ministerii in aedificationem corporis Christi" etc. (Eph. 4, 11. seq.); *γ)* juxta principium Quakerianorum omnes externae, speciales Dei revelationes, imo et ipsa Incarnatio Verbi et commoratio inter homines superfluae fuissent.

b) Quodsi Quakeriani ex loco ad Rom. 8, 14. coll. cum I. Cor. 2,10. et Joann. 14, 26. luminis sui interni realitatem demonstrare

---

*) Cfr. Möhler: Symbolik edit. IV. pag. 497. seqq.

**) Haec sententia e principalibus fidei eorum capitibus sponte promanat. Tenent vero:

a) Cuilibet hominum absque discrimine certum contingere diem ac tempus visitationis, quo possibile sit illi salvari, et beneficii mortis Christi participem fieri;

b) eum in finem Deum unicuique hominum communicare mensuram quamdam luminis Filii sui, mensuram gratiae seu manifestationem Spiritus;

c) hocce lumen internum seu Spiritus s. vocem, per quam homines absque institutione externa ad veram Dei cognitionem perveniant et omnia edoceantur (Joann. 14, 26. I. Cor. 2, 11. 12.), esse fundamentum ac fontem omnis veritatis, proindeque primariam et adaequatam fidei et morum regulam; unde

d) sequi putant, s. Scripturam lumini illi interno subordinatam esse eique non contradicere quidem; attamen ad illam rite intelligendam ad hoc umen recurrendum esse, quemadmodum, cum de amnis alicujus vel fluminis aqua dubitamus, ad fontem recurrimus.

***) „Hic locus nobis ita favet, ut a quibusdam Quakerianorum textus nuncupetur; luculenter enim nostram propositionem demonstrat, ut vix vel consequentia vel deductione egeat." Roberti Barclay Theologiae vere christianae apologia. Edit. II. Londini 1729.

†) Cfr. Die Apologetik v. Dr. Johann Sebast. von Drey, I. Bd. pag. 134. seqq. al.

conantur: certe, nonnisi literam prementes omni lumine interno destituuntur; nam

α) si primo loco filii Dei (veri Christiani) Spiritu Dei agi dicuntur, inde non sequitur, Spiritum Dei etiam veritatum ad salutem necessariarum summam singulis interne et modo extraordinario communicare; potius verba illa, si contextus habeatur ratio, de efficaci voluntatis, per Spiritum s. inhabitantem sanctificatae, ad omne opus bonum promte exequendum determinatione intelligenda sunt *). β) Si Christus Joannis 14, 26. promittit, fore, ut Spiritus s. omnia doceat; si porro I. Cor. 2, 10. legimus: „Nobis autem revelavit Deus per Spiritum suum, Spiritus enim omnia scrutatur, etiam profunda Dei:" utroque loco sermo quidem est de suggestione et manifestatione omnis veritatis per Spiritum s. efficiendâ; ast non de ea, qua omnis Christianus immediate fruatur, sed de illa tantum, quae proxime contigit Apostolis, et ab hisce demum ad Christianos reliquos mediate derivatur, uti sanae hermeneuticae regulae docent.

2. *Sicuti Quakeriani phantasia sua delusi falluntur, dum, quod aliorum institutione, propria lectione, meditatione aut experientia cognoverunt, lumini interno adscribunt: ita et haec ipsa sententia fanaticorum errorum fons est:* etenim si quis illâ opinione de lumine interno deceptus instructionem divinam certo ac diu exspectat, ex rationibus psychologicis fieri potest et revera fit, ut phantasiâ suâ incalescente demum propria phantasmata, somnia ac deliria ceu vocem internam ac revelationem Spiritus s. consideret, uti mores illorum luminis amicorum peculiares, et sententiae falsae de jurejurando, de bello, de theologiae studio, de musica etc. abunde docent.

3. *Quakerianos absque necessariis scientiis et regulis solidis, et nonnisi inspirationem suam, quam putant divinam, sequentes, s. Scripturam perverse interpretari, ex exemplis superius allatis patet; eos vero hac in re in diversa quoque abire, tum rei natura, tum experientia docet,* quod autem locum habere non posset, si a Deo immediate eis suggereretur sacrorum effatorum sensus, quum Numen divinum non dissensionis et discordiae, sed consensionis et harmoniae sit auctor, sibique contradicere non possit.

III. De interpretatione s. Scripturae morali **).

§. 124.

Quid sit sensus et interpretatio moralis.

Per sensum moralem nonnullis nihil aliud intelligitur, nisi usus practici ex s. Scriptura resultantes, ita ut interpretatio moralis s. Scripturae sit ejusdem sensu historico-logico acceptae applicatio ad

---

*) Cfr. Reithmayer comment. in ep. ad Rom. ad hunc locum pag. 410. seqq.

**) Cfr. Dr. W. Kozelka in: Neue theol. Zeitschrift v. Jos. Pletz. VI. Jahrgang. I. Bd. p. 12 seqq.

casus et indigentias lectorum vel auditorum peculiares. — Cum interpretatione morali hoc sensu spectata hermeneuticae nihil negotii esse potest, dum illa sensum historico-logicum admittit, imo necessario supponit, et haec, ne in alienam abeat provinciam, praecepta, juxta quae conformanda sit, homileticae tradenda relinquit.

Aliis vero interpretatio moralis est illa s. Scripturam tractandi ratio, qua effata ejus sensu literali intellecta ad principia practica rationis purae revocantur et perficiuntur, ubicunque sensus literalis hisce principiis non satis consentaneus esse videtur. Per sensum moralem itaque intelligunt notiones principiis practicis rationis purae consentaneas, effatis s. Scripturae subjectas. Hanc s. Scripturae tractationem criticam proposuit promovitque Kant opere suo: Religion innerhalb der Gränzen der blossen Vernunft, secutus antiquorum philosophorum exemplum, qui mythologiae ethnicorum commenta sanioribus rationis principiis conformare nitebantur. In verba Kantii magistri statim, ut fieri solet, plures jurarunt discipuli, et inter hos etiam interpretes; plurimi autem eruditi inter ipsos Protestantes, de studio biblico bene meriti, hanc interpretandi rationem impugnarunt, uti Eichhorn, Rosenmüller, Noesselt, Plank, Keil, Storr. Catholici eam constanter repudiarunt, et jure quidem; nam interpretationis nomine non est digna, cum non ubique loquentis cogitata pandat, sed notiones, quae practicis rationis purae principiis consentaneae esse videntur, effatis divinis obtrudat, id quod ipse ejus auctor non negat, dum textui s. nonnunquam vim inferri opere cit. fatetur. Kantianorum placita hoc respectu solido carere fundamento, patebit, si institutum fuerit

Examen argumentorum, quibus moralis s. Scripturae interpretatio commendatur.

§. 125.

1. Argumentum.

S. Scriptura continet doctrinam revelatam, quae non potest non esse perfectissima, quia auctorem habet Deum, a quo alienissima est omnis cognitionis imperfectio; atqui notiones religiosae, quae ope interpretationis literalis e s. Scriptura eruuntur, nequaquam semper sunt perfectissimae, sed nonnunquam rudiori hominum captui accommodatae; quare minus perfectae notiones istae ad principia practica rationis purae revocandae et perficiendae sunt, ut a Deo, ente perfectissimo, profectae censeri possint, seu, quod idem est, literali s. Scripturae interpretationi et sensui interpretatio et sensus moralis adjungendus.

Resp. Sacras literas continere doctrinam revelatam, quae Deum habet auctorem, in quem cognitionum imperfectio non cadit, verum quidem est; inde autem non sequitur, revelationem hanc perfectissimas notiones ubique pandere debere; nam revelatio divina est simul educatio hominum (Gal. 3, 24.) *et institutio ad salutem*

per fidem, quae est in Christo Jesu (II. Tim. 3, 15.); *educatio vero sapiens, rationem habens captus, indigentiarum destinationisque erudiendorum, neque eadem tironibus tradit, quae nonnisi in cognitione provectioribus et satis praeparatis conveniunt, neque omnibus omnia communicat. Hinc et revelatio recte distinguitur alia absoluta, relativa alia. Absoluta, qualis est N. F., dicitur illa, quae omni, etiam summo culturae gradui, et proinde omni aetati ac regioni est adtemperata, et ideo doctrinam perfectissimam continere debet* *); *revelatio relativa vocatur, quae nonnisi certo culturae gradui ac peculiari cuidam fini subordinato, nec non certae tantum aetati destinata est. Ejusmodi revelatio relativa est illa V. T., quae uni, eique maximam partem rudi adhuc populo data erat, subordinatumque habuit finem, nempe conservationem cognitionis et cultus veri Dei, atque progressivam animorum praeparationem ad Messiae adventum et suscipiendam doctrinam perfectiorem, quae proinde certae tantum aetati erat destinata. Haec jam revelatio relativa non poterat ubique perfectissimas notiones pandere, quia populus hebraicus teste ejus historiâ incultus ac rudis illis capiendis impar erat. Cum jam interpretis sit, loquentis cogitata, et quidem omni cum fide pandere, utique nefas est, V. T. effatis subjicere notiones perfectiores atque sublimiores, ac quas Deus ipse, utpote culturae hominum et revelationis hujus fini adtemperatas, qua sapientissimus educator manifestare voluit. Neque ex revelatione relativa, non ubique perfectissimas quidem, attamen non tales notiones pandente, quae in se imperfectae, aeternis naturae moralis legibus contrariae, et ad finem suum assequendum ineptae fuissent, imperfectionis quid in Deum, ejus auctorem, resultat; hoc tum potius fieret, si ubique perfectissima suppeditasset.*

§. 126.

2. Argumentum *).

Etiam N. F. libri, ut revelationis absolutae monumenta haberi possint, interpretatione morali indigent, quia et in horum doctrina plura occurrunt, quae non sunt perfectissima; nam Christus et Apostoli ejus nonnunquam se accommodarunt imperfectioribus, imo etiam falsis Judaeorum ac gentilium opinionibus, easque ceu veras tractarunt, unde factum est, ut falsa admiscerentur veris, et in genere revelatio N. T. quodammodo defoedaretur; quare, ut cognoscatur, quid Christus et Apostoli, revelatae hujus doctrinae praecones, tradituri fuissent, si accommodatio haec non habuisset locum, morali interpretatione opus est. Accomodationi autem huic revera fuisse locum, cognoscitur

*) Cfr. System der göttlichen Thaten des Christenthums von F. Xaver Dieringer. 2 Bde. Mainz 1841.

*) Systema accommodationis jam ante Kantium in schola Semleri enatum in pluribus convenit cum interpretatione morali; hinc cum haece conjungendum videbatur.

1. ex necessitate ejusdem, quia secus religio christiana non invenisset aditum ad Judaeorum et ethnicorum animos, nisi Christus et Apostoli indulgentiores se exhibuissent quoad varias eorum opiniones falsas et inveteratas;

2. ex claris in N. T. occurrentibus accommodationis ejusmodi factae testimoniis, uti I. Cor. 3, 1. 2. Hebr. 5, 12. et aliis in locis, ubi Paulus Ap. ipse fatetur, se non potuisse fratribus loqui qua spiritualibus, aut solidum cibum praebere ceu perfectis; sed se debuisse eis loqui qua carnalibus, et lac praebere veluti infantibus, i. e. se debuisse lectoribus tenuiores, imperfectiores notiones et doctrinas suppeditare ceu hominibus, qui puriores ac perfectiores nondum ferrent. In I. Cor. 9, 20. vero gentium doctor sincere profitetur se inter Judaeos judaicas, inter ethnicos ethnicas, inter infimos, i. e. cognitione parum adhuc provectos, tenues sententias esse secutum; denique

3. ex indubiis factae hujus accommodationis exemplis, qualia in Christi et Apostolorum doctrina et agendi ratione deprehenduntur, v. g. dum Christus coll. Mt. 9, 2. falsam Judaeorum opinionem, omnem morbum peccati cujusdam personalis esse sequelam, et Mt. 11, 14. verbis: εἰ θέλετε δέξασθαι (si ita vobis placet accipere) erroneam popularium suorum sententiam de Elia Messiae praecursore aperte approbavit; dum Paulus Ap. Act. 16, 3. Timotheum propter Judaeos circumcidendum curavit et alia.

Resp. Cum totius argumentationis allatae cardo in accommodatione a Christo et Apostolis observatâ versetur: ante omnia accommodationis notio definienda, ejusque species distinguendae sunt. — Accommodatio in genere est loquendi aut agendi ratio aliorum cogitandi, sentiendi, loquendi aut agendi modo adtemperata; seu est talis loquendi aut agendi ratio, qua quis aliis sese conformat. Hujus autem accommodationis species sunt: paedagogica, moralis, aesthetica, negative et positive dogmatica. Accommodatio dicitur

a) paedagogica, si quis institutionem suam ad captum et indigentias alterius adtemperando nonnisi ea et eo modo docet, quae et quomodo tradita a discipulo intelliguntur;

b) moralis, ubi quis actionem in se licitam ratione habita aliorum conscientiae vel ponit, vel omittit;

c) aesthetica seu rhetorica, quando loquens ad sua cogitata sensaque exprimenda verbis alterius utitur;

d) negative dogmatica, dum aliquis relate ad tenuiores falsasve aliorum opiniones aut sententias vel penitus silet, vel eas nonnisi indirecte improbat; denique

e) positive dogmatica, si quis aliorum placita, quae imperfecta aut falsa esse scit, qua suas sententias adfert, approbat et ceu vera tractat.

Quicunque formaliter, i. e. vel paedagogice, vel moraliter, vel aesthetice, vel negative dogmatice aliis semet accommodat, ex hac causa sola alienos errores approbare dici nequit; etenim si quis α) nonnisi ea et modo docet, quae et quo modo proposita audientes

capere possunt: ideo solum sciens volensque minime tradit falsa, cum et vera ita tractari possint; si quis β) actionem in se licitam ob conscientiam aliorum vel ponit vel omittit, propterea aliorum errorem probare dici nequit, idque eo minus, si aliis indiciis sat manifestis docet, se hac in re solummodo respectu habito ad aliorum persuasionem moralem ita egisse, sive omni abusui sui agendi modi obviam ire conatur; qui γ) aliorum effata in suum convertit usum, tenuiores illorum sententias non suas efficit, quia dicta haec non alterius, sed suo sensu accipit; denique qui δ) erroneas aliorum sententias silentio praetermittit, nondum eas probat, et proverbium tritum: Qui tacet, consentire videtur, nequaquam valet de eo, qui indirecte illas improbat aut refutat i. e. talia proponit principia, quibuscum erronea illa placita conciliari nequeunt. — Ille tantum imperfectas ac falsas aliorum notiones profiteri et approbare dici potest, qui materialiter seu positive dogmatice aliis semet accommodando nullum nutum aut indicium praebet, se perfectiora mente tenere, seu meliorem sibi esse persuasionem.

Quod jam Christum, Apostolos et reliquos doctores religionis Christianae primos attinet, aa) sponte concedimus, eos in hominum variorum institutione paedagogice, moraliter et aesthetice semet accommodasse, i. e. rationem habuisse indigentiarum, culturae gradus, characteris moralis et aliorum adjunctorum in iis, quos edocebant, et propterea institutionem suam tali ratione eis attemperasse, qua illis doctrina nova et intellectu facilior et acceptu amoenior reddebatur, imo id ipsum sapientem imitandumque agendi modum non possumus non agnoscere *); *neque bb) inficias imus, negative dogmaticam quoque accommodationem in institutione eorum locum habuisse, siquidem et hanc prudentiae pastoralis leges efflagitabant* **); *verum cc) ob argumenta allata eos positive dogmatice etiam aliis se accommodasse, firmiter negamus et pernegamus; nam respondemus:*

Ad 1. Christum et primos ejus legatos necessitatem agnovisse, positive dogmatice semet accommodandi, quia secus religio christi-

---

*) „Pro qualitate audientium formari debet sermo doctorum, ut ad sua singulis congruat, et tamen a communis aedificationis arce nunquam recedat." S. Gregorius M. libro de cura pastorali in prologo.

**) „Ohne eine solche (Accommodation) kann es ja überhaupt keinen Unterricht geben, da der Lehrer von einer mit dem Schüler gemeinsamen Grundlage ausgehen muss, um diesen von dem aus, was er als bekannt bei ihm voraussetzen kann, in der Erkenntniss weiter zu führen. Er muss sich zu ihm herablassen, um ihn zu sich zu erheben. Da nun in den Vorstellungen des Schülers Wahres und Falsches mit einander gemischt ist, so muss er sich an das Wahre im Falschen anschliessen, um das Wahre von der Hülle des Falschen frei zu machen. So wird der Mann dem Kinde ein Kind, der zum Grunde liegenden Wahrheit in der Hülle der kindlichen Vorstellungen sich anschliessend; er gibt dem Kinde die Wahrheit in der dem Standpunkte dieses Alters angemessenen Form. Daher findet auch in aller Offenbarung Gottes, welche Erziehung der Menschheit zu göttlichem Leben — — bezweckt, Accommodation Statt, das Göttliche dem Bewusstseyn der Menschen darzustellen in der dem dermaligen Standpunkte desselben angemessenen Form." Neander: Das Leben Jesu Christi pag. 182. 183.

ana propagari non potuisset, eosque praetensae huic necessitati unquam revera cessisse, perperam asseritur, prout docet tum finis, ob quem Christus in mundum venerat, et ad quem Apostoli ejus destinati erant, tum doctrinae eorum indoles et docendi modus, tum character eorum moralis, tum denique adversa ipsorum fata. Si

a) finem consideramus, α) Christus ipse testatur, se in mundum venisse, ut veritati testimonium perhiberet (Joann. 18, 37.); *se dicit viam, veritatem et vitam* (Joann. 14, 6.); *omnem plantam eradicandam esse pronuntiat, quam Pater coelestis non plantavit* (Mt. 15, 13.), *atque ad hunc finem tendere nunquam cessavit, ideoque* (coll. Joann. 6, 68.) *potius permisisset, ut vel Apostoli ab eo discederent, quam ut doctrinam de carne sua manducanda et de sanguine bibendo mitigasset. Ad eundem finem destinati erant etiam β) Apostoli, nimirum ut pulsis tum judaicorum, tum ethnicorum errorum tenebris coelestis doctrinae luce orbem terrarum illuminarent, monitique a Domino* (Mt. 10, 27. 28.): *„Quod dico vobis in tenebris, dicite in lumine, et quod in aure auditis, praedicate super tecta, et nolite timere eos, qui occidunt corpus, animam vero non possunt occidere" etc. Quis jam hunc eorum finem considerans sibi persuadeat, eos adeo fuisse insipientes, ut praecepti atque exempli magistri obliti per accommodationem positive dogmaticam viam ad scopum illum unice ducentem ipsi sibi obstruerent, ut abnegatâ veritate veritatem propagare vellent? Idem colligitur*

b) ex doctrinae indole et docendi modo; nam Christus et Apostoli talia docent, quae cum primariis Judaeorum atque ethnicorum sententiis nullo plane modo conciliari queunt, dum v. g. opinionem de regno Messiae terreno, de perpetuo legis antiquae valore, de traditionum pharisaicarum auctoritate intrepide impugnant; dum non obstantibus Sadducaeorum placitis angelorum existentiam, animaė immortalitatem, corporis resurrectionem, judicium futurum constanter defendunt; simulatam Pharisaeorum pietatem directe et aperte improbant, et quidquid Judaei ac gentiles senserint et opposuerint, naturam Christi divinam, ejus mortem expiatoriam, e sepulchro resurrectionem, in coelum ascensionem, ad dexteram Patris sessionem adventumque ad judicium praedicare non cessant. — *Praeterea illis ipsis in locis, ubi adversarii accommodationem hanc adesse statuunt, ita se gerunt, ut homo accommodationis necessitati cedens agere non solet, nisi prorsus improbus sit; doctrinam nempe suam non provocati ab aliis adferunt, explicant, argumentis, gravioribus asseverationibus, imo et jurejurando firmant, et contra objectiones vindicant. Aut itaque fatendum est, Christum et Apostolos levium et improborum hominum instar erga vera et falsa prorsus indifferentes fuisse, aut eorum docendi modum non minus, ac doctrinae indolem omnem accommodationem positive dogmaticam plane excludere; ast quemadmodum illum blasphemiam damnat, ita nostram sententiam confirmat*

c) character Jesu Christi et Apostolorum; nam, ut de summa Christi sanctitate nihil dicamus, utpote qui vel coram acerrimis

inimicis suis dicere poterat: „Quis ex vobis arguet me de peccato?" (Joann. 8, 46.), *quem Pater repetitis vicibus declaravit eum, in quo sibi complacuit, quem clarificavit et iterum clarificaturus erat* (Mt. 3, 17. 17, 5. et parall. Jo. 12, 28.), *Apostoli quoque erant viri summo animi candore conspicui, simul vero intrepidi et fortes, ita ut voluntati Dei cuncta terrena postponerent, ut se suamque vivendi rationem coetibus christianis recens collectis imitationis exemplum proponere possent, licet contra, quidquid in eis boni erat, aut quidcunque effecerant magni, non sibi suisque meritis, sed Dei gratiae adscriberent. Quis jam, nisi in viros hosce quam maxime iniquus, asserere poterit, eos damnandâ hypocrisi externe probasse, quae in mente improbare debebant? Quis sine gravissima impietatis culpa eos adnumerabit illorum hominum levissimi animi catervae, qui solido fundamento destituti, omni vento doctrinae agitantur, et favoris aliorum cupidi, ad vanam solum nominis gloriam aspirantes, aut bonis tantum terrenis inhiantes omnem veritatis sensum tum in se, tum in aliis extinguere non erubescunt? Longe aliter primos religionis christianae praecones fuisse animatos, docent denique*

d) adversa eorum fata. Si enim accommodatione ad falsas tum Judaeorum, tum gentilium opiniones cunctorum favorem sibi et causae suae conciliare studuissent, procul dubio neque Christus ipse propter constantem doctrinae suae professionem tantum Pharisaeorum ac legisperitorum odium, tot eorum insidias et calumnias, et denique adeo ignominiosum crucis supplicium subiisset, neque Apostoli ejus talia ubique essent perpessi, qualia v. g. s. Paulus tum in Judaea et Hierosolymis a popularibus suis, tum in omnibus fere, quas adiit, provinciis et urbibus a Judaeis et ethnicis perferenda habuit.

Quodsi tamen his omnibus non obstantibus hic ibi agnovissent necessitatem, propagandae religionis christianae gratia imperfectiores et falsas aliorum opiniones approbandi: pro charactere ingenuo ac pro fine suo saltem in aliquo librorum suorum loco, vel cuidam familiarium aliquem hac de re praebuissent nutum, ne secus ipsi essent in causa, si Christiani tenuiores et erroneas sententias per accommodationem ab illis probatas veram eorum doctrinam habentes in errores gravissimos delaberentur, sicque religio Christi jam in ipsis incunabulis suis defoedata per omnium saeculorum decursum falsa cum veris miscens propagaretur, et hac ratione Patris coelestis in salutem hominum Filium suum unigenitum mittentis consilium irritum fieret, ac tot laborum exanthlatorum, tanti sanguinis effusi fructus non esset, nisi venenatus, qui ne operatione quidem anatomica et chemica rationalistarum sanus saluberque reddi posset. Ejusmodi autem nutus ut alicubi occurrat, tantum abest, ut potius ss. N. F. auctores claris verbis contestentur, se nonnisi ea tradidisse, de quorum veritate sibi persuasissimum erat, et tantum id docuisse, quod ipsi erant edocti. Sic

a) s. Paulus

α) Act. 20, 17—35. coram congregatis ad se Mileti presbyteris (episcopis Asiae minoris) asseverat, se fere per triennium publice ac privatim docentem nihil dissimulasse eorum, quae ad fidem pertineant et ad salutem fidelium spectent, et illis paterno amore apostolicâque curâ vigilantiam injungit, ne ecclesia Dei doctrinis erroneis detrimenti quid capiat.

β) I. Tim. 6, 20. II. Tim. 2, 14. Tit. 1, 13. seqq. al. discipulos suos dilectissimos hortatur, ut depositum custodiant, i. e. concreditam sibi Jesu Christi doctrinam ab omni haereseos labe, et proinde etiam ab omni Judaismi atque ethnicismi contagione puram illibatamque conservent.

γ) Gal. 1, 8. 9. repetita vice omnem anathemati subesse declarat, qui vel angelo eis, quae ipse tradiderat, contraria docenti aures animumque praeberet, et 2, 14. studio puritatis doctrinae conservandae ductus vel principi Apostolorum in faciem restitisse legitur.

Idem contestatur

*b) s. Joannes, utpote qui toties asserit, omnia, quae scribat, vera esse, et omni conatu sese opponit cuicunque praetextui melioris perfectiorisque doctrinae, ac ea esset, quam Christiani ab Apostolis acceperant, omnem ejusmodi praetensionem vanam declarat, et fideles hortatur, ut illis firmiter inhaereant, quae ab Apostolis vel potius a Spiritu s., omnis verae ac perfectae cognitionis fonte, essent edocti *).*

Similem conatum produnt etiam

c) s. Petri et s. Jacobi epistolae; prior enim sollicite id agit, ut caveat, ne quaedam s. Pauli dicta et praecipue doctrina de secundo Christi adventu perperam intelligantur; s. Jacobus vero, ne doctrina de fide et libertate christiana in abusum deducatur. — Quis jam aequus rerum arbiter viros hos ita sese gerentes tenuiores aut plane falsas aliorum sententias approbasse asserere audebit? Nonne hoc idem esset, ac nominatos Apostolos summae arguere impietatis?

Quominus vero quis aliter statuat

d) de s. Luca, de s. Matthaeo, s. Marco et s. Juda, obstat, quod prior statim in proëmio Evangelii sui expressis declarat verbis, se cuncta, quae vitam et doctrinam Christi concernunt, diligenter esse perscrutatum, ut Theophilus de veritate eorum, quae oretenus erat edoctus, scripto etiam certitudinem nancisceretur, et quod tum ipse, tum reliqui N. T. auctores cum quatuor prius laudatis Apostolis in vita et doctrina Jesu delineanda ex asse consentiunt.

Quemadmodum vero de admissa accommodatione positive dogmatica in N. T. libris, ita et in scriptis primorum ecclesiae Patrum, qui Apostolorum vel immediati, vel mediati erant discipuli, omnis omnino deest nutus.

Verum quidem est, primis religionis christianae praeconibus, universum terrarum orbem ignorantia, superstitione, praejudiciis ac

*) Cfr. Jo. 19, 35. 20, 31. 21, 24. I. ep. 1, 1—3. 2, 18. seqq. al.

vitiis pressum novae religionis lumine collustraturis arduum fuisse negotium; attamen ad animos hominum sibi et causae suae conciliandos accommodatione ad tenuiores vel falsas Judaeorum ac gentilium opiniones eis non fuit opus; nam hunc in finem longe efficaciori medio erant instructi, nimirum extraordinariis Spiritus s. donis, quibus, cum eadem etiam fidelibus conferrent *), utique attentionem sibi et doctrinae suae excitarunt, se legatos esse divinos demonstrarunt, et vel aliquo veri honestique sensu praeditis, quibus datum erat a Patre luminum, de veritate ac divinitate doctrinae suae persuaserunt.

§. 127.

Continuatio.

Ad 2. respondemus, fundamento carere opinionem de testimoniis factae hujus accommodationis positive dogmaticae; etenim

a) I. Cor. 3, 2. sententia: „Lac vobis potum dedi, non escam," nequaquam denotat: Doctrinas imperfectiores tradidi vobis, non vero perfectas, uti contextus et occasio sermonis docent; nam Apostolus contra adversarios suos semet defensurus rationem reddit, cur inter Corinthios prima vice versatus non statim subtiliores, intellectu difficiliores tradiderit doctrinas, quia nimirum tales intelligendo nondum erant pares. Cum autem Corinthios recens conversos carnales, i. e. sensu religioso perfectiori nondum praeditos, et parvulos in Christo dixisset, nunc metaphorae inhaerens prima religionis christianae rudimenta intellectu faciliora dicit *lac*, eisque opponit *escam*, i. e. doctrinas subtiliores, provectioribus tantum tradendas **). Ita etiam

b) Hebr. 5, 12. lac minime denotat tenuiores et imperfectas doctrinas, nam 6, 1. 2. Apostolus ipse innuit, quas intelligat, nimirum de poenitentia, de fide in Deum, de baptismo et manuum impositione, de resurrectione mortuorum et judicio futuro, quae sunt principales religionis christianae veritates; vocantur autem *lac* eâdem ex causa, uti in loco superius citato.

c) Verba I. Cor. 9, 20. „Infirmis infirmus factus sum" seorsim considerata admittunt quidem sensum: Me adtemperavi ad tenuiores opiniones eorum, qui in cognitione sua nondum satis maturi erant; ast etiam de accommodatione paedagogica vel morali intelligi possunt. De quanam autem accommodationis specie revera intelligenda sint, luce clarius patet, si contextus totius capitis noni et praecedentis respiciatur. Apostolus nimirum lectores monet, in omni agendi ratione etiam respiciendam esse infirmiorem aliorum conscientiam, et abstinendum vel a licitis, quamvis hoc incommodi aliquid paret, si infirmioribus certa actione scandali periculum adferretur; dein se

*) Cfr. Mc. 16, 17. Act. c. 2. c. 10. al. I. Cor. c. 12-14. et Englmann: Von den Charismen.

**) Cfr. c. 2. et 3, 6. 10. 11.

ipsum suamque agendi rationem proponens docet, se abstinuisse inter gentiles ab usu juris victum ab eis petendi, inter Judaeos vero ea omisisse, quae hosce offendissent, etsi ea facere licuisset. Vi contextus ergo de morali accommodatione verba Apostoli intelligenda sunt, idque eo magis, cum mox addat, se haec incommoda eo consilio sustinuisse, ut omnes lucrifaceret; se omnibus omnia factum esse, ut omnes salvos faceret. Quo pacto vero dicere potuisset, se Christo Judaeos et ethnicos lucrifecisse et saluti eorum prospexisse, si accommodatione positive dogmatica illorum errores approbasset? — Eodem modo

Ad 3. exempla accommodationis positive dogmaticae in ss. N. T. libris nullibi inveniuntur. Dum enim

a) Christus Mt. 9, 2. paralytico dicit: „Remissa sunt tibi peccata tua," falsae Judaeorum opinioni non necessario sese accommodavit ac docuit, quodvis malum physicum esse sequelam peccati cujusdam personalis; sed etiam in homine illo morbum peccatorum revera fuisse sequelam, innuere potuit. Alterum vero, non primum edicere voluisse Christum inde probatur, quod unicâ solum vice aliâ similia verba adhibet, Joann. 5, 14., alias autem, ubi aegrotos innumeros sanat, hac aut simili non utitur formula, imo insuper Joann. 9, 3. erroneam illam opinionem a discipulis prolatam aperte impugnat; quare ipse eam professus dici nequit. Cfr. etiam Luc. 13, 1—3. Similiter

b) verba Mt. 11, 14.: εἰ θέλετε δέξασθαι non exhibent exemplum accommodationis positivae dogmaticae; etenim verum non est, omni ex parte falsam fuisse Judaeorum sententiam de Eliae proditu ante Messiae adventum; nam Malachias 4, 5. 6. de Messia ejusque praecursore loquens hunc Eliae nomine insignivit; in eo tamen errarunt Judaei, quod illum ipsum Eliam prophetam, qui jam quondam his in terris vixerat, non vero alium ab Eliae persona diversum, virtute tamen et spiritu ei simillimum (Luc. 1, 17.) Messiae praecursorem fore, opinati sunt; praeterea fallebantur eo, quod hunc Eliam, Messiae praecursorem, non spiritualem solum, sed et politicum futurum esse reparatorem crediderunt (coll. Mr. 9, 10—12.). Si igitur verba Christi: εἰ θέλετε δέξασθαι, prout adversarii volunt, hac ratione intelligerentur: „Si ita vobis placet accipere": sequeretur potius, Christum contra prophetae vaticinium permisisse auditorum arbitrio credere vel non credere, Eliam venturum esse, quam ab eo falsam Judaeorum opinionem esse adprobatam. Sed ne hoc quidem verbis Christi inest, si, prout usus loquendi admittit, orationis vero contextus et loquentis consilium postulat, hoc modo exponuntur: Si missis praejudiciis vestris de Eliae persona ac munere saniora admittere ac discere non recusatis, scitote, hunc ipsum Joannem et non alium esse Eliam, quem proditurum recte creditis. Verba Christi hac ratione accepta tantum abest, ut accommodationis positive dogmaticae exemplum exhibeant, ut potius doceant, Jesum, quod in sententia Judaeorum de Eliae adventu verum erat, confirmasse, quod autem de ejus persona ac munere erat erroneum, correxisse. Denique dum

c) s. Paulus Act. 16, 3. Timotheum propter Judaeos circumcidisse legitur, ipsa res docet, non de accommodatione positive dogmatica, sed de morali tantum cogitari posse, qua Apostolus opinionem Judaeorum et Judaeo-Christianorum de perpetuo legis ceremonialis valore confirmasse dici nequit, cum alias repetitis vicibus et clare doceat, circumcisionem et generatim legis mosaicae observationem Christianis minime necessariam esse, et contrarium docentibus constanter et ita adversetur, ut eis vel salutem per Christum obtinendam deneget. Cfr. Gal. 5, 2—4.

Quaecunque praeterea s. Scripturae loca vel ceu exempla, vel qua testimonia accommodationis factae promuntur, ita comparata sunt, ut partim solum accommodationis aut paedagogicae, aut moralis, aut ad summum negative dogmaticae vestigia prae se ferant; partim sententias judaicas exhibeant, quae absque fundamento tenuiores aut falsae vocantur, v. g. dum Christus Jo. 8, 44. diabolum ab initio homicidam fuisse dicit; dum Dominus ipse et ejus Apostoli s. Scripturam inspiratam esse, vaticinia in Messiam ejusque institutum directa et indirecta continere docent, et similia. — ***Omnibus hisce perpensis in aprico est, systema accommodationis positive dogmaticae esse falsum, impium, et omnem revelatam religionem evertens.***

§. 128.

3. Argumentum.

Ut revelatio in ss. libris deposita subsistat et universalis utilitatis esse possit, supremus quidam judex adesse debet, qui, quotiescunque interpretatio horum librorum divergit, certo doceat, quae tenenda, quae vero rejicienda sint, seu praeter interpretes doctrinales interpres authenticus adsit, necesse est. Porro interpres hic authenticus omnibus aditu facilis esse debet, ut immediate ab eo discere possint, nec alienae auctoritati obsequi teneantur. Quemadmodum autem civilis legum codicis interpretes doctrinales sunt jurisconsulti, interpres vero authenticus ipse legislator: ita et s. Scripturae, quae legum divinarum revelationem continet, interpretes doctrinales sunt eruditi theologi, interpres vero authenticus ipse ejus auctor, ergo proprie Deus. Cum autem Deum immediate adire nequeant homines, quotiescunque interpretes doctrinales in determinando s. Scripturae sensu in varia abeunt: sequitur, alium authenticum adesse debere interpretem a Deo ipso institutum, quo omnes uti possint. Quis jam talis haberi poterit, nisi ratio pura ejusque principia practica, cum ratio sit praestantissimum Dei donum mortalibus concessum, quo homo imaginem rationis infinitae prae se fert, cumque rationis usus unicuique sit concessus?

Resp. Praeter interpretes s. Scripturae doctrinales necessarium esse authenticum, quem in locis gravioribus iisque difficilioribus qua supremum tribunal adeamus, dubium esse nequit; quominus autem practica rationis purae principia hunc authenticum interpretem habeamus, gravissima rationum momenta prohibent; etenim

1. s. Scriptura qua religionis revelatae fons non solum praecepta moralia, sed etiam doctrinas theoreticas et varias historias continet, quae eo in nexu positae sunt cum doctrina morali, ut eam partim illustrent, partim fundamenta ac motiva ejus suppeditent. Porro inter doctrinas theoreticas revelatas etiam tales esse debent, quae rationi humanae imperviae sunt (mysteria *), *quas tamen cum practica revelationis parte intimo in nexu positas esse, nemo peritus negabit. Unde manifestum est, etiam de sensu istarum partium* (theoreticarum et historicarum), *si eas ex hac solum relatione spectemus, certitudinem praesto esse debere, ne pars practica illis superstructa periclitetur, aut motivis efficacissimis destituatur. Theoreticae jam vero doctrinae, uti et facta eoque magis mysteria extra sphaeram practicorum rationis purae principiorum sita sunt; partes itaque s. Scripturae talia continentes interprete authentico prorsus destituerentur, si ratio practica interpres authentica haberetur.*

2. *Rationis purae principia practica talis essent interpres, qui ipsis illis careret dotibus, quas moralis interpretationis amici in authentico ss. literarum interprete necessarias esse recte docent; nam interpres hic non esset facilis aditu, neque autonomicae in quovis dignitatis et indubiae auctoritatis, neque a Deo ipso institutus. Non esset*

a) facilis aditu; etenim principia practica rationis purae paucis tantum, et quidem nonnisi cultioribus cognita sunt, ita ut usum eorum facere valeant; incultis itaque interpres iste authenticus peregre degeret;

b) neque autonomicae dignitatis; si enim non est facilis aditu, longe maxima hominum pars debitum et optatum s. Scripturae usum facere non posset, vel, si facere tamen vellet, ab aliis cultioribus discere deberet, quaenam sint principia ista, et hac in re utique ab aliorum auctoritate penderet, quia homo incultus aut debilior animo, et insuper curis negotiisque vitae quotidianae multum occupatus impar est examini instituendo, an revera sit practicum rationis purae principium, quod hoc nomine eidem commendatur;

c) neque indubiae auctoritatis; ipsi namque eruditi circa practica rationis purae principia determinanda in diversa abeunt; quantis itaque dubiis longe maxima hominum pars agitaretur, si quaeritur, ubinam principia illa inveniantur, quum eruditorum quisque argumentatione nonnisi subtiliori, inculto minime clarâ, causam suam et opinionem propugnet! Denique

d) non a Deo ipso institutus; teste enim ipsa s. Scriptura ecclesiae suae Christus doctrinam suam tradidit custodiendam, et proinde etiam ss. literarum authentice interpretandarum negotium

*) „On peut dire que la religion n'aurait pas le charactère de l'infini d'où elle vient, si elle ne surmontait pas notre courte et faible intelligence." Fénelon tom. I. page 168. in opp. ejus editione majori Parisiis apud Firmin. Didot frères. Cfr. v. Drey's Apologetik tom. I. pag. 296. seqq.

officiumque, nullibi autem rationi humanae, cui potius sibi relictae, aut sibimet nimium confidenti multum diffidere edocemur locis, uti Mt. 11, 25. I. Cor. 2, 14. 3, 18—21. et similibus.

Ea sola est ratio pura, rationis supremae imago, quae superbiae et arrogantiae expers revelationis divinae audit vocem in ecclesia catholica clare resonantem.

IV. De interpretatione mythica.

§. 129.

Quid per mythos intelligatur?

Vox μῦθος antiquis denotabat vel fabulam, vel narrationem in substantia quidem veram, in adjunctis tamen propriâ referentis phantasiâ vario modo exornatam. — Si haec ad s. Scripturam applicentur, quatenus per mythum intelligitur fabula, quales in V. T. paucae occurrunt, in ejus interpretatione observandae sunt regulae, quas §. 91. exposuimus; quatenus vero mythus significat narrationem in essentialibus quidem veram, in adjunctis tamen proprio referentis marte exornatam, qualis in quibusdam mediatis repraesentationibus admitti potest: ad sensum mediatum cognoscendum verae historiae instar tractari debet; inquirere enim, utrum ejusmodi narratio vera sit, et in quantum veritate nitatur, ad interpretis provinciam non pertinet, neque finem ejus promovet.

Ast recentiores, licet non omnes conveniant, plerumque tamen per mythum intelligunt allegoricam, historiae formam prae se ferentem aut ideae alicujus repraesentationem, aut facti cujusdam explicationem; priori in casu mythum philosophicum, in altero historicum dicunt.

Eruditorum jam, a sacris catholicis alienorum, ideoque firmis principiis destitutorum et continuo huc illucque vacillantium plures primum quae in V. T. extraordinaria leguntur, mythos declararunt, ita ut v. g. historiam seductionis Evae per serpentem diabolum, et Adami per uxorem periculum, mali moralis, et narrationem de turri babylonica tentamen linguarum diversarum originem explicandi, habendam esse censerent. Quominus vero extraordinarios eventus N. T. ita tractarent, impediebantur partim veneratione, qua in auctores eorum sacros adhuc ferebantur, partim aliis interpretationis rationalisticae modis, utpote quae incredulis effugia, nova dicendi libidini occasionem et nomen auctoribus parabat; ast marcescentibus et rationalisticae interpretationis laureis pseudocriticis biblicis mythi amplum offerebant exercitationis campum. Caute tamen procedere ab initio ipsis visum est, ita ut nonnisi singulas Evangeliorum partes mythice tractare auderent. Sic v. g. tentationem Christi in deserto per diabolum Mt. 4, 1. seqq. descriptam alii declararunt mythum historicum ab illis inventum, qui explicare vellent, quomodo factum sit, ut Jesus per 40 dies in deserto commoraretur, antequam doctoris publici munus in se susciperet, quidque ibi egerit;

alii vero mythum philosophicum ab illis excogitatum, qui in V. T. libris invenerant, Moysen et Eliam 40 dies jejunasse, indeque concluserunt, Jesum quoque, ut ideae Messiae responderet, per 40 saltem dies jejunare et diabolum vincere debuisse. Simili modo tractarunt ea, quae de Joannis B. et Christi nativitate, de Jesu baptismo, transfiguratione, resurrectione et ascensione aliisque similibus leguntur.

Recentissima aetate Dr. Strauss in opere suo: „Das Leben Jesu" totam historiam evangelicam in mythum convertere adnisus est, et quod adhuc deesse videbatur, Bruno Bauer, Feyerbach Weisse et alii supplere sategerunt. Dr. Strauss nimirum sibi et aliis persuadere conatur, Jesum aliorum hominum modo natum, Nazarethae educatum, a Joanne baptizatum discipulos collegisse, Palaestinae regiones docentem peragrasse, placitis pharisaicis ubique semet opposuisse et ad regnum messianum invitasse, denique vero odio et invidiae partis pharisaicae succumbentem in cruce mortuum esse; quae vero insuper de eo extraordinaria in Evangeliis narrantur, nihil esse, nisi additamenta asseclarum ejus, involucra mythica ex idea Messiae orta. Statuit nempe, ut quaelibet gens, quaevis religio, ita et populum et religionem Christianorum suos habere mythos, qui sequenti modo orti sint: Primi Christiani juxta typum V. T. et theologiae jndaicae — ideas messianas doctrina Jesu excitatas sibi efformarunt, et, quia homines erant rudiores, quo facilius eas exprimerent, in Jesum transtulerunt, ita ut successive ejus enasceretur historia, qualis describitur in quatuor nostris Evangeliis, quae demum medio saeculo II., ergo tempore confecta sint, quo nemo amplius accurate novit, quis et qualis fuerit Jesus, quo ergo narrationibus fictis facile tribuebatur fides, et, quae ab initio non erant, nisi idearum involucra, eventus veri habebantur. Evangelia nostra non esse authentica, sed serius demum confecta, demonstrare adlaborat ex defectu testimoniorum indubiorum e saeculo I. et e priori parte II^di^; ea non continere historiam veram, sed a pluribus, a se invicem independentibus fictam, patere arbitratur ex miraculis narratis, quae naturae vires superantia impossibilia sint, et ex innumeris pugnis Evangelistarum non tantum inter se, sed etiam cum profanorum relationibus fide dignis.

Ipse Strauss mythos N. T. sic quidem definit: „Es ist nichts Anderes nnter ihnen zu verstehen, als geschichtartige Einkleidung urchristlicher Ideen, gebildet in der absichtlos dichtenden Sage" *); ast per decursum operis eis etiam fabulas, narratiunculas (Anecdoten) et historias ex incerta fama ortas, aut juxta ideas V. T. confictas adnumerat, sicque sibi non constans est. Interpretatio itaque mythica D^ri^ Strauss est illa s. Scripturam tractandi ratio, qua ex involucris historiae formam referentibus, atque ex incerta fama et fictione ortis ideae nudae et facta ordinaria enucleantur. — Verum

*) I. Thl. S. 56. 1. Aufl.

Mythi in s. Scriptura admitti nequeunt.

§. 130.

A) **Relate ad N. T.**

Ut I. ad Straussii opus respiciamus, integrum ejus systema mythicum

1. ab hypothesibus progreditur, quae omni fundamento carent, et in disquisitionibus historicis nullo modo admitti possunt. Sic Strauss supponit:

a) quidcunque non secundum causas naturales fiat, historicum non esse, et in specie Christum talem, qualem Evangelia describunt, existere non potuisse, quia idea plenitudinem suam nunquam in unum individuum effundat, sed inter plures distribuat. — *Ast viri sobrii est in rebus historicis inquirere, utrum aliquid revera evenerit et fuerit, et si hoc certo constat, sedulo examinare, num naturae viribus effici potuerit, nec ne, et in hoc casu denique causalitatem supernaturalem agnoscere;*

b) Evangelia nostra authentica non esse. — *Verum illa genuina esse, tota antiquitas christiana et omnium saeculorum vox clamitat, ita ut nonnisi artificiis adhibitis, vanis dubiis motis, ineptis suppositionibus propositis, nec non perversâ interpretatione observatâ vanum periculum factum sit, Patrum antiquorum testimonia enervandi;*

c) medium saeculum II. ad recipiendos libros, qui maximam partem fictiones continerent, aptum ac pronum fuisse. — *Attamen, ut historia docet, Apostolorum principes, Petrus et Paulus, usque ad annum 68., et s. Joannes vel usque ad saeculi I. finem testes vitae Jesu Christi vixerunt, ita ut iis superstitibus de universali mythorum receptione sermo esse non posset. Imo ne Apostolis quidem emortuis Christiani sibi relicti, et mythologorum imposturae aut phantasiae exuberanti obnoxii erant; nam Apostoli ubique locorum fidos successores, et doctrinae Christi cum ejus historia intime connexae custodes sibi constituerant, coetibusque ordinatis praeposuerant. Quis jam sibi persuadeat, Christianos his in adjunctis positos medio saeculo II. non amplius scivisse, quis et qualis fuerit Jesus, ita ut libros, qui maxima ex parte mera hominum figmenta continerent, historiae verae instar absque ulla haesitatione et nemine renitente reciperent, atque ab Apostolis aut eorum comitibus profectos crederent? Sane ejusmodi phaenomenon simili historiae exemplo destitueretur;*

d) ut omnes gentes et religiones, ita et gentem et religionem christianam suos habere mythos. — *Sed mythi ibi quidem orti sunt, ubi homines, ut ipse Dr. Strauss, ab unico et vero Deo aberrantes, et suo ipsorum ingenio indulgentes deos deasque sibi confinxerunt; ubi autem illos Dei naturam, voluntatem cultumque divinâ revelatione intercedente edoctos, et hanc revelationem, ne hominum figmentis defoedaretur, magisterio divinitus instituto directoque tradi-*

tam esse, argumentis omni exceptione majoribus demonstrare valemus: ibi de ejusmodi fictionibus nonnisi ille cogitare potest, qui aut crassae ignorantiae tenebris tegitur, aut veritatis luci oculos, quibuscunque motivis ductus, sponte sua occludit. Atqui religionem christianam talem continere revelationem divinam, ejus tum origo, propagatio et conservatio, tum argumentum, tum salutares effectus per tot jam saeculorum decursum abunde contestantur;

e) innumeras pugnas in Evangeliis nostris occurrere. — *Verum enimvero hae, utpote nonnisi in imaginatione Dris Strauss residentes, omnes evanescunt, si, ut decet, sanae hermeneuticae regulae adhibeantur; denique*

f) V. T. libros et theologiam judaicam exhibuisse typum, juxta quem a primis Christianis ideae messianae essent confictae, et in historicam Evangeliorum nostrorum formam redactae. — *Ast testantibus scriptoribus tum sacris, tum profanis imago, qua Judaei, inniui V. T. effatis perperam intellectis, Messiam sibi repraesentarunt, erat illa regis terreni potentissimi, nunquam morituri, qui vastum et gloriosum regnum terrestre fundaturus, et omnibus ethnicis devictis Judaeis mundi imperium esset collaturus. Christum seu Messiam et regem terrenum Judaeis in genere fuisse synonyma, edocemur:*

α) Ex ipsis Evangeliis, et quidem ex adjuratione Kaiphae Mt. 26, 63. et ex quaestione synedrorum Luc. 22, 66. collata cum accusatione eorum coram Pilato Jo. 19, 12.; ex interrogatione hujus, num Jesus sit rex? Jo. 18, 33. 37.; ex ludibrio militum Jesum Judaeorum regem salutantium; ex titulo crucis, qui Christum Judaeorum regem designavit.

β) E scriptoribus profanis. Sic Jos. Flavius *) ait: „Sed quod maxime eos (Judaeos) ad bellum incitaverat, vaticinium erat ambiguum in ss. literis repertum, illis circiter temporibus quemdam ex ipsorum regione orbis terrarum imperio potiturum.“ *Suetonius* **): „Percrebuerat, inquit, Oriente toto vetus et constans opinio, esse in fatis, ut eo tempore Judaea profecti rerum potirentur.“ *Tacitus* ***) scribit: „Pluribus persuasio inerat, antiquis sacerdotum literis contineri, eo ipso tempore fore, ut valesceret Oriens profectique Judaea rerum potirentur.“

γ) Ante effusionem Spiritus s. non aliam fuisse discipulis Jesu de Messia ideam, uti ex communi cogitandi ratione popularium ipsorum colligere liceret, ita ex eorum agendi ratione abunde patet; nam filii Zebedaei ad dexteram et sinistram Jesu in regno ejus sedere cupiunt (Mr. 10, 35.); duo discipuli Emauntem proficiscentes se spem fovisse edicunt, fore, ut Jesus, nunc tertio die jam mortuus, Israël liberaret (Luc. 24, 21.), et Apostoli a Jesu in montem Oliveti educti, ut ascensionis ejus testes essent, interrogare non dubitant: „Domine, num hoc tempore restitues regnum Israël?“ (Act. 1, 6.) — *Praeterea Straussii systema mythicum*

---

*) Bell. jud. lib. VI. c. 5. n. 4.
**) In Vesp. c. 4.
***) Historiarum lib. V. n. 13.

2. *in impedimentum invincibile offendit, si quaeritur, quomodo orta sit fides et ecclesia christiana una, sancta, catholica et apostolica, hujusque organismus sapientissime dispositus, et in specie regiminis forma omnia instituta humana hujus generis longe superans? Factum hoc ante omnium oculos positum neque ullo artificio removeri, neque statuendo explicari potest, discipulos Jesu hujus ideas uberius excultas in magistrum suum transtulisse; nam quomodo, quaeso, primi Christi asseclae, variis praejudiciis capti, et, ut ipse Strauss concedit, homines rudiores, id effecissent, ad quod summa cultura mentis humanae necessaria fuisset, imo quod efficiendo ne sapientissimi quidem antiquitatis philosophi aut legislatores pares erant? Unde praeterea tantus amor Christi in primis ejus asseclis, tantus eorum in profitenda et propaganda fide sua fervor cum summa modestia et charitate conjunctus? — Profecto, si Jesus non alius fuisset, ac qualem eum Strauss sibi fingit; si non alia peregisset, quam quae ei tribuere placet: Christi in crucem acti discipuli, utpote in exspectatione sua decepti, causam ejus in perpetuum derelinquentes dolorem suum in remoto quodam terrae angulo abscondidissent *). Cum autem discipuli magistro suo, utut ignominiosissimo crucis supplicio affecto, constanter adhaererent, omnem suam spem in eo collocare perseverarent, et non timentes adversariorum odia intrepide praedicarent Christum, Judaeis quidem scandalum, gentilibus autem stultitiam **); imo ab omni fanatismo alieni in confirmationem praedicationis suae sanguinem suum funderent ***): in aprico est, Christum talem esse et talia perficere debuisse opera, qualia in Evangeliis describuntur †).*

Hisce perpensis patet, Straussii systema mythicum fictione niti, et omnia ejus fulcra non esse, nisi imaginaria, quae historiae halitu evertuntur, atque ecclesiae existentis mole conteruntur, et laetam fovemus spem, fore, ut non obstantibus Antichristorum nostri temporis impiis conatibus sacra Evangelia usque ad consummationem saeculi omnibus Christianis vere talibus verae historiae ac fidei fons esse perseverent, dum illa vana commenta aut in pela-

---

*) Cfr. Euseb demonstratio evang. III. nro 3. 5. 6.

**) I. Cor. 1, 23.

***) Cfr. Euseb. Demonstratio evang. III. 6.

†) Memoratu dignum est testimonium, quod de Jesu Jos. Flav. edit Antiqq. lib. XVIII. c. 3. n. 3.: „Eo etiam tempore fuit Jesus, vir sapiens, si tamen virum eum appellare fas est; fuit enim mirabilium operum effector, magister hominum, qui verum cum voluptate accipiunt, multosque Judaeos, multos item gentiles ad se pellexit. Hic erat Christus. Quem cum Pilatus, ab hominum nostrorum primis delatum, crucis supplicio addixisset, eum tamen amare non desierunt, qui primum amaverant. Apparuit enim eis tertio die redivivus, divinis vatibus et haec et mille alia de eo miracula effatis. Atque ab eo denominata Christianorum natio durat usque ad hunc diem.“ — Hoc testimonium, etiamsi contineret partes a Christianis additas, tamen in genere criticis authenticum habetur, et edicit, Jesum non fuisse vulgarem doctorem, sed mirabilium patratorem.

gum oblivionis jam diu demersa fuerint, aut nonnisi ceu tristia et abominanda aberrationis humanae monumenta superstitia erunt *).

Verum haud scio, an meliorem partem sibi elegerint

II. illi, qui Evangeliis nostris in genere quidem veram historiam subesse, in his illisve autem partibus elementa mythica admixta statuunt; nam et hoc modo opus divinum ut mere humanum respicitur ac tractatur, et omnis certitudo evertitur, cum inter mythica et historica terminos figere a cujuslibet arbitrio ac beneplacito dependeat. Etiam hoc respectu valet, quod s. Cyprianus dicit: „Non potest Evangelium ex parte consistere, et in parte nutare. Aut utrumque oportet, ut valeat, aut utrumque vim veritatis amittat" (Serm. de lapsis). *Contra hosce jam mythorum patronos statuimus: Quodsi Evangelia nostra, ut de inspiratione nihil dicamus, authentica sunt, mythorum nihil continere possunt, et quidem*

1. ob characterem Evangelistarum; etenim in referendo ita versantur, ut a) non tantum nullum praebeant nutum, e quo colligi posset, narrationes certas mythos esse habendas; sed potius b) ad eas ceu ad fundamentum veritatis doctrinae christianae provocent, ut Jo. 1, 32—34. II. Petr. 1, 16. seqq.; *imo c) se nonnisi ea referre doceant, quae ipsi certissime cognita habuerunt,* ut Luc. 1, 1—4. Jo. 19, 35. 21, 24. I. 1, 1—3., *et ad quae rite cognoscenda non tantum opportunissima occasione, sed et necessariis dotibus gaudebant. Viris vero ita sese gerentibus fictiones quascunque adscribere idem est, ac eos impiissimae fraudis, nequissimae imposturae arguere, et cum haec a charactere eorum aliunde cognito longe aliena sit, summa injuria afficere.*

2. *Ob argumentum Evangeliorum; nam Evangelistae maximam partem res referunt, non in occulto quodam terrae angulo, coram uno alterove spectatore, sed publice, plerumque coram magna hominum multitudine peractas, et quam plurimis adjunctis historicis vestitas, et ex iis, quorum nonnisi singuli testes erant oculati, pauca tantum, et quidem ea narrant, quae vel ad historiae integritatem, vel ob peculiarem finem necessaria videbantur. Quemadmodum jam hac re, se severius examen non vereri, luculenter mani-*

---

*) Cfr. Bericht über die kritische Bearbeitung des Lebens Jesu v. Dr. Strauss, erstattet von Dr. Mack in der Tübinger Quartalschrift 1837. I—IV. Heft. Das Leben Jesu wissenschaftlich bearbeitet von Dr. J. Kuhn. I. Bd. Mainz 1838. Gutachten über das Leben Jesu von Dr. Strauss, abgegeben von Dr. Hug in der Freiburger Zeitschrift für Theologie, 1839. I. u. folg. Heften. Haec dissertatio uti illa Dris Mack etiam separatim edita est.

Ex parte Acatholicorum: Die Glaubwürdigkeit der evangelischen Geschichte, zugleich eine Kritik des Lebens Jesu von Strauss, für theologische und nicht theologische Leser dargestellt von Dr. A. Tholuck. Hamburg 1837. Das Leben Jesu Christi in seinem geschichtlichen Zusammenhange und seiner geschichtlichen Entwicklung dargestellt von Dr. August Neander. IV. und verbesserte Auflage. Hamburg 1845. Ullmann: Historisch oder mythisch? Beiträge zur gegenwärtigen Lebensfrage der Theologie. Hamburg 1838. C. L. W. Grimm: Die Glaubwürdigkeit der evangelischen Geschichte mit Bezug auf D. F. Strauss und Bruno Bauer und die durch dieselben angeregten Streitigkeiten. Jena 1845.

festarunt: ita vice versa, si mythorum confingendorum studiosi fuissent, secus egissent, et hunc in finem infantia ac juventus Jesu uberem eis praebuisset materiam.

3. Ob temporis adjuncta; mythi namque confingi debuissent tempore, quo vel Evangelium viva voce praedicabatur, vel Evangelia nostra conscribebantur. Ast primo in casu adversarii, qui et ipsi factorum Christi testes fuerant, Apostolos mendacii arguissent ac fraudis convicissent, quod tamen factum esse, non tantum nullibi legimus, sed potius multos vel ex ipso sacerdotum ordine ad sacra christiana transiisse, Act. 6, 7. edocemur. In altero casu ecclesiae christianae omnes ejusmodi opera, quorum argumentum a praedicatione apostolica fuisset alienum, nunquam recepissent, uti docet rejectio scriptorum apocryphorum *).

Ast non tantum a N. T., sed, ut docebimus

§. 131.

B) Etiam a V. T. libris sacris omnes mythi arcendi sunt.

Hoc firmiter tenemus

1. Ob auctoritatem Jesu et Apostolorum, utpote qui coll. §. 11. V. T. libros non humanos, sed divinos, eorumque argumentum non fictum, sed verum habent, et ab omnibus haberi volunt.

2. Quia rationes, quas mythorum patroni afferunt, non solidis fundamentis, sed praejudiciis nixae inveniuntur. Suum vero in finem provocant:

a) ad analogiam omnium populorum, qui Varrone judice habebant aetatem obscuritatis et ignorantiae, dein aetatem mythicam, qua decurrente narrationibus veris fictiones admixtae sunt, demum historicam, et ab hac conditione communi ne hebraicam quidem gentem exemtam fuisse statuunt;

b) ad facta prodigiosa, quae in libris V. T. narrantur, et quae prodere dicunt vulgi ignorantiam, eventus naturales causis supernaturalibus adscribentis. Verum respondemus:

Ad a. Communem sortem omnium gentium hebraicum quoque populum hac in re expertum esse, negamus; nam longe aliud est argumentum librorum, qui reliquarum nationum conditionem et fidem contestantur, ac quale in sacris Hebraeorum libris traditur, sive res divinas, sive historicas, sive physicas spectes. Etenim

α) respectu rerum divinarum omnes gentilium narrationes antiquissimae a vesano polytheismo ordiuntur, qui uberrimus mythorum (fictionum et fabularum) fons est; deos deasque crassum in modum sensuales repraesentant; eos sacrificiorum oblatorum odore delectari sibi imaginantur; eorum connubia et adulteria tam inter se, quam cum hominibus referunt; dissensiones, rixas et bella exponunt, qui-

---

*) Cfr. Dr. Heidenreich: Uiber die Unzulässigkeit der mythischen Auffassung des Historischen im neuen Testamente und Christenthum. 3 Hefte. Herborn 1833—35.

bus Olympi incolae inter se confligentes jam hos, jam illos sodalium suorum devictos et de coelo dejectos sorti immortalibus indignae addixissent. — Contra vero libri sacri V. T., licet antiquitate omnes alios longe superent, a monotheismo progrediuntur; Deum unum spiritualem, sanctissimum et talem repraesentant, qui fide ac probitate colitur, et sacrificiis externis eatenus tantum delectatur, quatenus ad pietatis internae manifestationem offeruntur.

β) Ratione rerum historicarum: libri profani absurdissimas cosmo- et geogonias somniant; Pano, Minervae, Cereri, Apollini, Baccho aliisque altioris originis entibus intervenientibus rerum novarum et artium inventionem adscribunt; civitatum, heroum, principum, imo cujusvis fere familiae nobilioris origines a deorum quodam derivant. — Ast in primis statim lineis V. T. mundi creatio simpliciter sic describitur: „In principio creavit Deus coelum et terram,“ et omnium rerum origo modo, qui rationi sanae solus probatur, a voluntate Jehovae repetitur omnipotentis, sapientissimi, benignissimi atque aeterni, quo imperante: „Fiat lux“ facta est lux, quo volente primus homo non genitus est, sed e limo terrae formatus et animatus per spiraculum vitae, quod inspiravit Deus. Uti Adam, ita et Abraham et reliqui patriarchae, Moyses, reges et prophetae, quidcunque Deo opitulante effecerint magni et admiratione digni, non alii fuisse sistuntur, quam homines, non ab ente superiori, sed a mortalibus geniti. Eodem modo rerum novarum et artium inventio simpliciter describiter, et causis naturalibus tribuitur. Sic Abel primus fuisse narratur ovium pastor, Cain primus, qui agros coluit, Mimrod fortissimus venator, Jubal pater canentium cithara et organo, Tubalkain malleator et faber in cuncto opere aeris et ferri; Noë vir agricola, qui coepit terram exercere et vineam plantare.

γ) Relate ad res physicas: aliarum gentium credulitas superstitiosa solem et lunam, terram et mare, flumina et fontes, colles et valles, sylvas et prata, arbores et alias plantas a deorum quodam habitatas et animatas esse fingit; astra numina habet ac colit, et vel homines defunctos inter sidera collocat, imo constellationum studio atque interpretationi operam navare verae sapientiae esse putat. — Verum libri sacri V. T. a tali vesania omnino alieni omnia in gloriam Dei et ad hominum salutem creata esse docent, et praecipue astrologiam ac siderum cultum ut omnes alias idololatriae species impugnant. Sic v. g. Jeremias coaevos suos monet 10, 2., ne coeli signa expavescant, quae terrorem incutiant ethnicis; in libro Job de rebus physicis et in specie de astris tam sapienter disseritur, ut hodie etiam omnium physicorum et astronomorum vere talium ferat punctum.

Ad b. Miracula biblica toto coelo differunt a prodigiis librorum ethnicorum, sive eorum indolem, sive tempus et finem ipsorum patratorum, sive fidem iis habitam consideremus. Nam

α) quoad indolem: omnia miracula biblica Deo digna sunt, ejus naturae spirituali conveniunt, ejusque sanctitati respondent, dum prodigia gentilium absurdissimas metamorphoses involvunt, quibus dii in pecora, homines in aves, lupos et flores, lapides in homines,

dentes in exercitus etc. mutantur, et ipsi Jovi tonanti, optimo maximo, deorum hominumque patri, coeli et terrae domino, qui tamen fato exorari nescio subjectus repraesentatur; ipsi Jovi, inquam, in genere talia adtribuuntur, quae facere vir probus erubesceret, imo quae absque pudoris laesione legi vix possunt.

β) Respectu temporis: libri sacri V. T. quo sunt antiquiores, eo pauciora continent miracula simpliciter breviterque descripta, quae, si ss. auctoribus mythicum fuisset studium, si genuinis spuria, veris ficta, certis fabulosa admiscere voluissent, in opus immensae molis excrescere potuissent; serioribus autem temporibus plura miracula leguntur patrata, quia eorum efficiendorum necessitas major et repetita aderat. Contra autem mythica gentium figmenta, quanto sunt vetustiora, tanto frequentiora et magis paradoxa reperiuntur, quoniam progrediente populornm cultura historicis ficta rarius, et veris saltem verisimilia frequentius adjiciebantur.

γ) Ratione finis: miracula biblica habebant scopum Deo dignum, conservationem scilicet monotheismi et cultus veri Dei in populo obstinaci, ad idololatriam prono et cincto gentibus, quae commutaverunt veritatem Dei in mendacium, et coluerunt et servierunt creaturae potius, quam creatori (Rom. 1, 25.); imo veri Dei cognitio ac veneratio in populo judaico absque eventibus extraordinariis. omnipotentia divina causatis, ne comprehendi quidem et explicari posset. Ast prodigia gentilium edita narrantur, ut dii deaeque cupiditatibus suis nefandis satisfacerent, libidini suae obscoenae, iracundiae immani et zelotypiae turpi indulgerent.

δ) Respectu fidei tributae: miraculis V. T. fides eo firmior est habita, quo magis populus judaicus in cultura sua omnimoda erat progressus; hinc iis in favorem gentis suae patratis sapientissimi quique, ut Philo Alex., gloriari non erubescebant; ethnicos vero, sensu naturali ductos, portentorum, quae a diis eorum edita in mythologiis praetendebantur, pudere coepit, quam primum saniori judicio locus est factus, ita ut teste Cicerone non deessent philosophi, qui ea ope interpretationis allegorícae, licet historia repugnante, symbolicas tantum aliarum veritatum repraesentationes haberent tractarentque. Quantum ergo discrimen ethnicorum portenta inter et ss. V. T. librorum miracula!

Hinc in V. T. quoque mythos relinquimus eis, qui mundum sibi confingere malunt, quam a Deo creatum, dispositum ac rectum agnoscere *).

---

*) Cfr. Hofmann: Hermeneutica bibl. cath. pag. 236. seqq. Bleek in: Programm zur Geburtsfeier des Königs. Bonn 1836.



Addenda.

§. 2. pag. 4 ad notam addo: Peregrin's Gastmahl, von Dr. Anton Günther, pag. 259. seqq.

Ad §. 54. pag. 92. 93. recte observat cl. Dom. Loehnis, theologiae doctor et professor Giessae optime merens, in recensione hermenéuticae hujus prima vice editae, nescio, majori num diligentia, an benevolentia ad id elucubrata, ut cuidam ephemeridum theologicarum insereretur, quod tamen ob varia temporum adjuncta factum non est: „Zum Schluss (der Prolegomena) legt nun der Verfasser noch ein Verzeichniss von Hilfsmitteln vor, worin die besten Grammatiken und Lexica für griechische, hebräische, chaldäische, rabbinische, syrische und arabische Sprache empfohlen werden. Dass ein solches Verzeichniss noch vermehrt, und eine Reihe noch anderer Werke aufgeführt werden könne, lässt sich bei der grossen Auswahl, die wir in unsern Tagen haben, wohl bemessen. So könnte bei den syrischen Hilfsmitteln statt Castelli Heptaglotton fol. empfohlen werden: Castelli lexicon syriacum, welches der Ritter Michaëlis aus dem grossen Werke mit reichen Zusätzen (Göttingen 1788. 4.) hat abdrucken lassen. Letzteres ist leichter zu haben, und bequemer zu gebrauchen. Dazu noch Supplementa ad Lexicon Syriacum Castellianum, scripsit Carolus Magnus Agrell, edidit H. Gerhard. Lindgreen. Fascic. I. Upsal. 1839. Diese Nachträge sind gesammelt aus Assemani's Bibliothek, aus Brun's Barhebraeus, aus Oberleitner's, Tychsen's, Hahn's, Knös Chrestomathien. — Bernstein zeigt in seinem syrischen Lexicon (Lips. 1836.) zu der auch den Theologen zu empfehlenden syrischen Chrestomathie von Kirsch, worin diese syrisch-lexicalischen Arbeiten noch um vieles verbessert werden können. — Winer's chaldäische Grammatik 2. Auflage Leipz. 1842 und eben desselben chaldäisches Lesebuch, enthaltend Stellen aus den Targumim des alten Testamentes mit Anmerkungen und Wortregister Leipz. 1826. reichen für den Anfang aus. Oberleitner's arabische Grammatik, Chrestomathie und Glossarium arab. Wien 1822—1824. sind für Theologen sehr brauchbar. — Kosegarten's arabische Chrestomathie und Grangeret de Lagrange poetische Anthologie enthalten zwei mässige Vorübungen zu grössern historischen und poetischen Werken der so reichen arabischen Literatur. — Viele Gelehrte haben, um die talmudische und rabbinische Literatur zu empfehlen und zu erleichtern, grammatische Anleitungen gegeben, wie auch Tractate aus dem Talmud und Probestücke aus rabbinischen Schriften mit lateinischer Uibersetzung vorgelegt. Hadriani Relandi Analecta rabbinica. Trajecti ad Rhenum 1723 (worin Genebrardi, Drusii et Cellarii grammatische Anleitung zum Rabbinischen; Barbolocci Biographien berühmter Rabbinen; David Kimchi's Commentar über einige Psalmen enthalten ist). David Millius hat sehr instructive Catalecta rabbinica herausgegeben Trajecti ad Rhenum 1728. (Darin findet man die 13 Regeln, nach welchen die Rabbinen den Pentateuch erklären; man findet die Formeln und Wendungen, wie im Talmud die Disputation geführt wird; man findet Auszüge aus den Commentarien und Schriften des Rabbi Schelomo ben Melech, R David Kimchi, Abarbanel, Aben Esra, aus Maimonides, aus der Mischna und Gemara u. s. w.) — Hieher gehören Fabers Anmerkungen zur Erler-

nung des Talmudischen und Rabbinischen, Göttingen 1770. 8. — Geiger Lehr- und Lesebuch zur Sprache der Mischna. Breslau 1845. 2 Abtheilungen. — Wagenseil hat den Tractat Sota (von der des Ehebruchs verdächtigen Frau) im Texte der Mischna und Gemara herausgegeben. Altorf 1674. — Edzard gab heraus einen Theil des Tractates: Avoda sara (vom Götzendienste) Hamburg 1705. — Carpzov hat den Tractat Schabbat, (vom Sabbat, dessen Rechten und Gebräuchen), und Erubhin (von den Vermischungen der Speisen, welche am Freitag Abends statt finden, nachdem sie von verschiedenen Entfernungen hergebracht worden sind), welche früher schon von Sebastian Schmid waren bearbeitet worden, mit verschiedenem gelehrten Apparat von Maimonides, Bartenora u. dgl. herausgegeben Lips. 1661. Derselbe Carpzov hat auch das berühmte Werk, zur Belehrung und Widerlegung der Juden, wiederholtermalen herausgegeben, welches bekannt ist unter dem Namen: Raimundi Martini, Ordinis Praedicatorum, Pugio fidei. Lips. 1687. Es enthält lange Stellen aus den verschiedensten jüdischen Schriften im Original mit Uibersetzung und sehr gelehrten Noten von Voisin. Neben diesem Werke verdient Eisenmengers entdecktes Judenthum (Königsberg 1711 2 Theile in 4.) genannt zu werden, welches ebenfalls sehr pikante Stellen im Original und mit deutscher Uibersetzung, aus den seltensten jüdischen Schriften, vorlegt. — Coch gab heraus: Stücke aus den Tractaten Sanhedrin und Maccoth (von Gerichten und Strafen der Hebräer), Amsterdam 1629. — Dachs: den Tractat Succa (vom Lauberhüttenfeste) Traj. ad Rhen. 1726 und viele andere. — Was rabbinische Schriften und Bibelcommentare betrifft, so haben wir von Scherzer und Abicht Selecta rabbino-philologica, worin Stellen aus Jarchi, Abarbanel, Maimonides, Aben-Esra vorkommen, Lips. 1705. — Bekannt sind Wagenseil's Tela ignea Satanae, Altorf 1681. Das Werk enthält Lästerschriften der Juden gegen Christus und das Christenthum. — Der Tractat Pirke Aboth oder Sprüche der Väter, ist mehrmals herausgegeben worden. — Winer chrestomathia talmudica et rabbinica, Lips. 1822. — Beelen hat eine rabbinische Chrestomathie herausgegeben (Lovanii 1841.), worin sehr mannigfaltige und lehrreiche Stücke vorkommen: Sentenzen, Fabeln, Briefe, historische Stücke, grammatische Parthien (R. David Kimchi's Vorrede zu seinem grammatischen Werke; R. Abraham de Balmis vom Gebrauch der Partikel Wav); lexicalische Stücke aus Kimchi, Rabbi Salomo de Urbino, Philippus Aquinas über einzelne Wörter יוֹם, עוֹלָם exegetische Stücke (aus Mechilta, aus Siphra, aus Aben-Esra, Jarchi, R. D. Kimchi, Don Abarbanel, R. Salomo ben Melech, aus Midrasch Rabboth, aus Jalkut Schimoni); Stellen aus jüdischen Philosophen und Theologen, aus verschiedenen talmudischen Tractaten nach der Mischna und Gemara; den Schluss bilden einige poëtische Stellen von Salomo ben Gabirol und Rabbi Jehuda Hachchasid.“ Hisce sequens tractatus eruditus adjungi meretur: Grundzüge und Beiträge zu einem sprachvergleichenden rabbinisch-philosophischen Wörterbuche. Von Prof. Dr. J. Goldenthal (in: Denkschriften der kais. Academie der Wissenschaften. Philosophisch-historische Classe. I. Bd. Wien 1850. Pag. 419 seqq.).

Corrigenda.

Pag. 2. lin. 19. a marg. super. *loco* vacabulorum *lege* vocabulorum
„ 3. „ 7. „ „ infer. „ querentibus *l.* quaerentibus
„ 8. „ 15 „ „ „ „ ocis *l.* locis
„ 17. „ 1. „ „ super. „ utp te *l.* utpote
„ 21. „ 5. „ „ infer. „ tecens *l.* recens
„ 21. „ 4/5. „ „ „ „ ecrypus *l.* ectypus
„ 26. „ 9. „ „ „ „ suspeditari *l.* suppeditari
„ 33. „ 21. „ „ „ „ rpobabantur *l.* probabantur
„ 46. „ 7. „ „ „ „ juxto *l.* justo
„ 47. „ 6. „ „ „ „ on *l.* non
„ 48. „ 17. „ „ super. „ sunti ngenii *l.* sunt ingenii
„ 51. „ 3*) „ „ infer. „ illusratam *l.* illustratam
„ 51. „ 10. „ „ „ „ lit ralis *l.* literalis
„ 54. „ 18. „ „ super. „ acommodationis *l.* accommodationis
„ 57. „ 23. „ „ „ „ indagandam *l.* indagandum
„ 62. „ 14. „ „ „ post vocem disputationibus adde , praedicationibus
„ 82. „ 3. „ „ „ *loco* latnos *l.* latinos
„ 89. „ 4. „ „ „ „ canstructiones *l.* constructiones
„ 89. „ 6. „ „ infer. ***) *loco* Gudianua *l.* Gudianum
„ 89. „ 15. „ „ „ „ referendi *l.* referendae
„ 90. „ 3. „ „ „ *) „ 1855. *l.* 1755.
„ 91. „ 2. „ „ „ ***) *loco* Kopenhagae *l.* Hauniae
„ 99. „ 9. „ „ „ „ membru *l.* membra
„ 101. „ 21. „ „ „ „ vitea *l.* vitae
„ 104. „ 6. „ „ „ „ quat *l.* quod
„ 104. „ 5. „ „ „ „ coinrarietatis *l.* contrarietatis
„ 117. „ 23. „ „ super „ ultriusque *l.* utriusque
„ 127. „ 13. „ „ „ post vocem ostendere pone comma
„ 129. „ 1. „ „ „ *loco* sgstema *l.* systema
„ 129. „ 4. „ „ „ post vocem quasi pone comma
„ 130. „ 12. „ „ „ *loco* oscculum *l.* osculum
„ 132. „ 11. „ „ „ „ inducant *l.* inducunt
„ 132. „ 23. „ „ „ „ erigerre *l.* erigere
„ 133. „ 1. „ „ „ dele comma post v. certae, et pone posl voc. gentis
„ 133. „ 5. „ „ „ *loco* applicatus lege applicatis
„ 136. „ 4. „ „ „ „ reliogoso *l.* religioso
„ 144. „ 9. „ „ „ „ propler *l.* propter
„ 150. „ 9. „ „ infer. „ se quentes *l* sequentes
„ 156. „ 3. „ „ „ *) „ ὀποδείγμα *l.* ὑποδείγμα
„ 156. „ 1. „ „ super. post voc. personae pone comma
„ 161. „ 13. „ „ „ *loco* i lustravit *l.* illustravit
„ 161. „ 16. „ „ infer. „ geutes *l.* gentes
„ 161. „ 3. „ „ „ post voc. manifestantur pone comma
„ 163. „ 7. „ „ „ *loco* proditorum lege proditorem
„ 185. „ 6. „ „ super. „ sceprum *l.* sceptrum
„ 186. „ 26. „ „ „ „ proprius *l.* propius
„ 195. „ 21. „ „ infer. „ quae *l.* qui
„ 200. „ 1. „ „ super. „ bilici *l.* biblici.





